

This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.


+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

A 450491

Petri Leopoldini Bonani Maria Mozzagemba.
[illegible] Vaticana
Poem.
Anglica



THE GIFT OF
Alexander Labinski, R.N.

JC
236
.A9
1854

IURIS

NATURAE ET GENTIUM

PRIVATI ET PUBBLICI

FUNDAMENTA

IURIS
NATURAE ET GENTIUM
PRIVATI ET PUBBLICI
FUNDAMENTA

AUCTORE


GULIELMO AUDISIO

SACROSANCTAE BASILICAE VATICANAE CANONICO ET IN ROMANAE SAPIENTIAE
ARCHIGYMNASIO EIUSDEM IURIS PROFESSORE

Omnia sunt incerta cum a iure discessum est.—
Ius fons est aequitatis, fundamentum libertatis.
Cicero.

EDITIO PRIMA BENEVENTANA
AB AUCTORE RECOGNITA

BENEVENTI
TYPIS HAEREDUM PATERNÒ
1854



Gift
Alex. Lubinski, P. N.
8-29.31

LECTISSIMIS IN URBE

IURIS NATURAE ET GENTIUM

CANDITATIS.

Eadem animi suavitate scriptis vos alloquor, iuris Candidati ingeniosissimi, qua et in frequentissimum conspectum vestrum prodire, et vestris amicitiae atque humanitatis officiis quotidie perfrui, mihi semper iucundissimum fuit ac desideratissimum. Haec autem quae communi studio atque diligentia invenimus, vel saltem perquisivimus, nomini vestro nuncupanda existimavi, ut quam gratus me teneat animi sensus apprime intelligeretis, mutuique amoris signum ac veluti sacramentum, fixum ratumque permaneret. Interim vos, opus universum et quae illi erant praemittenda, experta iam benignitate libentique animo accipite.

Nobilissima atque amplissima nomina, si consocientur, IUS et NATURA: quibus ima summis conseruntur, homines vero aeternae legis ac bonitatis, Deique ipsius imagine augentur et decorantur. Nam dum reliqua omnia in terris, lege externa agi atque ad finem properare, compertum habemus; homo, quod rationis, sive iuris et legis est particeps, solus ipse in consortium est elatus Divinitatis. Quod et Tullius gratulabatur, una iam, per iuris communionem, civitate constituta hominum atque Deorum; idemque poetae expresserunt, Numinis praesentiam potius quam afflatum in homine prosecuti: « Iustitiae consors, tacitumque in pectore Numen 1). » Cum igitur naturae datum foret, suam a iure increato haurire dignitatem; ab illo recedens, in suam necessario compelleretur paupertatem. Quae cum certissima sint, tractationem de Iure Naturae et Gentium suscepturi, quae praesens ad iura increata, tum scientiae huius nostrae, tum gentium sit conditio, sedulo est perspiciendum.

1) Sil. Ital.

Tribus ab hinc saeculis, iura privata et publica, ab universalissimo eorum fonte, nobis, ut cito rei summam expromamus, nimium videntur discissa: unde scientiae cui incumbimus exiguitas, vel adversa valetudo, quam ceteroqui, ni nos ipsi defecerimus, rebus et sententiis plenissimam haberemus ac validissimam. Gentes autem et imperia nec florentissima pollere viriumf sanitate atque integritate, ipsorum casus vel facta testantur. Cuius rei causae cum aliae ab aliis afferantur, illa videtur potissima, quod cum universa iura essent colligenda, quo mutuam sibi lucem afferrent, ac sublimius in hominum mentibus cordibusque assurgerent; ex adverso, quasi a stipite divulsa, vim et cognationem amitterent, eorumque palmites in legibus, fructus vero in gentium moribus frescerent. Nam si recte dictum est a Cicerone « omnes artes quae ad humanitatem pertinent, omnemque ingenuarum et humanarum artium doctrinam, uno quodam societatis vinculo contineri 1); » quanto magis id de iuribus affirmandum, quibus hominum vita non tam exornatur quam constituitur?

1) *Pro Archia, et de Orat.* III.

Haec autem iura (non miscenda quidem, sed neque seiungenda), ea omnia sunt, quibus veluti luminibus et funiculis, edocenda atque regenda hominum tradebatur natura, sub illius imperio constituta, caelum atque terras tuentis et regentis Dei. Triplicis vero sunt generis: *civilia* scilicet, *naturalia* et *divina*. Sed nos civitatem a natura, naturam deinde abstrahentes a Divinitate, iura quae simul erant divina et naturalia et civilia, fere amittebamus, dissoluta passim atque attrita; quodque peius erat, illa pro libito condere vel reficere, in nostra putabamus facultate.

Ita sane: quum homo, non iuris observator, sed iuris conditor fieri ausus est, cuncta in praeceps societas ruere coepit. Naturae enim eiusque Conditoris scita, quum non fideliter inquirere, sed philosophi, publicistae, legumlatores, ipsique imperantes quandoque ad libitum effingere aggrederentur, tunc pro naturali et divina hominum societate, arbitraria quoque extitit hominum compages, nullo pene vel naturali vel divino fundamento innixa. Tunc *legale* quoddam *sophisma*, iuris habens speciem, philosophico sophismati successerat, privata et publica gentium iura inficiens vel discerpens. Latens diu haec gentium infirmitas, in mediam tandem prodiit lucem, illud evincens, quod ubicumque homo, sive princeps sive populus, non humana divinaque iura

consulere, sed alia atque alia ad suam sibi libidinem componere satagebat, imperiorum simul et gentium sanitas et felicitas evanescebant.

Duplex remedium ipsa suadet mali conditio: iuris ad *naturam* atque ad *Deum* conversio. Ad naturam, dixi. Nam, minores sunt, Tullio animadvertente, forenses disputationes, alioque in genere versantur. Sed neque publicistarum, qui, spreto imperiorum fundamento, formis politicis unice fidunt, vel intemperanter ad materialia convertuntur, quidquam proficiet oratio. Penitissima igitur Naturae perquirenda sunt oracula, quum a Platone et Cicerone traditum firmumque habeamus « nullo in genere disputandi magis honeste patefieri, quid sit homini tributum natura; quantam vim rerum optimarum mens humana contineat; cuius muneris colendi efficiendique causa nati et in lucem editi simus; quae sit coniunctio hominum, quae naturalis societas inter ipsos. His enim explicatis, FONS LEGUM ET IURIS INVENIRI POTEST 1). » Non ergo, ut statim regerit Atticus Ciceroni, a praetoris edicto vel a XII tabulis, sed ex intima omnino philosophia, haurienda est iuris scientia legumque omnium disciplina. Quid enim leges, ubi iustae sint, nisi iussa naturae? Quaenam autem, nisi natura, alia gentium lex, mens ratioque prudentis, iuris atque iniuriae mensura? Sed quid natura ipsa « nisi recta et a numine Deorum tracta ratio 2)? »

1) Cic., *de Leg.*, I, 5.

2) Id., *Philipp.* II.

Primo itaque, iuris exordium ac stirps ab ea summa ratione vel lege capienda sunt, quae saeculis omnibus antenata est, quam scripta lex ulla, aut quam omnino civitas constituta: namque « eadem ratio, cum est in hominis mente confirmata et perfecta, lex est 3). » Quum ergo, de iure agentes, naturam appellamus, Deum ipsum appellamus, eiusque sempiternam legem atque rationem.

3) Id., *de Leg.*, I, 6.

Sed creata ratio, licet Divinitatis similitudinem et cognationem referens, dum in humanam illabitur naturam, nec liquida semper, nec iurium fontem plenissime attinget, nisi aeternae ac purissimae rationis sepimento valletur, eiusque lumine augeatur: « A natura enim ipsa desciscimus, ut nobis optimam naturam invidisse videamur 4). » Ne igitur vanitati veritas, et opinioni natura ipsa cedat, omnes principis illius rationis, quae integra in Deo est, sive internae et naturales, sive externae et su-

4) Id., Tusc. III,

pernaturales manifestationes, hominibus factae, diligenter sunt colligendae, ut ratio creata atque infirma non deficiat, utque ille fons legum et iuris inveniri possit, qui a Tullio nuper commendabatur. Qua insistens via, naturalis nos, non divini iuris consulti, rationem primum et naturam persequemur: si autem alicubi haereat ratio, vel caecutire contingat, ut cum humanae gentis, malorumve quibus animae et corpora sollicitantur, origines erunt evolvendae, vel divina iura quaerenda, vel qui sit naturae cursus et finis, aliaque rationi insolubilia problemata; numquid divina iura aspernabimur in naturam effusa, ipsamque naturam sine viae duce, medioque in itinere haerentem et caligantem deseremus, vel somnia et fabellas pro Dei legibus et factis venditabimus? Quae cum a Puffendorfio non rite sint perpensa, ius naturae a divino absolute praecidendum decreverat 1): dum interim ipse, Grotius, aliique, rei necessitate compulsi, utroque iure in eadem tractatione uterentur. Sic igitur definiendum arbitramur: *Iuris naturalis consultus non theologum aget, sed cum illi universa pervolvenda sit natura, qualis fuit ab initio, qualis est nunc, et qualis futura est, ut totus illius pateat cursus et finis, iuraque iuribus respondeant; quae illi ex naturae penu deficient, eadem non dedignabitur a iure divino postulare ac percipere* (a).

1) *De off. hom. et civ., praef.*

(a) Eo iam pervenimus, sive antiqua sive nova tempora inspiciamus, ut rationis infirmitas ad Iuris Naturae et Gentium scientiam absolutissime perficiendam, populisque commendandam, sese manifestissime prodiderit. Indignantis forsan animi haec Pascalii verba: « On ne voit presque rien de juste et d'injuste qui ne change de qualité en changeant de climat. Trois degrés d'élévation du pôle renversent toute la jurisprudence. Un méridien ou peu d'années de possession, décident de la vérité. Les lois fondamentales changent; le droit a ses époques. Plaisante justice qu'une rivière ou une montagne borne! (Pascal, *Pensées*, 1 par., ch. 6, art. 8). » Nimia haec sint: numquid vero penitus falsa, ubi *sola* ratio populis vel legibus praefuit? Addit: « Le larcin, l'inceste, le mourtre des enfants et des pères, tout a eu sa place entre les actions vertueuses (Ibid.). » Vera nimis! Aderat nempe ratio, aderat ius, ipsaque natura aderat; sed homo, leges, populorumque mores, aliam fere naturam sibi constituerant. Prosequitur enim: « Il y a, sans doute, des lois naturelles; mais cette belle raison corrompue a tout corrompu: *Nihil amplius nostri est; quod nostrum dicimus, artis est; ex senatus consultis et plebiscitis crimina exercentur; ut olim vitiis, sic nunc legibus laboramus* (Ibid., art. 9). » Utinam infirmi haec essent animi, vel doloris aestu abrepti! Sed quid, cum gentium leges et facta inspicienda suscipimus? Quid, si patrum recordatione, de-

Quae si recta est sententia, nostram agendi rationem simul exposuimus et tuiti sumus. Quum enim probe inspexerimus, quantam in iura et officia cladem intulerit ratio sibi ipsi relicta, ut tandem ex Samuele Cocceio « ipsa existentia eiusmodi iuris pluribus suspecta visa fuerit 1); » creatam rationem ad divinam extollere, quando necessitas impelleret, nobis mens atque animus fuit. Eo vel maxime, ut a principio innuebamus, quod humana ratio non errore tantisper delectata, sed naturalem hominum constitutionem, iura imperantium et populorum, religionem denique ipsam recudendi vel creandi munus atque imperium sibi contulerit. Inde naturalibus et divinis socialis vitae fundamentis, quibus europeae gentes adoleverant, late concussis, triplex iurium et societatis ordo, *rationalis, civilis* et *politicus*, turbari ac misceri visus est. Siquidem ratio a Divinitate abstracta, se adeo iuribus solvendis aptissimam, recomponendis vero ineptissimam, factis et experimentis prodiderat, ut in ordine morali, *virtutum vitiorumque fines* vix alicubi constiterint; in civili, *proprietas*, qua fere sola, quaelibet iuria civilia continentur, suis e sedibus revulsa, iam iam ipsa concideret; in *politico* demum ordine, *auctoritas* quam homines in gentium vel imperiorum nomina coadunantur, imperantium denique populorumque iura et officia pessum irent.

1) Vid. pag. 6.

Posterioribus verbis, propositae nobis viae cursum atque ordinem, vix cogitantes attigimus: illuc enim properandum, quo editis compellimur ruinis, restaurationis, ut auguramur, aetatem ingressuri. Quae ut qualis est in votis, sic et in factis habeatur,

Ieto Numinis cultu, ara Deae RATIONI, dum ipsa maxime insaniret, extructa fuit? Hinc itaque rationis excellentia, illinc eius fatuitate vel perversitate coarctamur. Quo pergimus? Quae inde naturae vel gentium iura depromemus vel extricabimus? Iuris Naturae magistro, ut arbitramur, duo sunt perficienda: 1. rationem expolire eiusque oracula postulare, qua illa ex Deo est, atque divina; 2. ubi haec deficiat, imo ne deficiat, longe superiorem aliam compellare rationem, *aeternam* nimirum *sapientiam super omnia manentem*, unde universa descripta sunt iura (s. Aug., *Confess.*, VIII, 9, 3). Haec si non fracto animo perficiamus, Iuris Naturae et Gentium restaurationem, quam sapientes praestolantur, tandem aliquando ingrediemur. Haec enim duo nobis comparabimus: iuris *philosophiam*, quae methodum subministret; *ius divinum*, quod in contexenda iurium serie, ita omnium est iurium exemplar ac fundamentum, ut, illo submoto, nulla unquam iurium vel officiorum scientia nec perfici nec constitui possit.

iurium cognationes et foedera, humanaque iura divinis sic erunt concilianda, ut sibi congruant humanae et divinae iurisprudentiae fundamenta, hic vel illic constabilienda firmius, vel penitus reficienda.

Paucula quae in hanc rem, praestricto calamo ad vestram conscripseram utilitatem, Vos libenti animo accipite, Lectissimi iuris Candidati, studiis mihi et benevolentia coniunctissimi. In illam patrum iurisprudentiam, quae partum armis Imperium, iuris commercio legumque maiestate continuerat, viriliter incumbite. Quidquid enim a Graecis philosophis de honesto et iusto, de finibus bonorum et malorum, de regendis populorum moribus, de legibus et civitate effundebatur; totum collectum fuit a iurisconsultis nostris, atque (ut ipsi poterant) nugis excussis, traductum in Urbem. Ad naturam scilicet condita Gens Romana, si usquam alia, naturalis philosophiae dignitatem in iurisconsultorum scholas, atque in romanum forum transtulerat. Unde, extinctis armis, legum adhuc sapientia orbi dominatur. Sed, primo, rigens ac ferreum legis imperium, nondum naturali *aequitate* in leges invecta; multa autem in formulis tritura fori, quam repellit naturae simplicitas, et ingenua iustitiae maiestas. Neque Theodosii vel Iustiniani opus, a legis arbitrio, vel ab ethnica labe undequaque abluitur. Naturae enim atque imperiorum fundamenta nondum satis patuerant, neque poterant, ubi homines, servitutis iure, vix a brutis discriminabantur. Neque vero, quod maximum est, evangelicae sapientiae et aequitatis iussa adeo iurisconsultorum mentes impleverant, ut divino lumine rationalem naturam quaquaversus pervaderent ac reficerent.

Esto itaque, « nihil in civitate tam diligenter retinendum, quam ius civile 1), quo domus iurisconsulti fit totius oraculum civitatis 2); » nisi tamen legum magistram atque interpretem adhibeamus naturam, illi Ciceronis questus semper recurrent: « Veri iuris germanaeque iustitiae solidam et expressam effigiem nullam tenemus, umbra et imaginibus utimur 3). » Quapropter, incoeptam Ciceronis aevo legum restaurationem, per naturalem *aequitatem*, nos iterum hac nostra aetate, divino lumine superinducto, quo tota reviviscit ac laetatur natura, resumendam arbitramur. Nam dum in re forensi, plurima hodiernis moribus vel supplenda sunt in iure romano, vel emendanda, vel praeciden-

1) Cic., pro *Caecina*.
2) Id., *de Orat.* I.
3) *De Off.* III.

da; tum maxime novam postulat sapientiam ius civitatis et gentium. Cum enim tota iurisprudentia frugifera sit et fructuosa, nec ulla pars eius inculta et deserta; tum nullus in ea feracior est locus vel uberior, quam de Iure naturali sive privato sive publico, a quo non tantum constanter honesteque vivendi praecepta, sed gentium quoque et imperiorum ducuntur initia, progressiones et firmamenta. Quum autem praesens, qua homines et populi fruimur, urbanitas et civilitas, non naturae simpliciter fructus sit, sed restauratae per Evangelium naturae; nihil iam affirmabitur clarius vel securius, quam nos paulatim ad ethnicorum reversuros caecitatem, qua non placidissimum Numinis imperium, sed homo in hominem dominabatur, nisi ad Ius Evangelicum, iura gentium vel emendentur vel describantur.

Excellentissimum hoc, privatae et publicae Iurisprudentiae restaurandae opus, ad perfectam illius mentis rationem ex qua iura omnia profluunt, quibus aptius quam Vobis, Catholicae Urbis Filii, commendabitur? Vobis ingenii vires traditae sunt a natura, ni forte haec non sit tellus, quae Ciceronem naturalis prudentiae patrem, aliaque ingenii lumina tulit, quae toto adhuc orbe inclarescunt. Vestra est, dummodo colligatur, tot tamque praestantissimorum supellex, cuius vel particula, alia gens ummopere laetaretur. Quid dicam? Nonne in medio vestri illa constat Sedes, quae dum totius est orbis mater et magistra, Vos primum divinitus fovet, nomen vestrum gentibus infert spectandum et colendum, urbemque vestram christiani, civilis nempe orbis, principatu auxit atque adornavit? In Vos igitur omnium oculi convertuntur, Romani Adolescentes: Vos, ut aliquid Roma, suaque expectatione dignum inspiciant, efficite. Sed quid nobilius vel gloriosius efficietis, quam ut ubi Fidei sedes, hinc quoque Sapientiae sedes latissime dominetur? Numquid religio sine sapientia, an sapientia sine religione permanebunt? Etsi vero sapientia, nullius urbis, sed orbis incola et civis sit, numquid tamen alia urbs dignior, qua divina humanaque iurisprudentia arctiori foedere consocientur? Num excelsius imperium hominibus datum, quam ut eiusdem consortes naturae, iuris quoque societate regantur? Mihi quidem si aliam loci patriam sors attulit, in hanc iuris patriam, invictissima PONTIFICIS benignitate adscitus, dum

hac fruar luce, illam, Vosque simul, toto corde amplectar, nec dimittam (*a*).

Valete, Iuvenes spectatissimi ac desideratissimi. Rei quam agitis diligenter incumbite, perdurate, intendite. Nam « sine studio et ardore quodam amoris, in vita nihil quicquam fit egregium 1). » Qui experrecta atque excelsa ingenii vi praediti sunt a natura, illa meminerint: « Non potest in eo esse succus diuturnus, qui nimis celeriter est maturitatem assecutus 2). » Imo et ipsa « parum valet doctrina, nisi industria, studio, labore, diligentia comprobetur 3). » Quibus autem natura minora data sunt, non ita desperandum, quasi ipsi a plurima gloria arceantur. Non enim Homero soli locus est, aut Sophocli, aut Pindaro; nec Aristotelem in philosophia deterruit amplitudo Platonis; tantaque multitudo ingeniorum fuit, tanta in suo cuiusque genere laus, ut cum summa miremur, inferiora tamen probamus. Neque illud quod est optimum, desperandum est: quum in praestantibus rebus, magna sint ea, quae sunt optimis proxima. Erunt autem, si ingenium opere et diligentia perficietis: « Diligentia in omnibus rebus plurimum valet: haec praecipue colenda est nobis, haec semper adhibenda, haec nihil est quod non assequatur: qua una virtute omnes reliquae virtutes continentur 4). »

1) Cic., *de Orat.*, I.

2) Id., *de Orat.*, II.

3) Id., *ad Heren.*, III.

4) Id., *de Orat.*, II.

Dixi quae agenda, nunc quae ex Cicerone omittenda sunt. Naturae officia et iussa persequentibus, primo a voluptate abstinendum. Nam « in voluptatis regno non potest virtus consistere 5). » Imitatrix est boni voluptas, malorum mater omnium, cuius blanditiis corrumpuntur quae natura bona sunt 6). » « Voluptates, blandissimae dominae, saepe maiores partes animae a virtute detorquent 7). » Cur vero tantam animo cladem infert voluptas? Quia sensum pro ratione habet, impedit consilium, mentem a sua sede dimovet: « Qui voluptati deditus est, huic omnia sensu, non ratione sunt iudicanda, eaque sunt dicenda optima quae sunt suavissima 8). » « Impedit consilium voluptas, rationi inimica; ac mentis, ut ita dicam, perstringit oculos, nec habet ullum cum virtute commercium 9). » Hinc « quo maior est

5) Id. *Cat. Maior.*

6) Id., *de Leg.*, I.

7) Id., *Off.*, II.

8) Id., *de Fin.*, II.

9) Idem, *Cat. Mai.*

(*a*) « Itaque cum ortu Tusculanus esset, civitate Romanus habuit alteram *loci* patriam, alteram *iuris*. Sic nos et eam patriam ducimus, ubi nati; et illam qua excepti sumus. Dulcis autem non multo secus est ea quae genuit, quam illa quae excepit (Cic., *De Leg.*, II, 2). »

voluptas, eo magis mentem a sua sede et statu dimovet 1). Eversa igitur mente, et corrupta voluptatibus natura, quam, nisi Epicureorum, dabimus de naturae officiis et iuribus tractationem? Sed fracti voluptatibus animi, a rerum quoque publicarum tractatione amoveantur: « Qui voluptatibus ducuntur, et se vitiorum illecebris et cupiditatum lenociniis dediderunt, missos faciant honores, nec attingant rempublicam; patiantur viros fortes labore, se suo otio perfrui 2). » Quare, animulis quibusdam licet durissima, haec tamen praecipienda: « Omittendae sunt omnes voluptates, relinquenda studia delectationis, ludus, iocus, convivia, sermo etiam pene omnium familiarium deserendus 3). » Quorum si laudabilis quandoque levis quidam haustus, ut vires ad laborem reficiantur, tamen « NEMO EST DIGNUS NOMINE HOMINIS, QUI UNUM DIEM TOTUM VELIT ESSE IN VOLUPTATE 4). »

1) Idem, *Paradox.* I.

2) Id., *pro Sest.*

3) Idem, *pro M. Coelio.*

4) Cic., *de Fin.*, II.

En, ingeniosissimi Adolescentes, qua nos ipsos sapientia et fortitudine, patriam vero solida et expressa, non adumbrata gloria augere possimus. Sed et studiorum methodus adhibenda. Ante omnia, « multa magis quam multorum lectione, firmanda mens, et ducendus color », si Quintiliano credimus. Studiis enim certis, Seneca praecipiente, immorari et enutriri oportet, si velis aliquid trahere quod in animo feliciter haereat. » Sed nos quod dolebat Verulamius, cum vix ad solida et necessaria sufficientes simus, in vacuis et futilibus ingenium atterimus; et « quemadmodum omnium rerum, sic maxime litterarum intemperantia laboramus 5). » Iamque illud quod Tullius lamentabatur « oppressi sumus opinionibus non modo vulgi, verum etiam hominum *leviter eruditorum* 6); » quandonam latius quam nostra patuit aetate? Scilicet, scientiis nec insudamus nec consenescimus, et frustula vix colligentes, in misera paupertate superbissime invanescimus (*a*).

5) Sen., *ep. 106.*

6) Cic., *de Orat.*, III.

Vos saltem, non iuris modo sed patriae Candidati, summa ope et alacri studio diu perdiscite quae in publicum effundatis; quam-

(*a* Multos cognovimus qui taedio laboris, confugerunt ad haec diverticula desidiae: quorum alii se ad album et rubricas transtulerunt, et *formularii*, vel, ut Cicero ait, *leguleii* quidam esse maluerunt, formulas iuris consectantes, et ex iis causas agentes (QUINTIL., *Instit.* XII, 3). » Cicero autem ipse: « Iurisconsultus ipse per se nihil, nisi leguleius quidam cautus et acutus, praeco actionum, cantor formularum, auceps syllabarum (Cic., *Orat.*, I, 55). »

que magna sit res patriae gerere magistratus, sedulo recogitate, ne tanto muneri impares inveniamini; ad quod, nisi *toto legitimo opere perfecto*, accedendum, monebat Imperator 1). Nec vobis nimium fidentes, verecundiam diligite qua virtus innutritur atque augetur, patrum sapientiam atque experientiam adhibete. Nam « maximae respublicae per adolescentulos labefactatae, a senibus sustentatae et restitutae sunt: cum enim ad gubernacula reipublicae temerarii atque audaces homines accedunt, maxima atque miserrima naufragia fiunt 2). » Qua commotus ratione, dux ille Graeciae numquam optabat, ut Aiacis similes decem haberet, sed ut Nestoris: quod si acciderit, non dubitabat quin Troia brevi esset peritura. Romanorum credite sapientissimo atque expertissimo: « Temeritas cum sapientia non commiscetur 3). »

1) *Instit.*, proem.

2) Cic., *Cat. Mai.*

3) Id., *Cat. Mai.*

Hisce praemonitis, dum nihil in conspectum vestrum afferendum, quod non esset labore et ingenio perfectum, mecum ipse statueram; nec esse quidquam omnium festinatum simul et examinatum, vel quod habeat et laudem diligentiae et gratiam celeritatis; hoc tamen, non opus, sed pro temporum angustiis, vix summa operis ducta lineamenta, e manibus elabi passus sum. Quae tamen nec omnino fore inutilia, aliqua reficior spe, quum hisce veluti signis firmior apud Vos eorum constet memoria, quae vox attulit uberiora atque ampliora; eaque tum naturae tum civitatis fundamenta in conspectum adducantur, quae nostris praesertim temporibus, hinc atque inde pertrahuntur a pluribus, non sat perspecto viae exitu vel magistro. Cum res adeo amplissima et gravissima, uno tantum anno esset concludenda, scientiae potius *fundamenta*, quam singula eius capita, ne nihil agerem plurima complexus, seligenda mihi visa sunt atque constituenda. Tum illa obversabantur: « Litterae discuntur facile, si et tantum sumas, quantum opus sit, et SCIAS IPSE ETIAM DISCERE; ita ut facilis usus doctrinam confirmet, mediocris opera tribuatur, memoria, studiumque permaneat 4). »

4) Id., *de Orat.* III.

Vos itaque, iterum rogo, qua meipsum, romana scilicet, excepistis benevolentia et humanitate, haec quoque suscipite inchoata principia, rerumque semina, parva quidem nunc, sed maximi in vos amoris atque obsequii argumenta, alias, si Deus dederit, a capite resumenda.

KALEND. AUGUST. MDCCCLII.

IURIS NATURAE ET GENTIUM

PRIVATI ET PUBLICI

FUNDAMENTA

TITULUS PRAELIMINARIS

OPERIS CONSPECTUS ET PARTITIO.

I. Quo praesentes motus gentium spectent. II. Scientiae iuris naturae et gentium nova utilitas ac necessitas. III. Notio iuris, *nominalis*, *obiectiva* et *subiectiva*. IV. Ius naturae. V. Iuris naturae amplitudo. VI. Iura scripta, sunt partim naturalia, et partim libera. VII. Iurium divisio. VIII. Iuris publici excellentia. IX. Eius tradendi ratio. X. Pandendus iustitiae fons. XI. Hominis triplex relatio: ad *moralia*, ad *sensibilia*, ad *politicam societatem*. XII. Hinc triplex tractationis pars, et iurium fundamentum. XIII. Scientiae iuris naturae et gentium notio et definitio. XIV. Dei existentia et animarum immortalitas, ante omnia praestatuenda. XV. Integer naturae cursus est comprehendendus. XVI. Nostra mens, novaque in ius naturae et gentium diligentia. XVII. Auctores sunt consulendi, sed viae dux natura eiusque auctor Deus.

I. Motus, qui nunc gentes universim exagitat, suprema naturae et socialis vitae elementa scrutatur: unde alii denuo auream aetatem expectant, alii societatis ferme dissolutionem pertimescunt. Nimis hi atque illi: quoniam « nec laetatur Deus in perditione vivorum: creavit enim ut essent omnia, et SANABILES FECIT NATIONES ORBIS TERRARUM 1). »

1) *Sap.* I, 13, 14.

II. Scientia, quae ardentissimae huic disputationi lumen praefert, eamque moderatur, recte *de Iure Naturae et Gentium* inscribitur. Quae, si alias utiliter, nunc necessario evolvenda est, et ea quidem ratione, quae nostris temporibus congruat, ne electa iuventus, patriae spes, decus et firmamentum, ad ampliora studia et publica munera perfungenda imparata accedat; neve, inter tot opinionum dissidia, a recta via se abripi sinat. Urget nos quoque ipsa res ubique salebrosa et amplissima, hactenus vix ac ne vix quidem a fundamentis stricte excussa vel perpolita, licet

plurima a pluribus utiliter, graviter, sapienterque fuerint conscripta.

III. Ut a *iuris* vocabulo incipiamus, *ious* et *iousa* dixerunt Romanorum antiquissimi, qui nec litteras geminabant, nec utebantur littera canina R: postea, abiecta dipthongo, et sibilante littera in caninam versa, *iura* dixerunt. Qui ius ducunt a *iubeo*, quasi légis *iussum*, minus ad sententiam facere videntur: ipsi enim externum significant legis effectum. Nos, intrinsecam legis naturam, eiusque originem sive iustitiam respicientes, ius *obiective* idem habemus ac *iustum*. « Est autem a iustitia appellatum: nam, ut eleganter Celsus definivit, *ius est ars aequi et boni* 1). » Si vero *subiective*, idest si iuris subiectum inspicias, definitur: *Facultas moralis, personae competens, ad aliquid iuste habendum vel agendum*. Hinc ius quod tibi competit, alterius debitum necessario includit; et vicissim. Iura ergo et officia sibi mutuo respondent in vitae consuetudine: imo debita praecedere videntur, ut iura constituantur. Unde enim imperandi ius in patre, nisi ex obedientiae debito, quo adstringitur filius? Quum autem legum collectiones *Ius* appellamus, de eorum iustitia admonemur. Illa demum scientia, *quae iuri universo ordinatim e suis fontibus eruendo et declarando praeficitur*, recte *Iurisprudentia* nuncupatur.

1) L. 1, ff, lib. 1, t. 1.

Est igitur ius id quod iustum sit, aequum et rectum. Consonat italicum nomen: *il dritto*; sive quod per se rectum sit ad iustitiae mensuram, quae prima omnium est atque archetypa rectitudo. Si ad *iustum* accedat *iussum*, tunc iuris natura quoad omnes sui formas perficitur.

IV. Ius naturae, de quo primum scientia haec nostra inscribitur, est iurium omnium fons unde cetera profluunt; quum sine illo, nulla vitae consuetudo, nulla civitas, societas nulla effingi vel consistere valeat. Est autem Ciceroni; « Ratio summa, insita in natura, quae iubet ea, quae facienda sunt, prohibetque contraria 2). » Vel, eodem docente: « Recta et a numine Deorum tracta ratio 3). » Hoc iure conditae gentes et imperia, quodque simpliciter erat ius naturae, factum est ius civile et gentium.

2) *De Leg.*, I.

3) *Philipp.* II.

V. Nam, quum naturalis sit hominis cum homine societas, naturae ius, quasi spiraculum Divinitatis, per totum societatis corpus diffundebatur: primo, singulorum officia componens; deinde, totius gentis ordinem et relationes; demum, quum una sit totius generis familia, nationum inter se iura et officia constituens. Hinc iuris naturalis maiestas atque amplitudo effulget.

VI. Ergo illud ius scriptum, quod civile vel gentium appellatur, ius naturae est, quia a natura civitatibus vel gentibus est constitutum, antequam leges describerentur: paucis exceptis, quae licet non absolute praescripta sint a natura, et gentibus quasi in medium sint relicta, tamen cum pro adiunctis naturali conveniant aequitati, atque in leges abierint, naturalem obtinent firmitatem. Unde legum latorum duplex officium: 1. naturae *ne-*

cessaria, in quae nullam ipsi habent potestatem, sancte et integre afferre; 2. *libera* ad naturalem aequitatem et publicam utilitatem accommodare. Quam distinctionem expressit Aristoteles: « Ius civile aliud *naturale* est, aliud *legitimum*. *Naturale*, quod ubique gentium idem valet, non quia ita decretum sit, vel non decretum: *legitimum* autem quod tunc demum obtinet, cum constitutum fuerit (*Moral.*, V, 10). »

VII. Hinc fluit iurium socialium nexus et divisio.

Primo, ut in homine duplex est rerum ordo, duplex vita, mundialis haec, atque extramundialis altera, praesens nimirum et futura; duplex quoque ius in natura humana: ius *pontificum* atque *imperantium*, sive ius *pontificium* et ius *caesareum*. Quam distinctionem et rerum natura postulat, et gentes omnes tenuerunt. Nam ius pontificum, et *maximum* dixit Cicero, et *cum auctoritate coniunctum*. « Quid enim, inquit, maius est, si de iure quaerimus,... quam nihil domi, nihil foris per magistratus gestum sine eorum auctoritate posse cuiquam probari 1)? » Sunt igitur sacerdotalis ac regia potestas duo quasi flumina, quibus ex uno fonte iura divina prolabuntur in humanam naturam. Est autem ius pontificium non internum vel externum, non nationale vel internationale, ex mente Conditoris, sed absolute commune et universale, quum, docente ipso Tullio, una sit civitas hominum atque Deorum.

1) *De Leg.*, II, 12.

Secundo, cum imperantium officia sint gentem suam intus regere, cum externis vero amicitiam colere; ius caesareum dividitur in *nationale* et *internationale*.

Ius nationale subdividitur in *privatum* et *publicum*: est enim complexio omnium legum, quibus natio ipsa gubernatur.

Privatum illud est, quo singulorum relationes, iura et officia describuntur: uti leges circa conventiones et obligationes.

Publicum, universalem nationis ordinem, eiusque constitutionem signat ac decernit. Subdividitur in *politicum*, *administrativum* et *iudiciale*. *Politicum* regiminis formam constituit, et personarum capacitatem ad publica exercenda gubernationis munera. *Administrativum* actionem et competentiam dirigit consiliorum publicae administrationis erga administratos. *Iudiciale* lites civiles, delicta et poenas definit: unde aliud *civile* est, aliud *criminale*. Ad ius administrativum pertinent commercia et scientia *oeconomiae publicae*, quae divitiarum productionem regit earumque distributionem: cuius ea est ars, ut leges universales ad locorum vel gentium conditionem accommodentur. Olim ius nationale simpliciter dividebatur in *civile* et *poenale*. Nunc, apud plurimas gentes, gubernandi scientia vel arte fere in machinam conversa, iurium vel ministeriorum nec finis nec forma. Multiplicatis imperandi artificiis, quid societas profecit?

Hisce partibus constat scientia iuris privati et publici, quae scientia quoque *socialis* appellatur.

VIII. Iuris privati et publici discrimen praesensit Cicero. Tractationem enim de Legibus exorsus, inquit: « Quid est tantum quantum ius civitatis (*ius publicum*)? Quid autem tam exiguum, quam est munus eorum qui consuluntur (*ius privatum*)? » Prosequitur: « Quamobrem quo me vocas? Aut quid hortaris? Ut libellos conficiam de stillicidiorum ac de parietum iure? Aut ut stipulationum et iudiciorum formulas componam? Quae et conscripta sunt a multis diligenter et sunt humiliora quam illa quae a vobis espectari puto. » Haec cum ius privatum spectent vel forense, subiungit Marcus: « Quaeramus iisdem de rebus aliquid UBERIUS, quam forensis usus desiderat 1). »

1) Cic., *de Leg.*, 1, 4, 5.

IX. Ciceroni itaque quiddam, forensibus disputationibus altius ac praeclarius, est ius publicum vel civitatis. De cuius tradendi ratione haec nobilissime praecipiebat: « Non ergo a praetoris edicto, ut plerique nunc; neque a XII tabulis, ut superiores; sed penitus ex intima philosophia hauriendam iuris disciplinam putas. Non enim id quaerimus hoc sermone, quemadmodum caveamus in iure (*privato vel forensi*), aut quid de quaque consultatione respondeamus. Sed nobis ita complectenda in hac disputatione tota causa est universi iuris ac legum, ut hoc civile quod dicimus, in parvum quemdam et angustum locum concludatur. Natura enim iuris explicanda est nobis, eaque ab hominis repetenda natura 2). »

2) Loc. cit., 5.

X. Quid ergo de iure naturae et gentium, sive de iure civitatis inquirentibus erit agendum? Universalis iustitiae, legum et officiorum fontes erunt recludendi: unde pulcherrima naturae rationalis, et universa societatis ordinatio, sanitas et felicitas illucescet. « Cuius merito quis nos sacerdotes appellet. Iustitiam namque colimus, et boni et aequi notitiam profitemur, aequum ab iniquo separantes, licitum ab illicito secernentes; bonos, non solum metu poenarum, verum etiam praemiorum quoque exhortatione, efficere cupientes; veram, nisi fallor, philosophiam, non simulatam affectantes 3). » Hinc illud pandetur criterium, non publicistarum modo, sed et forensium virorum, quo et naturae instituta, et summae legum rationes, simulque rectae earum interpretationes, uno ferme intuitu pervideantur. « Et qui aliter, universos monet Cicero, ius civile tradunt, non tam iustitiae, quam litigandi tradunt vias. 4). »

3) L. 1, ff, lib. 1, tit. 1. § 1.

4) *De Leg.*, I, 6.

XI. Iam ut propositum hunc finem assequamur, hominis naturam inspiciendam suscipimus: quum homines sint qui familiam, deinde civitatem, deinde gentes atque imperia constituant. Triplex autem est hominis consideratio vel aspectus. Scilicet, anima ipse fruitur, qua Dei refert imaginem et similitudinem; corpore utitur (non fruitur), ad exteriorem vitam agendam ac servandam; demum, Creatore ipso impellente vel iubente, in aliorum societate constituitur, ut communi omnium adiutorio, animae corporisque facultates evolvantur, expoliantur, perficiantur.

Est igitur homo *rationalis, physicus* et *socialis*. Qua rationalis, aeternis honesti et inhonesti notionibus imbuitur; qua materialem naturam induit, necessarias relationes cum rebus sensibilibus obtinet, unde iuris capax fit in res materiales, quod ius olim *dominium*, nunc strictius *proprietatem* appellamus; tandem, qua socialis, domestico et politico regimine continetur.

XII. Pro triplici hac hominis relatione ad entia *moralia, physica* et *socialia*, triplex erit tractationis pars, et triplex iuris Naturae et Gentium fundamentum.

Primam sibi vindicat lex naturalis, entium moralium ordinem in se una complectens, quae ex aeterna mente irradians, rationales animas undique illustrat, eas ad omnem aequitatem flectens atque instituens; deinde religio, eamdem legem ampliori lumine in hominibus firmans et collustrans.

Secunda, ad materialem hominis naturam se convertens, proprietatis et dominiorum fundamenta et iura excutiet.

Tertia, hominem ad moralem et civilem vitae consuetudinem iam edoctum, ad politicam societatem instituet, civium simul et imperantium officia edisserens.

XIII. Proposita partitione, nisi maxime fallimur, sinceram iuris naturae et gentium notionem expressisse videmur. Totam nempe naturam complexi sumus, iisque tantum summis relationibus sive officiis, quibus scientia nostra inter ceteras morum disciplinas extollitur. Nam, ipsa vocabula *ius naturae et gentium*, quiddam sonant magni et excelsi, a quo monemur non universam quamdam et indistinctam officiorum vel iurium tractationem nobis fore contexendam, sed ea permagna capita esse arripienda, constituenda, firmoque rerum nexu componenda, e quibus cetera ex perenni veluti fonte proficiscantur. Permagna ea dixi, imo et maxima: talia enim sunt tria rerum genera, quae nuper attulimus. Hinc iuris naturae et gentium sequentem definitionem subiicimus: *Scientia summarum relationum, sive officiorum, quibus naturae humanae cursus, eiusque societas cum Deo et hominibus ordinatur ac perficitur.*

XIV. Hac utemur definitione, donec melior afferatur. Tulimus autem a Cicerone, cui ius naturae erat *summa ratio, insita in natura*. Ergo scientia, quae illas scrutatur atque ordinat summas naturae relationes, quae a ratione summa et principe diffluunt, erit scientia iuris naturae omniumque gentium, cum eamdem referant naturam. Obiecta inter quae relationes illae exerceantur, entia sunt *moralia, physica* et *socialia*. Omnium finis ultimus est Deus, fons veritatis, aequitatis atque immortalitatis. Dei existentia, et animarum immortalitas, duo sunt postulata, sine quibus nulla de iuribus vel de legibus perfici, sed neque incipi queat disceptatio. Unde universam officiorum scientiam obtruncabat in radice Puffendorfius scribens: « In disciplina iuris naturalis... immortalitas animae non negatur, sed ab eadem abstra-

hitur 1). » Perbelle! In struendo aedificio, a fundamento ne atque a vertice abstrahitur? Atqui sedes et vertex iurium atque officiorum Deus, per participationem vero immortalis anima, quae a Deo est, ad Deum refertur, et cum Deo coniungitur. Aufer animae immortalitatem, et simul naturae humanae cursum, finem ac destinationem abrumpes; moralem ordinem evelles; iurium sanctionem, poenas ac praemia non invenies.

1) Iur. N. et G., lib. II, c. 3, § 19.

XV. Integrum igitur rationalis naturae cursum amplectetur, cui de eiusdem naturae iuribus sit proposita quaestio. Ille *iter vitae* cum *termini statu*, idest praesentis vitae ordinem cum futurae vitae ordine componet. Quum autem plurimi ex hac via desciverint, hinc scientia iuris naturae obtenebratur, hominum autem societas fatiscit, omnique vento convolvitur.

XVI. Nobis omnes et singulas naturae humanae relationes persequentibus, eadem erit, quae olim fuit, Romano Imperio fatiscente, Ciceronis sententia: « Ad respublicas firmandas, ad stabiliendas vires, et sanandos populos, omnis nostra pergit oratio 2). » Eaque nos movet quam maxime Samuelis Coccei declaratio, qui postquam universos pervolvisset naturalis iurisprudentiae tractatores, ipsumque Grotium perpetuis auxisset enarrationibus, in hanc erupit sententiam: « Disciplinam iuris naturalis, etsi simplicissimis, nobisque innatis constet principiis, adeo implicatam reddidere illi, qui de iure dicto scripserunt, ut ipsa existentia eiusmodi iuris pluribus suspecta visa fuerit 3). » En quo abiit tot praeconiis elata sapientia! In qua tamen philosophiae parte « nisi omnes unum sentiamus, et uno quasi ore praecipiamus, imo si unum fuerit erratum, vita omnis subvertetur 4). »

2) *De Leg.*, I, 13.

3) *Diss. procem. ad Grotium* XII, lib. 1, c. 3, § 32.

XVII. Perpetua igitur nobis erit mens et sollicitudo auctores perpendere, et non quid hic vel ille, sed quod ipsa natura docuit, firmiter tenere. Natura, inquam, qualis a Deo condita prodiit, qualis nunc quoque libere ad Deum assurgit, bonitatis eius ac sapientiae imaginem referens; quatenus aeternae lucis ac iustitiae particulam, seu transcriptionem, mente sua complectitur; quatenus demum, aeternae iustitiae participatione, officiorumque communione, in una Dei atque hominum societate in terris incoepta, in alia autem vita perficienda, colligitur et coagmentatur.

4) Lactant. *Divin. Instit.* III, 7.

Propositum habetis, iter arripiamus; illa Ciceronis semper oculis et mente praeferentes: OMNIA SUNT INCERTA CUM A IURE DISCESSUM EST — IUS FONS EST AEQUITATIS, FUNDAMENTUM LIBERTATIS 5).

5) *Ad Pap. Poetum et pro Cluentio.*

LIBER PRIMUS

DE RELATIONE HOMINIS AD ENTIA MORALIA, SIVE DE LEGE ET RELIGIONE.

TITULUS I.

FALSA DE ORIGINE IURIS SYSTEMATA REFERUNTUR ET IUDICANTUR.

I. Errorum causae declarantur. II. *Epicurei* ex corporea voluptate, vi et utilitate ius eliciunt; III. et sapientiam laudant atque honestatem. IV. *Stoici*, ex adverso, animae independentiam a corpore, et quandoque a lege stabuebant, eam fato subiicientes. V. Epicureismo adversabantur, qui Rempublicam invaserat. VI. Reipublicae corruptio describitur. VII. Stoicismi audacia, politica oppositio, atheismus. VIII. *Pseudopolitici* in duas sciduntur partes: aliis nihil natura bonum vel malum; IX. aliis, iustitia cives ligat, non imperantes. X. Primi radicem iuris evertunt, secundi tyrannidem invehunt. XI. Ex his plurima hodiernis moribus retinentur. XII. Materialia, virtute animi abiecta, nos rapiunt ad Epicureismum. XIII. Stoicorum fatum vertimus in naturalismum et in pantheismum. XIV. Imo, pantheismus politicus iam late revixit et dominatur. XV. Duplex errorum fons: 1. inadaequata hominis consideratio; 2. corporis, animae, vel Status independentia a naturae lege, quae omnia movet ac sustinet.

I. Facilius ac tutius elucebit veritas, si errores prius intueamur. Quotquot itaque prodierunt falsa de origine iuris systemata, ex inadaequata hominis consideratione, tum ex aliqua eius defectione a Creatoris lege ortum habuerunt. Nam quum homo sit a natura ens *corporale*, *spirituale* et *sociale*, pauci triplicem hunc hominis statum simul complexi sunt; deinde, alii ex *corporis*, alii ex *animae*, alii ex *politicae societatis* suprema quadam a praeexistenti lege independentia, iurium originem pertrahere conabuntur. Hinc tria systemata, ad quae cetera referuntur, universam iuris scientiam ex suis sedibus perturbant.

II. Primum est Aristippi, Archelai, Pyrrhonis, Carneadis et Epicuri, qui Graecorum insaniam inter Italos evulgavit. Hi enim, quum immortalis animi obliviscerentur, solam sensuum voluptatem insectantes, eique inservientem utilitatem, ius ac iustitiam ex sola corporea *vi*, vel *voluptate*, vel *utilitate* dimetie-

bantur. Et sane, nihil in sensibus, praeter haec tria dispicies. Eminet *voluptas*; obstacula removet vel frangit *vis*; materiam parat *utilitas*. Haec materialistis pro iure sunt vel iura constituunt, quae sola quandoque utilitate comprehenduntur:

1) Hor., *Sat.* I, 3. Atque ipsa utilitas, iusti prope mater et aequi 1).

Carneades vero, systematis consectaria evolvens, iustitiam sequi summam affirmabat stultitiam. Insanire propterea sapientem, qui naufragio vel bello ingruente, viribus imbecilliorem ex tabula vel ex equo non depellat, ut se ab undis vel ab hostibus praeripiat.

III. Egregia haec! Si enim ex corporea *vi* et *utilitate* ius elicias, non hominum societatem, sed belluarum certamina constitues. Quod si corpoream *voluptatem* pro iure inspicias, non rationalium creaturarum convictum, sed sordidum gregem efficies. Ergo, si ex vi ius, leoninam habes societatem; si ex voluptate, nefandam; si ex utilitate, truculentam vel fedifragam: humanam nullibi naturam vel societatem. Ne tamen communem naturae sensum nimis aperte offenderet Epicurus, sapientiam, honestatem ac iustitiam affirmabat: « Clamat Epicurus, non posse iucunde vivi, nisi sapienter, honeste, iusteque vivatur 2). » Pulchre quidem verbis, re autem illam praecipiebat sapientiam vel iustitiam, quae ita cupiditates temperet, ut iis diutius uti licuisset. Unde ipse Cicero: « At etiam Epicuri liber est de sanctitate. Ludimur ab homine, non tam faceto, quam ad scribendi licentiam libero. Quae enim esse potest sanctitas, si Dii humana non curant? Epicurus re tollit, oratione relinquit Deos 3). »

2) Cic., *de Finib.* I, 18.

3) *De Nat. Deor.* I, 44.

Vetera haec sunt et nova, mutatis aliquando formis vel nominibus.

IV. Stoici ex adverso, corporis voluptate contempta, equidem cuncta hominis bona, universamque felicitatem, in virtutis ac iustitiae assecutione constituere aggressi sunt; sed animam praepotenti cuidam fato subiicientes, eam in corpus iniquam, et in leges rebellem effecerunt. Nam et corpus adeo pro nihilo habebant, ut in ardenti quoque Phalaridis tauro sapientem beatum esse effutirent. Animae vero licentiam adeo extollebant, ut illam Numinibus parem, adeoque sui dominam efficerent, hominemque sibi mortem consciscere quandoque posse vel debere constituerent. Fati praepotentem vim ideo commenti sunt, ut, aliis quibusque legibus soluti, audacius mortem oppeterent.

V. Bona miscentur malis in hoc systemate. Effloruit Romae, prolabente republica, ac praeeunte Panaetio, Polybii et Scipionis Africani amicissimo. Quum enim Epicurus senatum, curias, poetas et oratores, romanam denique iuventutem ac plebem ipsam infecisset; quumque late ruerent cum libertate virtus antiqua, religio, mores ac pietas; meliores, qui tunc aderant vi-

ri, ad Stoicorum scholam, quasi ad naufragii tabulam, se receperunt.

VI. Quae societas! Lucretius quaecumque mala in religionem contulerat: « Tantum religio potuit suadere malorum. » Caesar, oratione ad senatum habita, cum animae immortalitate, poenas alterius vitae sustulerat 1). » Quod ferme praestitit Cicero in oratione pro Cluentio: equidem non ex animo, sed ut dicendi quadam novitate excelleret. Verum, quae civitas cuius auditores talibus doctrinis delectarentur! Quanta imperatores, et patritii, et exercitus, et plebs libidine diffluerent, ex poetis et historicis, praesertim ex Sallustio et Tacito conspicimus. Romanum imperium, quo non aliud gloriosis adeo incrementis toto orbe inclaruerat, Epicureorum doctrinis, potius quam Barbarorum copiis et viribus dilabebatur (*a*).

1) Sallust., *Catilin.*, 51.

VII. Sed frustra, in Epicureos et scepticos tunc Stoicorum animus insurrexerat. Nam bona et mala corporis, quod tanta est hominis pars, agresti quadam virtute contemnens, virtutem ipsam nimis arduam et fere impossibilem efficiebat. Deinde iura et officia ideis tantum metiebatur, et sola fere animi audacia ac independentia coarctabat. Sed hominem ipsum Stoici Deo anteponebant, eo quod natura iste, ille acquisitione ac merito sapiens. « Quam maximus homo, ait Seneca, inter humanas vicissitudines aeque constans ac Deus 2)! » Alibi: « Iupiter ipse diuturniori virtute potior, sed non felicior 3). » Prosequitur: « Contemnit Iupiter passiones hominum, quibus frui non potest: superior homo, qui sibi debet quod ea contemnat, quibus frui posset 4). » Quis haec iactantiae deliramenta non misereatur? Insuper Stoicorum illa acerbitas atque inhumanitas, politicae potius oppositionis erat artificium, quam morum schola ad ius naturae et gentium comparata. Adeo enim novam dominationem, antiquis institutionibus adversam, execrabantur, ut, post Cato-

2) *Ep. 53.*
3) *Ep. 73.*
4) Ibid.

(*a*) Romani epicureismi et scepticismi duplex causa: prima, polytheismus quasi Deorum effrenis sensismus, cuius foeditate mores hominum inficiebantur, dum religionis fides e mentibus facile abibat; altera, coniuratorum studia, qui, revulso Divinitatis metu et corrupta iuventute, reipublicae eversionem moliebantur. Hanc in Caesarem culpam retorquet Villemain: « Ces jeunes patriciens efféminés et sanguinaires, ces satellites de Catilina qui vivaient dans la pratique de toutes les infamies et de tous les crimes, et que les historiens nous représentent comme une bande de malfaiteurs autorisés dans Rome, ces impures héritiers des plus illustres Romains n'avaient pas d'autre doctrine qu'un épicuréisme grossier; et César qui les protégeait, et qui voyait en eux le *seminaire d'une tyrannie futura*, se servit de ces mêmes opinions pour défendre dans le senat romain la conjuration et ses chefs, il declarat que tout finissait à la mort; que l'âme et le corps s'anéantissaient à la fois, et qu'il n'y avait au delà du tombeau, ni joie ni douleur. Caton, défenseur de la liberté et des anciennes moeurs, repoussa l'opinion de César. » (Vill., *du polyteisme*).

Praeiverat Lucretius: « Religionum animos nodis exsolvere pergo. » Volterius romani aevi, fuit Lucianus. Post Numinis irrisores, populorum convulsiones vel Barbari.

nem, suicidium, quasi ultimum desperantis animae solatium, atque liberi hominis effugium, extollerent. Quae nec naturalis nec civilis est fortitudo aut virtus, neque ad iura vel imperia constituenda aut restauranda, apta dispositio. Demum Stoici hominum actiones fato subiicientes virtutem cum libertate, providentiam, iustitiam ac Deum ipsum, e cordibus, e iudiciis, e legibus propulsabant.

VIII. Tertium est systema pseudopoliticorum, qui in duas abeunt partes.

1. Alii nihil in civitate, natura sua, bonum aut malum affirmant; iustitiam, uti Iulius Caesar de republica, appellationem esse sine corpore et specie; vel non in re sed in verbo esse virtutem, quod Brutus moriens desperata voce iuclamabat. Igitur, antequam leges conderentur, nulla esse iusta vel iniusta, quae dein ex hominum placitis et conventionibus dicta sunt. Quod ex recentioribus docuerunt praecipue Spinosa, Hobbesius et Helvetius; cuius postremi haec sunt verba; « Quid est morum scientia? Est inventionum pactorumque collectio, quae ad meliorem vitam peragendam, si fieri posset, ab hominibus excogitata sunt. 1) » Nec abnuit Rousseau, in *Pacto sociali* totam societatis ac gentium compagem extruens, unde cunctorum iura emanarent.

1) *De l'homme*, ch. III.

IX. 2. Alii vero, inter cives iustitiam quamdam naturalem servandam esse fatentur, et ea ligari summos imperantes perfracte negant. Est enim Euphemii dictum apud Thucididem: « Regi aut civitati imperium habenti, nihil iniustum, quod utile. » Cui simile illud, quod refert Tacitus: « In summa fortuna, id aequius quod validius. » Hoc idem disputat apud Ciceronem P. Furius Philus, referente s. Augustino: « Nisi per iniustitiam, rempublicam stare aut geri non posse. 2) » Dictis facta consonant. Nam gentium controversiae nimis frequentes, Marte iudice, solvuntur vel secantur. Antigonus senex, alienas urbes oppugnaus, hominem irridebat illi de iustitia commentaria afferentem; et negabat Marius, ex Plutarcho, prae armorum strepitu leges a se posse exaudiri. At Caesar, Rubiconem transiturus,

2) Aug., *de Civ. Dei*, XIX, 21.

Hic, ait, hic pacem, temerataque iura reliquo 3).

3) Lucan., *Phars.* I, 227.

Iura relinquit Caesar, iura temerata a Pompeio! Candidior Achilles:

Iura negat sibi nata, nihil non arrogat armis 4).

4) Hor., *Post.*, 123.

Armatae politices exemplum habetis in Caesare: captiosae autem, fraudulentae atque ad omnimodam tyrannidem comparatae, in Nicolao Machiavellio *Principem* instituente (*a*).

(*a*) Adeo versuta ac foeda Machiavellii doctrina in libro *il Principe*, ut tyrannidis satyra nonnullis visa fuerit. Verum, satyra dum vitium laudat, vellicat et contemnendum facit; ut Parini in poemate *il Giorno* Con-

X. Prima systematis pars, iustitiam ex pactis vel humanis legibus repetens, iustitiam ipsam evertit. Unde enim iustitiae describerentur leges, nisi ex praeexistenti iustitiae fonte atque exemplari desumerentur? Unde pacti socialis ipsa vis, nisi naturae lex pacta servanda ediceret? Altera vero pars, supernae legis imperio principes et rectores subducens, imperium vertit in tyrannidem. Utraque hominem vel legislatorem pro Numine habet. Contra, unus omnium imperator et rector Deus; ideoque maiestatem eius nemo effugiet, nec subditi humilitas, nec terrena maiestas; et sicuti una omnium natura, civium scilicet ac imperantium, ita eadem iustitia uno omnes imperio contineat necesse est.

XI. Tria haec systemata, Epicureorum, Stoicorum et pseudopoliticorum, mutatis aliquatenus formis, hodiernis moribus vigent.

XII. Nam a doctrinis Epicureorum non valde absunt sensistae nuperrimi, qui malas voluptates, limitibus nescio quibus circumscribentes, tamen definiunt, gentium studia eo ferri debere, ut in maxima, quae fieri possit, divitiarum et commodorum summa conquiescant. Materiales quoque necessitates augendas esse, ut augeantur voluptates. Haec illi. Verum commoda materialia, utut laudabilia, ipsamque societatem exornent ac perficiant, si praecedat et comitetur animi virtus, et tuta sint iura; tamen, si ista negligantur, pedetentim ad materialismum vel sensualismum societatem universam deiicient. Auctis vero vitae materialis necessitatibus, verbi gratia, in vestium luxu, in edendo ac perpotando, fiet brevi, imo iam factum est, ut non expletae plebium cupiditates, in animorum aegritudinem, deinde in politicos tumultus convertantur. Huc illi pervenerunt, qui, praeeunte Ieremia Benthamo, cive anglo, politicae oeconomiae fundamentum ac finem in gentium utilitate constituerunt. Iamque *oeconomicae*, ut aiunt, *disciplinae*, materialem undique utilitatem ac voluptatem conquirentes, aequitate, animique honestate nimium posthabita, latas in nationibus edunt ruinas: quod Cicero de recenti Arcesilae et Carneadis Academia, rempublicam profligante, scite animadvertebat 1). Nam aequitas moralis, quum

1) *De Leg.* I, 13.

tra, Machiavellius graviter sententiam urget, atque in principis animum infigit. Igitur illa opinio, licet cum operis colore et ratione vix constare videatur, pia tamen, quatenus iniqua Nicolai documenta damnat ac propulsat.

Nota illa vox, quam J. Caesar ore nimis efferebat: « Nam si violandum est ius, regnandi gratia violandum est. Aliis rebus pietatem colas. »

Attamen, profundis adeo radicibus inhaeret ius, ut nemo illi hostis ex animo aestimandus sit. Quid ergo? In sophistis, rethoricae exercitationes; in ceteris imperii cupido et sitis. Machiavellistarum sententiam perstrinxit Alfierius:

A un re, pur ch'ei non paia
Colpevol, basta (*Polinice*, atto I, sc. 4).

una omnibus praesit, civium mentes colligit, firmat ac perficit. Contra vero, utilitas singulorum, quum multiplex sit, et quod alium delectat saepe alteri noceat, singulorum studia distrahet in diversa: unde concordia nulla, imo iniuriae, caedes ac bella. Hinc, si qua gens in aucupandis divitiis praefulgeat, non pariter aequitate: apud veteres Babylonia. Deinde frangitur animi vis, quae temperantia et abstinentia maxime viget, qua imperia ipsa roborantur et clarescunt. Demum, nihil magnum, sed omnia venalia ac turpia in civitatibus, modo illa semel invaserint, quae iam praedicantur a pluribus: *Gaudere* et *laetari*; pro quibus olim erat illa vox, sapientiae, aequitatis ac fortitudinis parens: *Sustine* et *abstine* (*a*).

XIII. Stoicorum austeritatem iam nemo appetit. Sed eorum *fatum*, seu ordo, seriesque causarum e natura fluens, instauratur ab iis, qui mundi cursum et libera hominum facta, necessariam et ineluctabilem naturae evolutionem ac progressum nunquam defuturum existimant. Legem nullam hominibus datam autumant, nisi illam, qua mundus physicus, plantae, bruta et sidera continentur. Homo praestantius quidem animal, sed quum sit naturae pars, in naturam ipsam reversurum, ut novam formam a natura accipiat, in alias atque alias deinde evasurus. Hi fatalistae, vel naturalistae, aliquando rationalistae, vel demum pantheistae appellantur: refellentur vero cum aliam legem entibus moralibus, aliam physicis datam esse demonstrabimus 1).

1) Huius libri lit. VIII.

(*a*) Qui ius ex utilitate, utilitatem ex voluptate dimetiuntur, *utilitarii* vel *sensistae* dicti sunt. Bentham, utilitariorum systema inter suos non excogitavit primus, sed illud invenit ac descripsit. Apud nos, in sensismum dilapsus est Gioia, nec cavit Romagnosi. Confer Taparelli, *Saggio teoretico di dritto naturale*, part. I, not. VI, VII; *Napoli* 1851, eruditum opus, inoffenso pede excurrendum, in quo nec modestiam nec rerum copiam et gravitatem desideres.

De Benthamo haec paucula, ethnicis ipsis execranda: « I sentimenti eterni ed irresistibili del piacere e del dolore, sotto l'impero de' quali la natura ha posto l'uomo, sono i due motori ai quali dobbiamo tutte le nostre idee, tutt'i nostri giudizi, tutte le determinazioni della nostra mente. — Colui che pretende sottrarsi a questa soggezione non sa che si dica. — A questi sentimenti dee dirigersi lo studio del moralista e del legislatore (*Trattati di legislazione*, t. I, c. 1, pag. 35; Napoli, 1818). » Quid ultra Epicurus? Hinc: « Epicuro solo fra gli antichi ha il merito d'aver conosciuta la vera sorgente della morale (Ibid., c. 5, p. 64). » Egregius scilicet civilitatis progressus, quo ad Epicuri lutum revolveremur!

Civilem vel politicum sensismum, ex philosophorum scholis, Lockio et Condillaco praeeuntibus, apud Italos ortum arbitramur. Ex ideis enim actiones, ex philosophia societas. Galliae, de disiecto philosophico sensismo, gratulamur: sed meminerit, Italiam principem habuisse philosophorum, Gerdilium, qui si integra fuisset lectorum mens, pestem illam e philosophicis et civilibus disciplinis arcuisset. Consule inter eius opera: *Origine del senso morale—Discours philosophiques sur l'homme—L'homme sous la loi* etc. In cunctis Gerdilii operibus thesauros habet Itala gens, quos vel nondum novit, vel alienigenarum frugibus nimis intenta, non satis exquisivit.

XIV. Tandem, illa veterum politicorum insolentia ac libido, in nostris revixerat. Illos omittimus docentes cum auctore libelli *Système de la nature:* « Quando in vitio est felicitas, vitium est appetendum. » Sed illos persequimur, modo principum, modo populorum assentatores, qui iuris fontem sive in regum, sive in populorum voluntate constituunt. Quibus utrumque pollicem premunt ii, qui *Status* quamdam divinitatem ac latriam commenti sunt, cuius nomine dicerentur iusta quaecumque sibi ipsis imperium arripientibus placita essent vel utilia. In Statu enim (sic imperium vocant), a libertatis cantoribus, iam divina humanaque iura absumuntur. Iam homo, quidquid abstracte ipsi venditent de libertate, in civili Statu constitutus, non amplius persona est sui iuris in iis quae familiam spectant, proprietatem, fidem in Deum, eiusque cultum; sed ut accidens quoddam, a Statu existentiam et formam civilem vel politicam accipiens. Politici pantheismi species, qua omnia egrediantur e Statu omniaque in eum revertantur.

XV. Habemus vetera et nova circa ius naturae et gentium false ab iis excogitata, qui ab integra et adaequata naturae humanae comprehensione recedentes, modo corporis, modo animae, modo Status absolutissimam autonomiam, seu a quavis superna aequitatis lege independentiam constituunt. Corporis vel sensuum autonomiam et principatum invenerunt Epicurei, utilitarii, sensistae, atque universim materialistae; immodicum animae dominatum, veram et moralem libertatem cohibente ipso fatalismo edixerunt Stoici, nunc vero rationalistae, vel falsi spiritualistae; imperantium demum, vel rem publicam gerentium, munus esse, non ex superiori atquae naturae indita iustitia, sed ex subiectiva quadam utilitate, iura atque officia describere, arbitrantur politici. Nemo ex his iuris naturalis fontem attingit, quia nemo germanam atque universam hominis naturam amplexus est, quatenus illa *moralis* est primum, deinde *physica* et *socialis*. In quo illi eodem laborant vitio, ac qui motus universalis legem explicaturus, centripetam vim a centrifuga seiungeret. Nobis igitur in eo maxime adlaborandum, ut hominis naturam, quantacumque est, totam simul et adaequate comprehendamus, neque corpus ab anima, neque hominem neque Statum ab hominis Creatore et summo societatis legislatore, separantes. Hoc iam a capite seu ab universali naturae rationalis lege aggrediamur.

TITULUS II.

IN MENTE HUMANA INDITA SUNT PRINCIPIA AETERNI VERI ET BONI, QUAE IN IURA GENTIUM EVASERUNT.

I. Ad quaestionem de origine idearum, quilibet error philosophicus, moralis vel politicus refertur. II. Ideae a principiis secernendae. III. Quid divinum, naturae rationali inditum, persentit natura ipsa, sed difficilius inquiritur. IV. Ratio fingitur esse a Deo vel per emanationem, vel per substantiae participationem; V. est vero per eius similitudinem, et per divini luminis collustrationem. VI. Lumen illustrans est intellectus Dei. VII. Hoc lumine, notiones naturales hominibus revelantur. VIII. Quod fit per impressionem et divini luminis immissionem. IX. Huius irraditio et certitudo declaratur. X. Pantheismus idealis, Italiae imminens, praecavetur atque praeciditur. XI. Veritas prima est Verbum, revelans *naturaliter* et *supernaturaliter*. XII. Revelatio naturalis fit per ingenita rationis principia. XIII. Inde rationis excellentia, iurium, divinae et humanae societatis initia. XIV. Hac revelantur principia *intelligibilium* et *agibilium*; XV. educatione tamen excolenda. XVI Inditas notiones, dictis aut factis expressernnt legum latores, XVII. philosophi, XVIII. ac bene moratae nationes. XIX. Cur mente et cordibus infixae. XX. Ergo societatem omnem antevertunt, hominumque pactionem, principia aequi et boni.

I. In naturae contemplatione non ultima se offert quaestio de origine idearum, ad quam demum quemlibet errorem philosophicum, moralem vel politicum referri, nemo prudens inficietur. Si enim nihil certi et boni ex se hauriat humana natura, nihil unquam veri et certi habebitur in hominum vita ac societate. Et re quidem vera, qui universalia et fixa naturae iura extenuant, ipsas in sua origine ideas adoriuntur. Quam viam aperit *rationalismus*, qui subiectivas cuiusque ideas pro cognitionum et iurium unico fonte veneratur, externa ablegata auctoritate. Subsequitur vero, Kantio duce, *criticismus*, qui intelligentiae et rationis criticam pertentans, non solum realia idearum obiecta, ut *idealismus*, in quem cito vertitur *rationalismus*, sed rationis auctoritatem, ipsiusque existentiam pessumdat (*a*). Imo idem Kantius, in Elementis Metaphysicae iurisprudentiae, perturbatricem suam methodum explicite ad legum originem convertens, universam labefactasset iurisprudentiam, nisi sensus moralis ei quandoque frena iniecisset. Cartesium excipere vellemus: sed suo illo dubio universali, etsi hypotetico, post Lutherum primus idealismi et rationalismi semina posuit.

II. De iure igitur quaerenti, prima illa se offert quaestio:

(*a*) Cognitionum humanarum critica *transcendentalis*, idest sensus corporeos trascendens, fieri aliquando potest, salvo rationis principio; critica vero eiusdem rationis fieri nullomodo potest, quin de ratione ipsa dubitetur. Quomodo enim ratiocinaris, si nec rationem, nec rationis principia retineas? Critica rationis est pirrhonismus et scepticismus. Hic Kantii error, falsaque eius methodus.

Estne indita aliqua iustitiae idea? Ut clare ac tuto incedamus, *principia* ab *ideis* secernimus. Ideae sunt imagines rerum particulares, quae actu ab homine conspiciuntur. Principia vero sunt universalia, iurium puta vel officiorum elementa, quae animae, instar habitus, inhaerent, sed actu non persentiuntur, nisi rationis lumen affulserit, eaque in casibus particularibus exerendi atque applicandi occasio sese obtulerit. Sic pietas in parentes officium est ingenitum a natura, sed illa notio nec sese exerit, neque ideam constituit, nisi vel parentum conspectus, vel saltem relatio filii ad patrem mentem incesserit. Hac posita distinctione, innatas ideas neget qui velit, dummodo ingenitas notiones atque iura fateatur: ius enim, in sua amplissima significatione, est principium vel notio intellectualis iustum ab iniusto secernens (*a*).

III. Re enim vera, divinum quiddam in hominum mentibus a natura constitutum, universum sensit genus humanum. Universalis autem rudium et sapientissimorum consensio, vox erat naturae semetipsam persentientis, imo vox Dei in natura ipsa personans, gentes quascumque edocens, v. gr., Deum esse colendum, fidem in pactis servandam, nemini nocendum, alteri benefaciendum: quae uno ore omnes gentes protulerunt. Cur vero, nisi quia notiones illas, quae iura fiunt simul et officia, Deus in universam hominum naturam, quasi aeternae veritatis ac iustitiae particulas, infudit? Sed modus, quo divina haec communicatio mentibus fit, difficilius et periculosius inquiritur.

IV. Plato hominum mentes, earumque ideas tanta admiratione est prosecutus, ut eas veluti divinae mentis effluvia describens, *emanatismi* parens habitus sit. Ultra progressi pantheistae, particulares intellectus, veras esse et substantiales universalis et divini intellectus sectiones ac partitiones commenti sunt: eiusdem igitur naturae, aeternitatis atque auctoritatis. Contra, humana divinaque omnis philosophia, rationem, qua homines sumus, ponit creatam, distinctam a Deo, eique subiectam; indelebilibus tamen veritatis et iustitiae elementis inscriptam atque obsignatam, ab ipsius creationis initio: « Et creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum 1). » 1) *Gen.*, I, 27.

V. Emanatismum et pantheismum presse refutabimus in libri huius titulo IX. Nam mens humana est limitibus circumscri-

(*a*) *Principia*, *elementa*, *notiones*, hic unum idemque esse volumus, semina scilicet veritatum atque virtutum suo tempore efflorescentia. « Insitas et quasi consignatas in animis notiones » appellat Cicero (*Tusc.*, I, 24). Idem: « In omnium animis Deorum notionem impressit natura » (*De nat. Deor.*, I, 16). Ab illis vero qui facultates tantum ponunt, quibus eadem principia naturaliter probentur et agnoscantur, petimus: Quomodo id fiet, nisi ratio humana ad illa iam esset naturaliter constituta? Alia verba, res eadem. Imo, non modo insita, quin illa rationalem constituunt naturam.

pta: ergo neque naturam, neque partem habet infiniti, quum repugnet infinitum evolvi, frangi, vel limitibus circumduci. Unde itaque illi notiones veri et boni infiniti? A divina imagine, divinoque lumine, ipsi ex divino ac plenissimo intellectu affulgente. Quod paucis evolvendum est.

VI. Ante omnia, existentia ponenda est intellectus aeterni. Etenim mentes humanae participant de veritate, aliae plus, aliae minus: sed nulla totam complectitur veritatem. Iamvero, « omne quod convenit alicui per participationem, prius est in aliquo substantialiter ». Haec propositio mathematicam refert evidentiam: quomodo enim esset participatum sine eo a quo participatio sit? Quum ergo anima humana sit intellectiva per participationem, « necesse est supra ipsam aliquem esse intellectum semper in actu existentem, et totaliter perfectum intelligentia veritatis 1) ».

1) Sanct. Thom. *quaest. De Spir. Creaturis.*

VII. Est igitur mens Dei aeterna, omnem veritatem et aequitatem originaliter et substantialiter continens: quae, ut creatas mentes suae veritatis ac iustitiae participes efficeret, eas ad sui similitudinem condidit, suoque lumine illustravit. Hoc est, rationes rerum moralium et intelligibilium mentibus inscripsit, et lumen vultus sui quo intelligerentur superaddidit. Illae igitur rationes vel notiones, quum in Deo sint *originaliter*, in homine vero *participative*; Deus solus erit veritas indeficiens, veritas *Principium*; in humana autem natura, participatio non naturae increatae, sed increatae iustitiae et veritatis (*a*).

VIII. Sed quomodo a tantilla creatura, rationes quae in aeterna mente continentur, participari queunt? Respondeo, hoc fieri posse duplici modo: *per impressionem*, et per *illuminatio-*

(*a*) Ingenitis notionibus opponit De Bonald: « Quomodo delerentur si ingenitae? Quomodo ad polytheismum delaberetur, qui inditam referret notionem unitatis Dei » (*Législation primit.*, Disc. prélim.)

Respondet De Maistre, distinguendo *notionem* ab eius *recognitione*, *affirmatione* et *applicatione*. Illa semper recta in se atque indelebilis: istae ancipites aliquando et erroribus subiectae. Sic certa est notio Dei, erronea vero eius applicatio ad creaturas. Nec mirum. Librum recte scriptum, numquid semper et omnes recte legimus? Attamen illum prae manibus et ante oculos habemus. Numquid arithmeticae rationes rite semper computamus, inimus, colligimus, subducimus? Numeros tamen probe novimus. Vide: *Soir. de s. Pètersb.* t. I, p. 147.

Huic sententiae favere visus est vir egregius De Bonald, firmius vero adhaesit immodicus semper et nimius Lamennais, necnon qui vulgo appellantur *traditionalistae*, ut rationi necessariam ostenderent extrinsecam Dei docentis auctoritatem. Nos et primaevam humani generis institutionem divinitus traditam tenemus, et intrinseca rationis iura vindicamus. Nam, nisi in ratione naturaliter laterent semina veritatum, quae externa institutione evolvenda sunt, illa institutio non possibilior esset in homine quam in brutis: siquidem, nec posset veritas percipi ab homine, nec ut suae naturae consentanea intelligi et approbari. Ipsa revelata mysteria quae rationis aciem excedunt, non essent credibilia, nisi rationi naturale esset hoc principium: Deo loquenti fides adhibenda est.

nem. Primo per impressionem illius primae aeternaeque veritatis in animas rationales, ferme eo modo, quo ex primo typo aliae atque aliae imagines evulgantur; deinde per divini luminis immissionem, sicuti ex una hominis facie plures in speculis reflectuntur imagines, illius similitudinem referentes 1).

1) S. Thom. I, q. 84, a. 5; q. 88, a. 3; *quodlib.* X, q. 4, a. 7.

IX. Ut divini luminis effusionem propius comprehendamus animadvertendum, quod, sicut in mundo physico duo visionis instrumenta occurrunt, *oculus* et *lumen*; ita duo pariter in visione intellectuali, *oculus mentis* et *lumen divinum*: « Deus enim facit intelligibilia per modum solis illuminantis 2). » Nimirum notiones quae in anima descriptae sunt, haurit intellectus dum creatae rationis oculus in increatae Rationis lumen defigitur, in qua iura illa et officia primario continentur, eodemque lumine sive in creata sive in increata ratione clarescunt. Unde, etsi suprema ac universalia officiorum lineamenta, vel facultates intellectuales, quibus illa percipio, definire vel demonstrare nescirem; tamen et rationalem intellectum me habere, et illa existere, firmiter scio, quia utraque video ac sentio. Nam, dum corporis oculum aperio et lucem aspicio, certus sum et oculum me habere, et lucem aspicere, et ea quae luce collustrantur existere. Eadem igitur certitudine afficior, dum oculum mentis convertens in me ipsum, et assurgens in Deum, illic, religionis, pietatis ac iustitiae quasi primas scaturigines intueor. Quae doctrina maximi philosophi auctoritate solidatur: « Omnis, ait ille, cognitio veritatis est quaedam irradiatio et participatio legis aeternae, quae est veritas incommutabilis, ut Augustinus dicit 3). »

2) Idem: *De Spirit. Creat.*

3) S. Thom. I, II, q. 93, a. 2.

X. Sed clarius adhuc illa est definienda luminis effusio vel irradiatio, ne quis ullam nos suspicetur habere communionem cum doctrina illa pantheistica de uno ente ideali, de uno rationis lumine, vel de una idea, quae a Germanis iam apud Italos pervagatur. De effusione itaque Augustinus: « Et cum effunderis super nos, non tu dissiparis, sed colligis nos 4). » Qua nimirum ratione sol vaporem colligit, suoque implet lumine, quin ille dissipetur, nihilque amittat, quod nos parelium dicimus; ita fere in rationales animas effunditur Deus, simulque totus in seipso subsistit. Idem quoque Augustinus increatam sapientiam et iustitiam, quae Deus est, a creata, quae intellectualis est natura, secernit accuratissime. Cum enim illam dixisset coaeternam et Deo aequalem, a qua creata sunt omnia, inquit de altera: « Sed profecto sapientia quae creata est, intellectualis natura scilicet, quae CONTEMPLATIONE LUMINIS LUMEN EST 5). » Et prosequitur extemplo: « Sed quantum interest inter LUMEN QUOD ILLUMINAT et QUOD ILLUMINATUR; tantum inter sapientiam quae creat, et istam quae creata est, sicut inter iustitiam iustificantem, et iustitiam quae iustificatione facta est. Nam et nos dicti sumus iustitia tua. Ait enim quidam servus tuus: Ut nos simus iustitia Dei in ipso 6). » Qua quidem doctrina nihil ad praecavendos errores, atque ad philosophicam amussim praeclarius vel dignius affirmari poterit.

4) *Conf.* I, 3.

5) *Conf.* XII, 15.

6) Ibid.

XI. Porro, incommutabilis Veritas, in Deo Patre subsistens personaliter, et Deus ipse, est Verbum : illa nempe « lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum 1). » Illuminat vero dupliciter. *Naturaliter,* per rectam rationem, quae est interna ac naturalis revelatio, qua omnes homines ditati sunt. Quo sensu praeclara omnia, quae a philosophis et legumlatoribus dicta vel facta sunt, a Verbo dilapsa esse tradiderunt Ecclesiae patres, qui per Platonicam philosophiam iidem ipsi ad christianam fidem perducebantur 2). Quorum sententias complexus S. Bonaventura : « Has scientias, inquit, dederunt philosophi et illustrati sunt: *Deus enim illis revelavit* 3); » naturali scilicet revelatione. Sed revelavit quoque *supernaturaliter:* primo quidem homini per seipsum, deinde per Moysem et prophetas, demum humanam ipse naturam assumens, et divinam non deserens. Ut nempe naturalia officia, caliginibus obducta, iterum renovaret, adderet nova, et lumen rationis firmiori atque ampliori supernaturalis revelationis lumine extolleret (*a*).

1) Ioan. I, 9.

2) San. Iustinus martyr, *Apologia* II, 10, 13. Origenes *contra Celsum*. VI, 3. S. Aug. *de Civ. Dei*, II, 7. Cyrillus Alex. etc.

3) *Lum. Eccl.* serm. 5.

XII. Naturalem quam diximus revelationem, per ingenita iurium et officiorum elementa, vetus tenuit philosophia. Plato quaecumque ab hominibus conspiciuntur vera et iusta, illo suo Λόγῳ. quod nos Verbum dicimus, contineri fatebatur. Nemo vero luculentius ac prope divinius quam Cicero, caelestem rationis originem, eiusque cum Deo cognationem tradere visus est. « Quid est autem, inquit, non dicam in homine, sed in omni caelo atque terra, ratione divinius? Quae cum adolevit, atque perfecta est, nominatur rite sapientia. Est igitur (quoniam nihil est ra-

(*a*) Ex eo quod omnium mentes eodem divino lumine collustrentur, non sequitur nos Deum videre, vel inde legis naturalis parem notitiam omnes percipere. Nam, obnubilato coelo, solis lumine fruimur, et solem non intuemur: ita in spirituali visione contingit, mentis acie, crassitudine corporis obnubilata et distenta. Quemadmodum vero, in eadem luce variae sunt visiones, vel pro inaequali conspicientium diligentia, vel pro diversa oculorum ac instrumentorum perfectione; ita in assequenda lege naturali. Unde s. Augustinus : « Docet nos incommutabilis Dei virtus atque aeterna sapientia; quam quidem omnis rationalis anima consulit. Sed tantum cuique panditur, quantum capere propter propriam, sive malam sive bonam voluntatem, potest. Et si quando fallitur, non fit vitio consultae veritatis, ut neque huius quae foris est lucis vitium est, quod corporei oculi saepe falluntur ». (*De Magist.*, n. 38, Op. t. I, p. 916). Et s. Thomas : « Unde Joannes, ut omnem defectum a manifestativa Verbi virtute excludat, quum dixisset, quod *Vita est lux hominum*, subiungit quod *in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt.* Non enim tenebrae sunt ex hoc quod aliqui lucem Verbi non capiunt; sicuti luce corporei solis per orbem diffusa, tenebrae non sunt nisi ei, qui oculos clausos vel debiles habet. (*Contra Gent.*, IV, 13) ». In quibus magnificentissimis locutionibus atque sententiis, hoc sedulo animadverteudum ne in nuperorum *ideale* pantheismum delabamur, quod increata illa mens divino lumine effulgens, semper a creatis intellectibus secernatur, quibus, proprie loquendo, lumen divinum non participatur neque communicatur, sed *signatur*, ut luculentissima proprietate loquitur David- « Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. » (Ps. IV).

tione melius, eaque *est in homine et in Deo*) prima homini cum Deo societas. Inter quos autem ratio, inter eosdem *recta ratio* communis est. Quae cum sit lex, *lege quoque consociati homines cum Diis putandi sumus.* Inter quos porro est communio legis, inter eos *communio iuris est.* Quibus autem haec sunt inter eos communia, et *civitatis eiusdem habendi sunt.* Si vero iisdem imperiis et potestatibus parent, multo etiam magis parent huic *caelesti descriptioni, mentique divinae* et praepotenti Deo: ut iam universus hic mundus, *una civitas communis* Deorum atque hominum existimanda. Et quod in civitatibus, agnationibus familiarum distinguuntur status, id in rerum natura tanto est magnificentius, tantoque praeclarius *ut homines Deorum agnatione et gente teneantur...* Est igitur *homini cum Deo similitudo.* Quod cum ita sit, quae tandem potest esse propior, certiorve cognatio? 1) ».

1) *De Leg.* I. 7, 8.

XIII. Nonne haec perlegens, sibi gratulatur et exultat humana mens? Eadem ratio in homine atque in Deo, recta, communis; ipsa cum Deo consociati sumus; ipsa est lex atque ius; per ipsam in una quasi civitate homines cum Deo constituuntur. Et si imperiis, quanto magis parendum caelesti illi descriptioni, mentique divinae? Et si gloriosae agnationes in civitatibus, quid gloriosius quam omnes homines teneri agnatione, gente, atque ipsa penitus similitudine Deorum? Sed aufer ingenitas notiones, et uno ictu communis illa ratio, lex, ius, divina agnatio ac similitudo simul evanescent. Illud autem in magnificentissima adeo non tam oratione quam pictura primum videtur, quod dum creata omnia divina lege reguntur, homo solus, per rationem, ipsius divinae legis ac mentis particeps efficiatur 2).

2) Cf. S Thom. I,II, q. 91, a. 2.

XIV. Si res tanta ac tam sublimis est ratio ipsa humana, ob hausta a ratione aeterna veritatum lumina; quid illis notionibus contineatur, videndum est. Duo autem rerum genera continentur. Primo, principia rerum omnium *intelligibilium*: « Natura enim, ait Tullius, obscuras et necessarias intelligentias enudavit, quasi *fundamenta scientiae* 3). » Unde a Stoicis principia illa scientiarum, gentibus communia, *prolepses*, hoc est fundamentales assumptiones appellantur; vel *data* evidentia, quibus demonstrationes scientiarumque progressus innitantur. A mathematicis vero *axiomata* dicta sunt, quae nulla indigent demonstratione, quum ipsa suo lumine fulgeant, aliisque demonstrandis, quasi admoto lumine, inserviant. Secundo, continentur principia rerum omnium moralium, sive *agibilium*: dicta propterea a Iulio Scaligero *aeternitatis semina*, vel *zopyra*, quasi nempe vivissimae scintillae in anima iacentes, et pro opportunitate veluti e silice erumpentes favillae. De quibus Cicero: « Sunt enim ingeniis nostris semina innata virtutum, quae si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret 4) » Dilucide S. Thomas, utraque complexus: « Oportet naturaliter nobis esse in-

3) *De Leg.*, I, 9.

4) *Tuscul.*, III.

dita sicut principia speculabilium, ita et principia operabilium... Unde et principia operabilium, nobis naturaliter indita, non pertinent ad specialem potentiam, sed ad specialem *habitum* naturalem, quem dicimus synderesim 1). »

1) I, q. 79, a. 12.

XV. Verum utriusque generis principia, maxime post obscuratum naturae casu intellectum, studio, labore, educatione evolvenda sunt. Nam, docente Leibnitio, notiones illae non perleguntur in anima veluti in aperto libello, vel quemadmodum praetoris edictum legitur in albo; sed mentibus inseruntur quasi Herculis statua, quam natura variis coloribus, summisque lineamentis in marmore expresserit (*a*). Iacet illa quidem naturaliter efficta atque innata, licet manus artificis ac labor ad expoliendas marmoris venas requirantur. Igitur notiones ingenitae, non arte vel educatione creantur, sed a natura traditae inveniuntur, clarescunt reflexione, disciplina et arte expoliuntur, augentur, ordinantur. Hinc, licet eadem in omnibus natura, alii tamen aliis in naturalibus disciplinis et virtutibus praestant. Nam « si tales nos natura genuisset (*genuit quidem ab initio*), ut eam ipsam intueri et perspicere, eademque optima duce, cursum vitae conficere possemus; haud erat sane quod quisquam rationem ac doctrinam requireret, cum natura sufficeret. Nunc vero (*post naturae casum*) parvulos dedit igniculos, quos celeriter malis moribus, opinionibusque depravatis sic restringimus, ut nusquam fere natura humana appareat 2). » Attamen satis primaevae lucis et iustitiae permansit, ut non inveniatur « quisquam gentis ullius qui, ducem nactus, ad virtutem pervenire non possit 3). » Quis melius naturae vim, eiusque in deterius conversionem persensit? Sed de hoc postea.

2) Cic., *Tusc.* III.

3) Id., *De Leg.* I, 10.

XVI. Quum autem ea quae naturalia sunt, ii omnes habeant, qui eamdem naturam habent, hinc adeo naturaliter indita officiorum lineamenta legumlatores consuluerunt, expresserunt gentes, philosophi persecuti sunt, ut in iura gentium evaserint. Legum itaque latores, philosophos et gentes iuris naturalis testes atque interpretes adhibeamus.

Nam, e veterum legibus non pauca, hodiernis adhuc moribus laudantur, quae earum auctores ex naturae fonte depromserant. Sed iam fere tota antiquorum laus in romano iure concluditur. Illi itaque romani iureconsulti, qui *Institutionum* initio

(*a*) Leibnitius inditas notiones appellat mentis *affectiones* sive *modificationes* iisdem obiectis respondentes, quae in Deo existunt. Ait autem: « Rerum vero a nobis acta non cogitatarum ideae sunt in mente nostra, ut figura Herculis in rudi marmore ». (Op. t. II, p. 18). Alibi eamdem repetit similitudinem (*Nouveaux Essais sur l'entend. hum.*, Avant-propos); scilicet, dum omnes ideae *actu* sunt in Deo, plures *habitu* inveniuntur in homine: quae ideo existunt quia *affectiones* et *modificationes* sunt mentis nostrae; et nondum apparent, quia, antequam mentis labor accesserit, in animo delitescunt, veluti statua in marmore delineata, non creanda ab artifice, sed expolienda.

ius naturae haud recte descripserant *quod natura omnia animalia docuit* (in bruta animantia, rationis et libertatis defectu, nec ius cadit nec iniuria); illud tamen alibi definiunt: *quod ratio naturalis inter omnes homines constituit; - quod divina providentia inter omnes homines constitutum est; - quod cum humano genere originem coepit* 1). Naturalis et romani iuris affinitatem, licet quandoque usque ad superstitionem, uterque Cocceius, aliique plurimi, declaraverunt. Nec alia sane ratione, legibus latius quam armis, Romani dominati sunt, nisi quia nulla alia gens, privata vel publica iura pressius ad naturam expresserat (*a*).

1) L. 9, ff, lib. I, tit. I; alibi passim.

XVII. Philosophi rationem pro lege habuerunt, illam modo naturam, modo Numinis imperium appellantes, Chrysippo profitente: « Principium aliud non posse inveniri, aut originem iustitiae, quam ab *Iove et communi natura:* inde enim initium duci debere, ubi de bonis malisve disserendum est 2). « Philo ait: « Rectam rationem esse legem mentiri nesciam, ut pote quae ab *immortali natura* insculpta sit immortali intellectui. » Idem esse parere rationi ac parere Deo, affirmat Hierocles in *Carmine aureo* Pythagorae: « Etenim, natura quae rationis est particeps, cum splendorem suum, suamque lucem sortita est, ea ipsa amplectitur quae divina lex statuit; *nec discrepat a Dei sententia animus, qui secundum Deum se habet.* » Tandem, quae perbrevis et gravissima est Senecae sententia: « Natura nos cognatos edidit: illa aequum, iustumque composuit: ex illius constitutione *miserius est nocere quam laedi* 3).

2 Apud Plutarc. *De stoic. Repub.*

3) *Epist.* 95.

XVIII. Sed antequam essent philosophi, vel leges conderentur, omnes gentes hoc naturali codice usae sunt. De Scytis enim ait Iustinus: Iustitia gentis ingeniis colitur, non legibus; prorsus ut admirabile videatur, hoc illis naturam dare, quod Graeci longa sapientium doctrina, praeceptisque philosophorum consequi nequeunt 4). » De primis Romanis tradit Sallustius: « Ius, bonumque apud ipsos non legibus magis quam natura valuit 5) ». De antiquis germanis refert Tacitus: « Plus apud eos bonos mores valuisse, quam alibi bonae leges 6). » Idemque Tacitus de priscis hominibus ait: « Vetustissimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere, eoque sine poena aut coërcitioni-

4) *Hist.*, lib. II, c. 2.

5) *Catilin.*, 9.

6) *De Morib. German.*, 17.

(*a*) Respectiva est laus Codicis Romani. Primus ipse inter ethnicas gentes, et facile primum romanae sapientiae documentum, cui nunc quoque iuris magistri diligentissime incumbant. Nullibi, sicut in Digestis praesertim, adeo rectae principiorum deductiones, atque ad casus singulos et circumstantias legitimae applicationes. Non tamen, si de principiis agatur, casca, nec tanta, quanta utriusque Coccei aliorumque est nostra veneratio. De praepotenti quandoque legum et formularum vi contra ius naturale, dicemus in libro secundo. Ferrea apud Romanos dominatio Reipublicae in cives, civium in familias: unde ius privatum et publicum divexabantur. Quae sequiores iureconsulti non satis animadvertentes, nec unam hactenus dederunt iurisprudentiam, nec ex evangelica aequitate, quantum potuissent, profecerunt.

bus, agebant; neque praemiis opus erat, cum honesta suopte ingenio peterentur, et ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur 1). » Haec videant qui, ante conditam societatem, homines belluino more vagantes, nec nisi per datas leges ad iustitiam pervenisse, insolentissime calumniantur (*a*).

1) *Annal.*, III. 26.

XIX. Ideo autem illas notiones et officiorum initia a natura seiungere impossibile est, quia *mente* et *corde* sunt infixa. Mente, ut ab illis inspiciantur qui rationem sequuntur; corde, ut saltem persentiantur ab iis qui rationem negligunt vel aversantur: adeo ut nemo ab illorum imperio sit evasurus. Quod recte monuit s. Paulus ad Romanos scribens: « Cum gentes quae legem non habent, naturaliter ea quae legis sunt faciunt, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in *cordibus suis*, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus aut defendentibus 2). » Ipsi sibi, ait Paulus, sunt lex: scilicet per rationem docentem vel imperantem, et per conscientiam allicientem vel retrahentem, gratulantem vel torquentem.

2) *Rom.*, I, 14, 15.

Maximi est momenti haec in mente et in corde facta legis conscriptio, Deique laudat sapientiam, qui nos sensu quodam morali ad iustitiam adducit, cum hebescit ratio, vel alio convertitur.

XX. Convincimur plenissime ex dictis « esse quoddam, quod augurantur vel profitentur omnes gentes, natura commune iustum aut iniustum, etiamsi NULLA SOCIETAS INVICEM SIT, NULLAQUE PACTIO 3) ». Altius igitur iurisprudentiae civili et politicae assurgendum, et longius quam a Decemviralibus tabulis eius origo et nobilitas est repetenda: scilicet a divinis Tabulis, verum et perpetuum naturae Edictum, digito Dei in hominum cordibus exaratum. Quod nisi efficiamus, rabularum levitatem aut versutiam, nunquam vero iureconsultorum sapientiam adipiscemur.

3) Aristot., *Ret.* I, 10. 13.

Elementa rationalis naturae conspeximus: quid ea praestent videamus.

(*a*) Spinosa naturam sine ratione considerans, iustitiam abegit quae rationi insidet. Brutorum natura delectetur, si velit: nos rationalem habemus, nec dimittimus. — Hobbes: « Iustitia erga homines supponit leges humanas, quae in statu naturae nullae sunt. » (*De Cive*, I, 102). Ideo autem nullae, quia nulla tuitio vel vis coërcitiva, nisi per leges. Sed alia res est ius cum sua naturali sanctione, alia vero res sanctio legalis vel civilis; deinde alia adhuc res est ius, alia iuris tuitio. Tandem falso asseritur ille *status naturae*, in quo nulla scripta vel non scripta adesset lex vel societas: status homini naturalis, et consequenter *status naturae* est ipsa societas, qualiscumque illa fuerit. — Kant iustitiam fatetur naturalem atque internam, sed per legem rationis definiendam, quae insuper convertenda sit in legem externam. Kantio reponimus: si iustitia naturalis in legem civilem convertatur, bene sit; secus, utpote res per se obiective subsistens, tota atque integra permanet in semetipsa.

TITULUS III.

DE LEGE NATURAE RATIONALIS.

I. Hominis relatio triplex, ad Deum, ad seipsum, ad ceteros: unde tria officiorum genera. II. Iuris fundamentum, iustitia et benevolentia. III. Collectio omnium officiorum est ipsa lex naturalis. IV. Eius existentia. V. Prima eius nota, *Divinitas*. VI. Falsa Grotii, rationalistarum aliorumque sententia. VII. Ergo omnibus praeest una lex. VIII. Altera legis conditio, *evidentia* in principiis vel in proximis conclusionibus. IX. Quomodo obscuritatibus occurrendum. X. Tertia legis nota est *universalitas*. XI. Quarta, eius *immutabilitas*. XII. Primus legis naturalis effectus: *lex, non opinio, constituit ius*. XIII. Serena est sapientia, opinio inconstans ac temulenta. XIV. Secundus legis effectus: *bona sunt per se expetenda, mala vitienda*. XV. Tertius: *obligatio*. XVI. Legis sanctio temporalis atque aeterna. XVII. Lex naturalis est vera atque absolutissima lex.

I. Divinam fere mentis vim, qua homo corporea transcendens, arripit et scrutatur aeterna, a sensibus alienum ordinem constituentia, quis non sentit in seipso? Ergo duplex rerum ordo: *sensibilium* et *suprasensibilium*. Sed rerum ordo est lex: ergo lex duplex, alia rerum materialium sive sensibilium, alia rationalium sive suprasensibilium. Utraque autem cum ex rerum natura, earumque relationibus constituatur, lex naturae rationalis ex ingenitis illis notionibus exurget, quibus entium rationalium connexiones sive relationes exprimuntur. Iamvero entium rationalium causa prima, omniumque parens, est Deus; homo autem effectus et imago Dei; nec aliquis tantum, sed omnis homo Dei imaginem referens, sibi datam personalitatem, legem, officia et iura persentiens. Ergo in rationali vel morali ordine, vertex omnium et centrum est Deus, qui eminentissima ratione originis et causae praeest omnibus, omnia gubernat, subiecta sibi ac devincta. Post Deum, homo, qui, creationis officio, illi subiicitur; ratione imaginis, ad illum convertitur. Haec prima hominis relatio: obsequium in Deum, *religio*. Sed homo divina imago, divinae legis ac maiestatis sanctuarium, in seipsum conversus, quid sibi debeat intelligit. Hinc altera relatio, hominis ad seipsum; quaedam fere religio in creatam Dei imaginem: *honestas* nempe ad semetipsum. Tandem, quae sibi debet homo, eadem et ceteris hominibus, aequalitate naturae, originis et finis. Unde tertia extat relatio: in reliquos homines *iustitia et benevolentia*. Haec rationalis ordinis summa, atque naturalium officiorum divisio et capita: *religio* in Deum; *honestas* in seipsum; in omnes homines *iustitia* et *benevolentia* (a).

(a) Officia *iustitiae* dicuntur *perfecta*, quatenus iuridicam vel externam legum sanctionem accipiunt. Officia vero *benevolentiae* dicuntur *imperfecta*, non quod minori vi polleant, sed quod externam coactionem effugiant, et imperio solius naturae pareant. Utraque ex eo proficiscuntur,

Licet Bohemero iustitiae officia ad societatem sufficere visa sint, constat tamen, spretis benevolentiae et humanitatis officiis, nullam vitae pulchritudinem, nec pacem, ac propterea nec societatem in familia, vel civitate, vel imperio consistere. Nam, sine mutuo amore, hominum corda rigescerent, iustitia sine humanitate saevior evaderet, spretaque benevolentia inimicitias, iurgia et iniurias adduceret. Rectius Cicero, omnes *naturali quadam indulgentia et benevolentia*, tum etiam *societate iuris* contineri e-
1) *De Leg.* I, 13. disserens 1). Seneca vero: « Quam angusta innocentia est, ad legem bonum esse! Quanto latius, officiorum quam iuris regula! Quam multa, pietas, humanitas, liberalitas, iustitia, fides exi-
2) *De Ira*, II, 27. gunt, quae omnia extra publicas tabulas sunt! 2). » Ideoque, nisi ad scriptas leges, lex amplior naturae accedat, « ubi liberalitas erit, ubi patriae charitas, ubi pietas, ubi aut bene merendi de altero, aut referendae gratiae voluntas poterit existere? Nam haec nascentur ex eo quod NATURA PROPENSI SIMUS AD DILIGENDOS
3) *Cic. De Leg.* I, 15. HOMINES: QUOD FUNDAMENTUM EST IURIS 3). »

III. Collectio officiorum, ex triplici, illa relatione, tum ex ingenitis notionibus erumpentium, LEX NATURALIS appellatur: quae propterea est lex omnium amplissima, ceterarumque fons et exemplar, quum ex ipsa proficiscatur ratione omnia moventis et gubernantis Dei.

IV. Haec lex existit. Nam, ut iam demonstrata colligamus, 1. Existit lex aeterna, sive ratio summi Dei. 2. Per ingenitas cuiusque veri bonique notiones, illa in mentibus et in cordibus hominum inscripta est, unde vere ad omnia iustitiae et benevolentiae officia movemur et conditi sumus. 3. Illam quasi in libro lucis aeternae perlegentes, mente conspicimus, eiusque imperium toto animo persentimus, dum ad officium vocat, vel a fraude deterret. 4. Illam, vitae ducem, nondum scriptis legibus, secutae sunt benemoratae gentes, ubique, et semper. 5. A Deo, qui vere unus est auctor, unus rector, unus imperator, regendi atque imperandi auctoritatem, legumque aequitatem se desumere professi sunt quotquot populis vel gentibus iura scripserunt: 6. Revera, amoto summo imperante, nihil est unde imperandi vim homines hauriant, natura ceteris hominibus pares; et similiter, sublata aeternae iustitiae rectitudine, et mensura, nullum erit exemplar ad quod hominum leges rectae et iustae efformentur et dicantur. 7. Quemadmodum si movens primum quiescat, inferiores motus conticescunt; ita, prima auctoritate, prima iustitia, primaque lege ablegata, totius humanae auctoritatis, iustitiae, legumve fons exsiccetur necesse est. Et consequenter hominum societas, quae auctoritate regitur, quae iustitia et legibus revincitur, extemplo dissolvetur.

quod ceteri homines non *media* nobis sint ad propositos fines assequendos, sed nobis similes et aequales, iisdem nempe iuribus, eademque natura pollentes.

Quae omnia legem aeternam humanae naturae vel participatam atque existentem, vel saltem necessariam ostendunt. Si existentem, res confecta est. Si homini necessariam, ut natura sua vigeat, ceterisque copuletur ad quorum societatem conditus est, illa quoque existit, cum Deus in necessariis non deficiat.

V. Notae legis naturalis hae sunt: *divinitas, evidentia, universalitas, immutabilitas.*

Prima est eius *divinitas*. Nam 1. vel iustitia est quid absolutum, aeternum, simulque divinum; vel purum atque inane hominum figmentum. 2. Vel ratio humana est divinae rationis haustus sive transcriptio, vel a brutorum instinctu nullo modo discriminanda. 3. Vel humanae leges a divino quodam imperante derivantur, cuius imperium in homines dilabatur; vel ut vaferrimorum commenta habendae sunt atque expellendae. En quot amoveantur, amota legis divinitate! Quam rationalis naturae cladem vel ipsi ethnici apprime intelligentes, naturae legem *divinam, sempiternam, summi Iovis rationem et imperium* appellare consueverunt. In quae respiciens Tullius: « Hanc igitur, ait, video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, nec scitum aliquod esse populorum, sed AETERNUM QUIDDAM, quod universum mundum regeret, imperandi prohibendique sapientia..... Nec si, regnante Tarquinio, nulla erat Romae scripta lex de stupris, idcirco non contra illam legem *sempiternam* Sextus Tarquinius vim Lucretiae, Tricipitini filiae, attulit. Erat enim *ratio profecta a rerum natura*, et ad recte faciendum impellens, et a delicto avocans: quae non tunc denique incipit lex esse cum scripta est, sed tum cum orta est: *orta autem est simul cum mente divina*. Quamobrem lex vera atque *princeps*, apta ad iubendum et ad vetandum, RATIO EST IPSA SUMMI *Iovis* 1). » Cum ergo humana iura siluerint, ipsa permanebit, atque ad omnia quae iusta et sancta fuerint, ipsa pertinget lex sempiterna, lex profecta a rerum natura, lex vero, lex princeps, et ratio summi Dei: qua Deo consociamur, eiusque stirps et genus constituimur, dum eidem subiicimur (*a*).

1) *De Leg.*, II, 4.

(*a*) Participatione divinae legis, ratio humana ad sublimiora evehitur, iisque delectatur, suam recognitans dignitatem. Synesius, platonicus, et quinti saeculi episcopus, rationem inducit sibi gratulantem:

Gutta coelestis
Effusa sum in terram. (*Hymn.* III, v. 713, 714).

Legislatores, ipsique imperantes, haec salubriter perpendant: « Quod, homines existentes, potestatem adepti sunt divinam, ut res honestas et divinas instituant; sermone autem humano utantur. » (PHILIPPUS rex, apud STOBAEUM, serm. 40). Totaque ordinata et recta erit civitas, si cives magistratibus, magistratus legibus, leges autem pareant aeternae legi Dei. Sed neque legum praesidio indigere hominem ut ad divina contendat, et sapiens ac beatus efficiatur, si se veluti Divinitatis simulacrum perspexerit, visum est Ciceroni; inquit enim: « Nam qui se ipse novit, primum aliquid sentiet se habere divinum, ingeniumque in se suum, sicut simulacrum aliquod, dedicatum putabit: tantoque munere Deorum semper dignum aliquid

VI. Quae si vera sunt, 1. falsum est quod docuit Grotius, humanae nimirum rationi, etiam a Dei ratione divulsae, suam manere imperandi vim. Numquid enim radius sine sole permanebit atque illucescet? Numquid ramus sine radice, rivus sine fonte? Recte aiebat Cicero: « Satis enim nobis, si modo in philophia aliquid profecimus, persuasum esse debet, si omnes Deos hominesque *celare possimus;* nihil tamen avare, nihil iniuste, nihil libidinose, nihil incontinenter esse faciendum 1). » Sed *Deos celare* significat timorem poenae, non legis atque obligationis fontem removere. 2. Falso rationis autonomiam adeo extulerunt rationalistae, ut eidem per se summam adscripserint imperandi vim : quum enim nemo imperet sibi, nec ratio rationi imperabit, nisi ipsa referat legem superioris, hoc est iubentis ac imperantis Dei. 3. Falso, quandoque regibus, quandoque populis, absoluta a divinae legis imperio, iuris constituendi facultas collata est. « Quod si populorum iussis, si principum decretis, si sententiis iudicum iura constituerentur; ius esset latrocinari, ius adulterare, ius testamenta falsa supponere, si haec suffragiis aut scitis multitudinis probarentur. Quae si tanta potestas est stultorum sententiis atque iussis, ut eorum suffragiis rerum natura vertatur : cur non sanciunt, ut quae mala perniciosaque sunt, habeantur pro bonis et salutaribus? Aut cur cum ius ex iniuria lex facere possit, bonum eadem facere non possit ex malo? At qui nos legem bonam a mala, nulla alia, nisi NATURAE NORMA, dividere possumus 2). »

1) *De Offic.*, III, 8.

2) Cic., *De Leg.*, I, 16.

VII. Est igitur naturae lex, ut in OEdipo ait Sophocles, « excelsa, coelitus data, cusus solus Deus pater est. » Cui si contraire humanus legislator ausus fuerit, nihil efficiet; quippe cui et populi et imperantes subiiciantur necesse est, si iusti esse velint. Quae demum societatem omnem vel pactionem antecesserit, « utpote quae saeculis omnibus ante nata est, quam scripta lex ulla, aut quam omnino civitas constituta 1). »

3) Cic., *De Leg.*, I, 6.

VIII. Altera legis conditio est *evidentia*. Equidem ratio tenebris caligat, opinionibus distrahitur, novisque in dies cupiditatibus offunditur. At divinum lumen, nisi extinta rationali natura, non extinguitur; eoque permanent evidentia atque indelebilia, quae diximus prima principia rerum intelligibilium atque agibilium, uti hoc: *Alteri ne facias, quod tibi factum nolis.* Similiter proximae, quae inde fluunt conclusiones, uti: *Ergo non occidendum, non furandum.* At non aequaliter sua luce clare-

et faciet et sentiet: et, cum se ipse perspexerit, totumque tentarit, intelliget quemadmodum a natura subornatus in vitam veneri, quantaque instrumenta habet ad obtinendam adipiscendamque sapientiam : quoniam, principio, rerum omnium, quasi adumbratas intelligentias, animo ac mente conceperit: quibus illustratus, sapientia duce, bonum virum, et ob eam ipsam causam cernet se beatum fore. » (*De Leg.*, I, 22). Quis, inter Gentiles, suavior ac sublimior naturae interpres atque apostolus?

sunt eae conclusiones, quae longiori argumentationis filo deducuntur; sicut plurimae iurium quaestiones, quae a morum magistris in utramque partem exagitantur. Insuper plurima, abstracto et universali iudicio, quod *synderesis* appellatur, evidentia sunt; non vero in applicationibus ad casus particulares, in quibus mens, seu *conscientia*, practicum iudicium instituens, vel falsa argumentatione illuditur, vel cupiditatibus irretitur.

IX. Hisce infirmae et saepe caligantis naturae vitiis occurrimus: 1. Mentem a praeconceptis vel depravatis opinionibus expurgando, quae vel sapientes excaecant et in praeceps agunt. 2. Ad rectae rationis partes, quae plurimae adhuc perstant, pro viribus accedendo. 3. Animum a cupiditatibus ad honestatis sensum extollendo, ut ea, quae bona sint, iusta, laudabilia, ultro et prompte cogitantibus nobis vel agentibus occurrant.

X. Tertia legis nota vel conditio, est *universalitas*: quae duplex est, *res* et *personas* continens. 1. Res. Nihil enim, quod sit rectum et sanctum, naturae originaliter rectae et sanctae non congruere potest. Imo eadem natura « nobis notas res efficit, easque in animis nostris *inchoavit*, ut honesta in virtute ponantur, in vitiis turpia 1). » Ad omnes personas, loca et tempora, lex naturalis extenditur. « Etenim ratio, qua una praestamus belluis, per quam coniectura valemus, argumentamur, refellimus, disserimus, conficimus aliquid, concludimus, *certe est communis*: doctrina differens, discendi quidem facultate par. Nam et sensibus eadem omnia comprehenduntur, et ea quae movent sensus, itidem movent omnium: *quaeque in animis imprimuntur inchoatae intelligentiae, similiter in omnibus imprimunt* 2). » Qua Ciceronis argumentatione refellitur Montesquieu, aëris terraeque varietatibus nimis indulgens: quae, utcumque in affectus influant, substantialiter non scindunt in diversa humanam naturam, cuius omnia membra eiusdem iuris societate continentur.

1) *Cic. De Leg.*, I, 16.

2) Ibid., 10.

XI. Quarta legis nota, *immutabilitas*. Leges pure humanae, quum spectent hominis accidentalia, cum illis immutantur. Iussa vero naturae, quum substantiam hominis penitus afficiant, nisi mutata natura, nunquam mutabuntur: illa autem absumpta, adhuc in ratione aeterna manebunt, cuius eadem iussa sunt forma et conditio indeficiens. Unde Cicero, ut solet, dilucide atque elegantissime: « Huic legi nec obrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec vero aut per senatum aut per populum solvi hac lege possumus. Neque est quaerendus explanator aut interpres eius alter. Nec erit alia lex Romae, alia Athenis; alia nunc, alia posthac. Sed omnes gentes et omni tempore, una lex et sempiterna et immutabilis continebit: unusque erit communis quasi magister et imperator omnium Deus. Ille legis huius inventor, disceptator, lator. Cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernabitur. Hoc ipse luet maximas poenas, etiamsi caetera supplicia, quae putan-

tur, effugerit. » Hactenus Cicero, libro III de Republica, apud Lactantium, qui raptus hominis sapientia exclamat: « Quis, sacramentum Dei sciens, tam significanter enarrare legem Dei possit, quam homo longe a veritatis notitia remotus expressit? 1). »

1) Lact., *Divin. Inst.*, VI, 8.

XII. Exposita legis natura, ejus effectus persequamur. Primus est quod *lex ipsa per se, non hominum, non populorum opinio constituat ius.*

« Nihil enim est praestabilius, quam plane intelligi nos ad virtutem esse natos, NEQUE OPINIONE, SED NATURA CONSTITUTUM ESSE IUS 2). « Frustra igitur novi quidam homines, *mundum* opinionibus regi, opinionem ut reginam venerari, opinionibus populorum adblandiri, eisque inservire, in effatis et in moribus habeat. Quod quid est aliud quam imperium in famulatum convertere, bonorum et malorum fines miscere, aequitatem, virtutem, sapientiam exscindere? Ergo ad naturae atque imperiorum aequitatem seligendae sunt populorum opiniones, regendae sapienter, fere nunquam frangendae, sed nec caeco impetu nec servili obsequio amplectendae. Quid enim valeat populus, ex Cicerone, homine scilicet populari, discamus: « Populus sine comparatione probat; esse melius non sentit; illud quod est, quale-lecumque est, probat 3): » Idem: « Sic est vulgus: ex veritate pauca, ex opinione multa aestimat 4). » Expressius: « Populus non delectu aliquo aut sapientia ducitur ad iudicandum, sed impetu nonnumquam, et quadam etiam temeritate. Non est enim consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia 5). » Hic nempe erat romanus ille populus, *late rex*, qui in publicis rebus agendis, a saeculis exercebatur; in quo tamen semper aderat, quasi naturae loco, « varietas, inconstantia, et crebra tamquam tempestatum, sic sententiarum commutatio 6). » Quid demum, non plebeculae, sed quandoque saeculorum corruptae opiniones et falsa oracula ferant, etsi non ex Augustino pientissimo vifo ediscceremus, cuius illa est sententia « corrumpere et corrumpi saeculum vocatur »; illa edicet vel ethnicorum sapientia, quae fortissimorum virorum illud statuebat insigne:

2) Cic., *De Leg.* I, 10.

3) *De Clar. Orat.*

4) *Pro Rosc.*

5) *Pro Planc.*

6) *Pro Domo sua.*

> .... Tenuisse animum contra sua saecula rectum,
> Altius et vitiis exseruisse caput.
>
> (OVID., *in Consol. ad Liviam*, v. 45.)

XIII. Quum ergo ad imaginem Dei, serena et constans sit sapientia, virtus et iustitia; non a concitatis vel fluxis populorum opinionibus erit quaerenda. Sed primo ab ea lege cuius vis « non modo senior est quam aetas populorum et civitatum, sed aequalis illius, caelum et terram tuentis et regentis Dei 1). » Deinde ab illa quieta et constanti natura, quae, cupiditatibus soluta, non turbas agit, sed incumbit honestati et sapientiae, cum quadam animi reverentia. Equidem legis est persuadere, non omnia vi et minis urgere; nonnulla quandoque ferenda in

7) Cic. *De Leg.*, II, 4.

civitate ad vitanda peiora; aliaque a latere potius quam a fronte oppugnanda. Verum, ut monet Cicero plus apud nos ratio valeat, quam vulgi opinio 1). » Siquidem « gravior et validior est decem virorum bonorum sententia, quam totius moltitudinis imperitae 2). » Illudque evidentissimum, rectores populorum constitui, ut eos iustitia regant, non ut ab iis eorumque opinionibus regantur.

1) *Paradox.* I.

2) *Pro Plancio.*

Senecae distinctio in populum *togatum* et *non togatum*, nos longius adduceret.

XIV. Alter est legis naturalis effectus, ut *quae ipsa iubeat, utpote per se bona, propter se, suaque vi sint appetenda; quae autem vetet, mala, et reiicienda.*

« Per se igitur ius est expetendum et colendum:... ut qui virtutem praemio metiuntur, nullam virtutem nisi malitiam putent.... Quod si amicitia per se colenda est, societas quoque hominum, et aequalitas, et iustitia per se expetenda. Quod ni ita est, omnino iustitia nulla est: id enim iniustissimum est, iustitiae mercedem quaerere.... Profecto, si propter alias res virtus expetitur, melius esse aliquid quam virtutem, necesse est 3). » Igitur qui iustitiam sequitur propter utilitatem, utile praefert honesto; isque negliget leges, easque perrumpet si poterit, quando hoc sibi utilius contingat. Deinde, animae excelsae et fortium pectora, heroica virtus et patriae charitas deficient, ubi quisque non sectetur communiter iusta, sed sibi utilia; inhaereat sibi, atque ad amorem virtutis, quae, etiam indotata, res est caelestis, quasi divino afflatu non extollatur. Ex adverso, vilescunt corda et imperia, cum munia privata et publica cupide apprehenduntur, et ad singulorum utilitatem ministrantur.

3) Cic. *De Leg.*, I, 18, 19.

XV. Tertius legis effectus est *obligatio sive moralis necessitas, qua rationales urgentur creaturae ut morali ordini pareant, eiusque sanctioni subiiciantur.*

Nam omnia entia natura sua ligantur: circulus ut sit rotundus, sol ut luceat, gravia ut in centrum ferantur. Ergo et moralia, ut moralem legem sequantur: ideoque rationalis intellectus, ut rationabilia intelligat; voluntas, ut bona moralia appetat; libertas, ut quae ab intellectu demonstrata sint bona, libere eligat; vis motrix, ut ea exequatur et actu compleat. Similiter, ut naturae, idest rationi contraria, removeantur. Equidem suae animo et corpori sunt cupiditates rationi adversantes: sed eo ipso quod rationali naturae adversantur, naturae sunt corruptiones vel infirmitates, adeoque cohibendae vel expellendae.

XVI. Necessario quoque sua pollet iudiciali et coelesti sanctione haec obligatio. Etenim, non tam iudiciis hominum, quae vel multifariam nulla sunt vel falsa, quam conscientia, scelesti poenas luunt: ut eos agitent atque insectentur furiae, non ardentibus taedis, sicut est in fabulis, sed angore conscientiae, fraudisque cruciatu. Quae temporalis sanctio, alterius aeternae angu-

rium est et inchoatio. Eamque pollicetur Numinis iustitia, providentia et sanctitas; eam testatur vox divina, hominum cordibus insonans, benefactis praemia, male autem factis poenam reposcens; eam invocat imbecilla hominis natura, ad virtutum quaeque ardua, gaudiorum spe erigenda ac sublevanda; eam exposcit praesens impiorum non rara felicitas, bonorumque miseria et aegritudo, nec non iudiciorum civilium impotentia vel corruptibilitas. Imo, neque ulla in terris, sublata alterius vitae sanctione, erit quies vel felicitas. Quis enim inermem tuebitur a praedone, qui nec testem timeat nec iudicem, nisi lex Dei, eiusque sanctio sempiterna?

XVII. Si colligantur exposita, verae et summae legis notionem constituent. Est enim lex: *Ordinatio rationis, lata a summo legislatore, ad bonum commune, subditis promulgata, et sanctione communita.* Atqui eminenter haec omnia in lege naturali continentur. Etenim 1. est *ordinatio rationis*, imo ipsa ratio, aeterna in Deo, transcriptaque in homine. 2. *Lata a summo legislatore*, nempe a Deo, qui non cuiusdam communitatis, sed universae hominum societatis imperium et curam habet. 3. *Ad bonum commune*, ad ordinem scilicet universae naturae, atque ad ineundam cum Deo, ceterisque hominibus, iuris societatem. 4. *Subditis promulgata*, dum indelebilibus signis, mentis cordisque tabulis exarabatur. 5. Demum *sanctione communita*; imo ipsa humanis legibus sanctionem affereus; quum praemia et poenas rependere ad aequalitatem, humani legislatoris interdum et nimis frequenter excedat potestatem (*a*).

(*a*) Quaesitum est, num lex naturalis dispensationem accipiat. Nullam in iis quae intrinsece atque independenter a Dei voluntate mala sunt, ut in blasphemia, sacrilegio, periurio. Aliquando vero, per Dei concessionem, in iis quae Dei subiecent imperio, ut in Isaaci sacrificio. (*Gen.* XXII, 9.)

TITULUS IV.

LEGIS APPLICATIO AD ACTIONES HUMANAS: EARUM ENTITAS, MORALITAS, IMPUTATIO ET CANONES.

1. Lex naturalis, homini et societati est applicanda: homini primum. II. Humanarum facultatum magistrae, lex et conscientia. III. Entitas actionis, quid et quanta. IV. Entitatis canones. V. Actionis moralitas, eiusque primus canon. VI. Declaratur prima canonis pars. VII. Declaratur altera. VIII. Canon secundus. IX. Moralitatis elementa: *obiectum*; X. *finis*; XI. *circumstantiae*. XII. Quid imputatio. XIII. Prima est a conscientia. XIV. Quid, ne actio deputetur ad culpam. XV. Quid, ut vertatur in laudem et praemium. XVI. Aeternae legis imputatio. XVII. Iniuriae vel peccata, non omnia ex obiecto vel subiecto sunt aequalia. XVIII. Demonstratur. XIX. Stoicorum, atque Protestantium mens et consilium. XX. Virtutum et vitiorum discrimina natura ipsa constituit. XXI. Primus imputationis canon. XXII. Canon secundus. XXIII. Regulae servandae cum iura iuribus opponuntur. XXIV. Aeternae legis, aeterna est imputatio.

I. Quam invenimus lex, *homini* primum, deinde *hominum societati* est applicanda, ut ius privatum et publicum aequa fronte ducamus. Horum unum praeseus, alterum sequens titulus conficiet (*a*)

II. Facultate *intelligendi, volendi*, libereque *eligendi*, Deus hominem instruxerat, ne qui rebus ceteris dominabatur, seipsum in dominatu non haberet. Ne tamen a reliquis universitatis partibus differret, neve libertas in licentiam abiret, *leye* illum et *conscientia* communivit; quorum illa lineam signaret quam nefas esset transilire, altera ipsum de non transilienda moneret, vel de transilita iam coargueret. Illa itaque quaedam veluti norma ac libella, haec ejusdem applicatio; illa iudex, haec praeco. Hinc tota moralitatis natura et constitutio, humano institutori vel iudici exquisite perpendenda, quum de actionum imputatione fiat quaestio. Sed nec de moralitate nec de imputatione aequa et tuta erunt iudicia, nisi ab actionum entitate exordiamur.

III. Entitas actionis humanae est actio ipsa in suo esse naturali constituta, iisque elementis continetur, quibus actio ipsa perficitur. Haec elementa sunt *intellectus, voluntas, libertas*. Tanta igitur erit actionis entitas, quanta fuerit intellectus cognitio, appetitio voluntatis, et soluta a vi, timore, vel praevenientis passionis aestu electio libertatis.

(*a*) Quae hoc titulo persequimur, de actionum humanarum analysi, natura physica, morali, earumque imputatione et quantitate, iuris privati et publici consulto apprime sunt pervestiganda; tunc potissimum cum poenae vel praemia ad iustitiae aequalitatem sint rependenda. Hanc provinciam, prae ceteris, accuratissime versant theologi, quibus interni fori iudicia demandantur. Sed et criminalis quoque prudentiae periti: qui tamen quasi aliena, nos autem ex officio illa pertractantes. Vide Renazzi, quondam Romani Athenaei antecessoris, *Elementa iuris criminalis*, lib. I, cap. 3.

IV. Hinc 1., si *plene* desit primum vel tertium, si nempe nulla sit vel intellectus cognitio vel eligendi libertas, plene deficiet actionis humanae entitas: eritque, deficiente intellectu, actio *hominis*, non *humana;* deficiente vero libertate sub violentissima et plena coactione, erit passio, non actio. Illae enim tantum actiones humanae dicuntur et sunt, quae ab homine proficiscuntur, praelucente et consulente intellectu, deliberante atque eligente voluntate.

2. Si alterum deficiat, *appetitio* scilicet *voluntatis*, ut in iudice qui metu impulsus, iniquam quam detestatur sententiam efferat, stat actio humana, minor tamen in sua naturali quantitate.

3. Si ignorantia aut inadvertentia, vel praeveniente cupiditate, aut non absoluta violentia, minuatur exercitium libertatis; tantundem detrahetur ex actionis entitate. Ratio est, quia subtractis vel imminutis substantialibus, desinit vel imminuitur actio humana.

V. Sic constituta actio si ad legem conferatur, eius convenientia vel discordantia a lege, *moralitas* appellatur. De qua hic primus habetur canon: *Tanta est actionis moralitas, quanta eius entitas vel voluntarius entitatis defectus.*

VI. Hominis enim moraliter agentis, illud est totum et solum, quantumcumque sit, quod ex eius intellectu, voluntate et libertate proficiscitur. Hinc quum timore compulsa voluntas, voluntas adhuc sit, compulsa quidem, sed se quoque compellens ut minas effugiat, ea quae metu fiant, in genere morum computantur. Haec autem si intrinsece mala sint, uti blasphemia vel periurium, nullo metu excusabuntur. Male itaque docet Puffendorfius « cogi nos duplici modo: uno, quando alius valentior, per violentiam nostra membra ad aliquid agendum vel patiendum adplicat; altero, si potentior grave aliquod malum cominus intentet, nisi ultro nos ad aliquid faciendum moveamus aut a faciendo abstineamus. » Quo posito principio, concludit: « Is qui eam nobis necessitatem affert, pro auctore facinoris habebitur, nobis autem imputari non poterit 1). » Perperam hic a Puffendorfio metus cum violentia confunditur. Violentia cum sit a principio extrinseco, corporis membris inferri potest, nihil conferente qui vim patiatur. Sed actus volendi et nolendi, quum ad intrinsecam voluntatis activitatem pertineat, nec vi nec timore, nisi consentiente voluntate, extorqueri possunt. Recte Seneca: « Corpusculum hoc, custodia et vinculum animi, huc atque illuc iactatur: in hoc supplicia, in hoc lenocinia, in hoc morbi exercentur. Animus quidem ipse sacer et aeternus est, et cui non possunt inici manus 2). » Ergo si timore in scelera rapiatur, ipse est animus qui legi praefert iniquitatem. Unde s. Bernardus de Petri lapsu: « Negare nolebat, sed magis nolebat mori: itaque invitus quidem, sed negavit tamen ne moreretur..... Haec plane voluntas reprehensione digna fuit, quia corporis magis quam animae voluit servare vi-

1) *De Off. hom. et civ.*, lib. I, c. I, § 24.

2) *De Consol.* XI.

tam 1). » Stat igitur actio, cui tantum subtrahitur de moralitate, quantum deest de libertate.

1) *De Grat. et Lib. Arb.* cap. XII, n. 38.

VII. Ex altera canonis parte, *voluntarius entitatis defectus* non aufert penitus moralitatem. Sic qui *affectate* ignorare vult ut male agat, etiam legem ignorans, totam incurrit actus moralitatem; minorem tamen, qui ignorat *simpliciter*, et quidem pro negligentiae quantitate.

VIII. Canon secundus: *Moralitatis elementa sunt obiectum, finis et circumstantiae.*

IX. 1. *Obiectum.* Nam voluntas per liberam appetitionem atque electionem, obiecta bona vel mala quasi ad se attrahit, iisque adglutinatur. Unde Augustinus: « Talis est quisque, qualis eius dilectio est. Terram diligis? Terra eris. Deum diligis? Quid dicam? Deus eris? Non audeo dicere ex me. Scripturas audiamus: *Ego dixi, dii estis, et filii Altissimi omnes* 2). » Insita igitur obiecto concupito bonitas aut pravitas, in concupientem animam illabitur.

2) *Tract. II. in Epist. I. Ioan. n. 14.*

X. 2. *Finis.* Hic in humanis actibus latius dominatur, et quasi principatum habet. Quaecumque enim sint obiecti qualitates, extra nos sunt: quamvis dum illud amare incipimus, ei similes efficiamur. Finis vero ex penitissima agentis anima proficiscitur, totamque exprimit eius malitiam vel bonitatem. Nihil mirum igitur, si in rebus quarum indifferens est obiectum, tota actus moralitas ex fine et circumstantiis coalescat. Sic deambulatio, si valetudinis causa exerceatur, bona erit; si ad struendas inimico insidias, mala. At quae ex obiecto mala sunt, quidquid politici effutiant, nullo honesto fine cohonestari possunt: quum finis non tanta sit vis, ut obiecta per se mala efficiat bona. Periurium erit, etsi in salutem innocentis dirigatur. Quae autem ex obiecto bona sunt, ex fine bono fiunt meliora, ex malo mala. Sic tributum pauperi subsidium ad illum a latrociniis et caedibus revocandum, utroque ex capite optimum; ad largitatis famam aucupandam, vel quod peius, ad pauperem in iniqua facinora pelliciendum, turpe et iniquum. Imo actio quaevis ex malo fine, adhuc mala erit, licet forte in bonum exitum evaserit. Quod Pheraeo Iasoni contigisse narrat Valerius Maximus: cum enim quidam Iasonis exitii cupidus, cum inter insidias gladio percussisset, « vomicam quae, a nullo medicorum sanari potuerat, ita rupit, ut hominem pestifero malo liberaret 3). » Quis, alioquin tam utile facinus, in aequitatis vel humanitatis officia conscriberet?

3) Val. Max., I, 8, ext.

XI 3. *Circumstantiae.* Circumstantia est accidens quoddam moraliter afficiens actum humanum in suo genere atque natura iam constitutum. *Aggravantes* vel *extenuantes*, in iudicium adducantur: sunt enim morales unius eiusdemque actionis partes, plurimumque refert, an quis scienter vel ignoranter, sponte vel

coacte, plena an praecipiti impetu intercepta advertentia, intense vel remisse fecerit. Hoc autem versiculo comprehenduntur:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

XII. Actio, quam hactenus contemplati sumus, ex suo esse *naturali* et *morali* coalescens, res est agentis, eum ligatum habet, eique imputatur. Est igitur imputatio *iudicium, quo actio humana, ad meritum vel demeritum, ad laudem vel vituperium, ad praemium vel ad poenam, auctori suo adscribitur.*

XIII. Prima imputatio fit ab agentis conscientia. *Antecedens* conscientia iudicium fert de actione suscipienda, et definitur *actus intellectus, dictans quid hic et nunc amplectendum sit vel fugiendum. Consequens,* iucunda est vel acerba factorum recogitatio, domesticum tribunal, vitae balsamum aut venenum, mentis angelus aut furia, in recte factis solamen, vel miserrimum inter fortunata scelera supplicium. Mens enim quae legem tenens, statuit se in illam agere velle aut iuxta illam, statim et suae actionis fit conscia, et eam totam sentit sibi cum sua bonitate vel iniquitate esse adscribendam. In hunc finem, intimum adeo tribunal institutum est a natura: neque mens *culpabiliter* ignorans, vel errans, vel alio se convertens, hoc inhabitantis Divinatis tribunal et iudicium effugiet vel evertet.

XIV. Duo hic proponuntur: 1. Quid, ne actio deputetur ad culpam; 2. quid, ut in laudem vel in praemium vertatur.

Ad 1. Ne actio deputetur ad culpam, necesse est 1. ut conscientia illam innocentem iudicet, certis vel *prudentibus* saltem argumentis innixa; 2. ut rationi vel legi repugnare nullo modo velit; 3. ut error sit invincibilis, si forte errare contingat. Nam certum vel saltem prudens dictamen de actionis honestate, rationalem decet creaturam: quae, nisi praeclarissimas recte agendi et prudenter iudicandi facultates, in re omnium maxima, scilicet in moribus, adhibeat, seipsam et Creatorem contemnet. Si autem legis, etsi putatitiae, violationem decernat, iniquum vere animum in legislatorem ostendet. Unde: « Dicendum, quod simpliciter omnis voluntas discordans a ratione sive recta sive errante, semper est mala 1). » Ergo qui rationem contemnit vetantem vel precipientem, etsi errantem, mente contemnit praeceptum Dei; eiusque fit criminis reus, quod animo gesserat. Sed ex adverso, non omnis mala actio imputationem effugiet, quae ut bona habita sit; verum illa tantum quae *invincibiliter* ut talis habita fuerit. Sic, ut *blasphemum, et persecutorem, et contumeliosum,* se Paulus fatetur, imo illum omnium manibus Stephanum lapidasse dicitur ab Augustino, *etsi ignorans* (non invincibiliter) *in incredulitate fecerit 2);* et illi deicidii crimen in seipsos intulerunt, qui, *si cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent 3).*

1) S. Thom. I, II, q. 19, a. 5.

2) I. *ad Timoth.* I, 13.

3) I. *ad Corinth.*

XV. Ad 2. Ut actio bona sit, necesse et 1. ut vere talis sit undequaque, ex obiecto scilicet, fine et circumstantiis. 2 Ut pro tali ab agente dignoscatur atque appetatur. Duplex siquidem in una eademque actione, bonitatis elementum: bonitas rei, et bonitas agentis.

XVI. Sed, ut ut imputationis iudicium conscientia efferre cogatur in semetipsam, illud, si recte incedat, non sibi ipsa effingit, verum ex illa haurit curia, cui aeterna lex praeest, aeternus iudex et legislator. Quidquid enim peccat homo vel in se vel in alios, in aeternam peccat legem, quae ubique ordinem conservari iubet, perturbari vetat. Inde vero quum omnis fluat auctoritas, omnis lex, omniaque constituantur iura; nulla eorum fiet violatio, quae in illam divinam ac principem legem non referatur.

XVII. Quod cum verissimum sit, illud quoque certissime constat, virtutes et vitia, suo quaeque modo ac disparatissimo, ad illam unicam et simplicem iustitiam referri. Dum enim lex una et simplicissima in humanam illabitur naturam, pro diversis rerum naturis hominumque relationibus, diversa edicit iura atque officia; iisdemque virtutibus ac vitiis suas species et gradus constituit. Male igitur Stoici, quibus cum idem prope esset peccare et lineam transilire; id autem cum quis fecisset, quam longe progrederetur, ad augendam culpam nihil conferre putarent; omnes iniurias aequales esse docuerunt. Quare non minus eum delinquere qui gallum gallinaceum, cum opus non esset, quam qui patrem suffocaret (*a*). Miserum adeo a Zenonis schola ad haereticorum pagellas translatum errorem, Lutherus et Calvinus Protestantibus suaserunt, contendentes peccata omnia *natura* esse, quamvis *non imputatione*, aequalia. Scilicet quacumque legis transgressione eamdem inesse perversitatem ac turpitudinem, quae reprobis quidem adscribatur aequissimo Dei iudicio, non imputetur praedestinatis liberalissima eius misericordia.

XVIII. Ludunt Stoici. Nam linea a linea differt: aliaque vetat ne verbum, aliaque ne gladium in hominem iaculeris. Vario quoque modo et gradu eamdem lineam transilies. Assem furatus, iam lineam transilisti; sed ultra, si alios atque alios furaberis. Ea ratione, qua « tanto magis a veritate receditur, quanto maior est falsitas 1). » Hinc « quid absurdius, quid insanius dici potest, quam ut ille qui aliquanto immoderatius riserit, et ille qui patriam truculentius incenderit, peccasse iudicentur aequaliter? Aut si propterea sunt paria quia utraque delicta sunt, mures et elephantes pares erunt, quia utraque sunt animalia; muscae et aquilae, quia utraquè volatilia 2). » Praeiverat Horatius:

1) S. Thom *contra Gentes*, III, 139.

2) S. Aug., *Ep. ad Nect.*, 104.

> Nec vincet ratio hoc, tandundem ut peccet idemque,
> Qui teneros caules alieni fregerit horti,
> Et qui nocturnus Divum sacra legerit 3).

3) *Sat.*, I, 3.

(*a*) Vide Tullium, *Paradox.* III; *de Finibus*, IV, 27; potissimum vero *Orat. pro Murena*, qua stultissimum commentum salsissime ridet.

Habes diversitatem ex obiecto. Sed alia est quoque pro diversitate agentis vel subiecti: « In omni iniustitia permultum interest, utrum perturbatione aliqua animi... an consulto et cogitato fiat iniuria. Leviora enim sunt quae repentino aliquo motu accidunt, quam ea quae meditata et praeparata inferuntur 1). » Quam sapientiam, poenarum codices et magistratus perspectissimam habent.

1) Cic. *Off.* I, 8.

XIX. Stoicos et Protestantes uno ictu defiximus, licet Protestantes ipsi iam a parentum doctrina recesserint (*a*). Sed rerum causae et analogiae quaerendae sunt. Stoicorum doctrina utebantur qui inter ipsos aderant politici, ut factionum tempore qui lineam transiliissent, uti Rubiconem Caesar, usque ad finem urgerentur. Atqui pari consilio, sed profundiori errore, Protestantium magistri ducebantur. Ipsi quoque fatalismum invexerant, ut se suosque morali freno exsolverent. Deus, aiebant, per originale peccatum fracta hominum libertate, ex deperdita omnium massa quosdam praedestinavit ad gloriam, reliquos ad poenam: illis omnia aequaliter imputantur in bonum, istis omnia aequaliter in malum. Systematis perniciem alias persequemur 2); nunc animadvertisse sufficiat, subversam esse a Protestantibus moralitatis et imputationis oeconomiam, atque in desperationem omniumque vitiorum genera actum, iactura irreparabili, genus humanum. Ecclesia, in comitiis Tridentinis, anathemate perstringendo novatorum perversitatem, liberum hominis arbitrium, cui tota superstruitur civilium et moralium disciplinarum compages, provide atque invicte tuebatur (*b*).

2) Huius lib. tit. XII.

XX. Ergo virtutum vitiorumque discrimina, species et gradus, natura ipsa constituit: ex qua actionum varietate, moralitatis atque imputationis varietas proficiscebatur. Imputatio autem sequentia complectitur.

XXI. 1. *Imputatur actio ipsa, cum sua* SPECIFICA *vel* NUMERICA *moralitatis quantitate, qualis fit ex* OBIECTO, FINE *et* CIRCUMSTANTIIS. Moralitas *specifica* eadem est si in eadem specie, sed variis gradibus, contineatur: moralitas vero *numerica* tanta est quot distincta iura violantur. Sic, si alterius vitam cum tuae vi-

(*a*) Protestantes, quandoque reformati vel reformetores dicti sunt, sed potius dicendi erant *reformandi*. Revera, Lutherus reformatur a Calvino, Calvinus a Zwinglio etc., ita ut usque ad hanc diem Protestantismus non duos habeat auctores vel ministros, quorum unus alterius doctrinam veluti integram atque irreformabilem accipiat. Uti mulieres capillos aut vestes, ita Protestantes religiosa dogmata vel ritus reformare quotidie vel quavis hora in moribus habent. Quotidie ergo reformatores et quotidie reformandi.

(*b*) Tridentina Synodus, cum docuisset, Sess. VI *de iustific.* c. 1, « liberum arbitrium minime extinctum, viribus licet attenuatum et inclinatum, » decrevit, can. V. eiusdem sessionis: « Si quis liberum hominis arbitrium, post Adae peccatum, amissum et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a Satana inductum in Ecclesiam, (*quae affirmabant Protestantes*;) anathema sit. »

tae periculo defendisti; vel inimicum non modo interemisti sed discerpsisti, atque insuper ut Homericus Achilles ante patris oculos raptasti; charitatem in primo casu, in altero scelus in eadem specie cumulasti. Contra, si unica falsi criminis narratione, familiam vel congregationem proscidisti; quot personae sunt, tot distincta iura violasti, totidemque numerice te criminibus devinxisti.

XXII. 2. *Imputantur malae actionis vel omissionis effectus, qui, utpote in pluribus secuturi, praevideri potuerint ac removeri debuerint.* Homo enim, quod rationis est particeps. per quam consequentia cernit, causas rerum videt, earumque progressus et quasi antecessiones non ignorat, vitae cursum perpendere ac parare tenetur. Hinc licentioso scriptori illa imputantur morum venena, quae in legentes illabuntur; legentibus vero, quae ex lectione hausta sit animi infirmitas vel tempestas. Hinc quoque dum adolescendi praesens iam imputatur studiorum oscitantia vel negligentia, illi quoque ea damna imputabuntur, quae ex sua culpabili ignorantia clientes manebunt. Est enim naturalis coniunctio inter causas et effectus. Contra si agens, hanc eventus cum actu necessitudinem perspicere non potuerit, vel actus ipse et eventus, raro vel in paucioribus coniuncti sint, non recte ei, qui causam posuerit, effectum pariter adscribemus.

XXIII. Iura quandoque iuribus, leges legibus occurrunt. Tunc si omnia simul servari nequeant, 1. legem maiorem praeferes minori, naturalem, puta, simpliciter positivae. 2. Ius tuum aequale, caeteris paribus, alieno iuri antepones. 3. Ius tuum, cum aequali vel fere aequali alterius damno, nunquam servabis: quare, furi non eris auctor ut alienum agrum diripiat, ut tuum indemnem habeas; imo nec ut furetur ditiori in conspectu pauperioris, excepto casu, quo ditior damnum illud, sibi respective leve, pati teneatur. 4. Parato ad maius damnum, non minus consules, absolute loquendo: nam et maius et minus in eadem sunt specie. Poteris tamen obfirmatum et pervicacem, ut malum imminuat, exorare: ut rapiat aliqua, non omnia incendat; verberibus agat, non occidat. Miseri enim causam utiliter agis. 5. Quae naturaliter iniusta sunt, nulla iuris specie tueberis vel perficies. Sic, iniustae causae non patrocinaberis, etsi de victoria certus fueris. Quem scias innocentem, quique iuxta falso allegata et probata, publice reus appareat, iudex, nunquam de re gravi damnabis. Nam ius innocentis quod tibi constat, apud te praevalet externo ordini iuris. Quid ergo ages? Rem deferes ad superiorem. Si non adsit vel non audiat? Nihil intentatum relinques, falsos vel deceptos testes testibus oppones, actores vel accusatores assidue terrebis et fatigabis, inducias pones; demum si nihil prosit, et de capite vel alia re maxima agatur, te magistratu abdicabis. Nam, certare pro iustitia, gloriosum est; illam vel invite praevalere, semper iniquum. Ius enim a Deo, sanctum, inviola-

bile, aeternum: quaeque ille non imputaverit, atque imputari repugnent, quomodo ab homine, qui eius vices gerit, imputabuntur?

XXIV. Erit igitur, sicut humanarum legum divina lex, ita humanae quoque imputationis divina imputatio forma et exemplar: hoc uno excepto, quod alia pro tempore, alia fit pro aeternitate, quum illic sit immortalis lex, immortalis iudex, immortalis anima, quae, expleto viae cursu, ab indicto semel iudicio ne excidat in aeternum, ipsa efficit aeternitatis conditio, nullam in sempiternum aevum mutationem receptura.

TITULUS V.

LEX NATURALIS, IN HOMINUM SOCIETATE, FONS EST AEQUITATIS, FUNDAMENTUM LIBERTATIS.

I. Ius fons est aequitatis in singulis atque in universis. II. Aequitas legum est earum aequalitas cum lege aeterna. III. Una aequitas, a qua humanae leges aequitatem accipiant. IV. Legum humanarum conditiones. V. Fons aequitatis et auctoritatis, solus Deus. VI. Vetus et nova iurisconsultorum schola regibus et populis blandita est. VII. Turbato aequitatis fonte ipsae leges et regna turbata sunt. VIII. Regenda, non cogenda natura. IX. Libertas *personalis*, *civilis*, *politica*. X. Prima in servando iure et decore personali sita est. XI Secunda, in iure civium ad cives. XII. Tertia, in iure civium ad imperantem, et vicissim. XIII. Qui paret legi, sive *rationis ordinationi*, liber est. XIV. Voluntas ex se, arbitrium non lex. XV. Duplex legis elementum. XVI. Humana ratio, vel voluntas, legem non efficient. XVII. Lex et libertas amice consociantur. XVIII. Imperantium et populorum mentes, ad legem aeternam sunt convertendae.

I. Quemadmodum in singulorum, ita in publico universorum ordine, IUS FONS EST AEQUITATIS, FUNDAMENTUM LIBERTATIS.

II. Aequitas est aequatio rei cum mensura ad quam refertur. Igitur aequitas legum humanarum est illarum aequatio cum lege naturae rationalis, quatenus ipsa haustus est vel similitudo aeternae legis Dei. Qua igitur ratione lex aeterna est fons aequitatis in Deo, lex ipsa naturalis est fons proximus, a quo sibi suisque legibus vel actionibus aequitatem hauriant homines eorumque legumlatores.

III. Hinc, absolute loquendo, quemadmodum unus est iustus, unus sanctus, unus imperator omnium Deus; ita aequitas una, unum ius, una lex: « Est enim unum ius, quo devincta est hominum societas, et quod lex constituit una: quae lex est recta ratio imperandi atque prohibendi 1). » Consequenter « illud stultissimum, existimare omnia iusta esse, quae scripta sint in po-

1) Cic., *Leg.*, I, 15.

pulorum institutis aut legibus 1). » Et « multa quidem perniciose, multa pestifere sciscuntur in populis, quae non magis legis nomen attingunt, quam si latrones aliqua consensu suo sanxerint. Nam neque medicorum praecepta dici vere possent, si quae inscii imperitique pro salutaribus mortifera conscripserint. Est ergo lex *iustorum iniustorumque distinctio, ad illam antiquissimam et rerum omnium principem naturam, ad quam leges hominum diriguntur* 2). » Praedixerat autem ipse Tullius, leges populorum, quum una sit summa lex, *favore magis quam re*, hoc nomine dictas fuisse: adeo ut nihil auctoritatis nihilque iuris habeant in seipsis, nisi ab illa principe lege acceperint.

1) Cic., *De Leg.*, I, 15.

2) Id., *De Leg.*, II, 5.

IV. Sequitur ex praefacto principio, ad legum humanarum vim et aequitatem, haec requiri essentialia: 1. Ut ferantur a superiore, in quem a Deo, totius auctoritatis fonte, regendi et ligandi facultas conferatur. Nam, si unum est ius, una auctoritas, una regendi et ligandi vis in Deo existens, quis erit rector, quis legislator, nisi Deus fecerit? (*a*) 2. Ut naturali et divinae aequitati apprime congruant, ex cuius similitudine quaeque honesta fiunt et diiudicantur. 3. Ut in commune societatis bonum convertantur. Ideo enim legislatores dati sunt, ut Providentiae ancillentur amice et fideliter, ad universorum ordinem et felicitatem. Si lineam transgrediantur, ius quoque et auctoritatem. Unde Augustinus: « Mihi lex esse non videtur, quae iusta non fuerit 3). » Quis vero iudex inter subditum et legislatorem? Privatum examen, universae societatis fundamentum dissolvens, imperantis nempe auctoritatem, non invehimus; sed neque rationalem naturam solo auctoritatis pondere obruimus, ubi illa auctoritas manifeste iniqua praecipere audeat. Tunc enim iusta et sanctissima fiet illa vox: « Non possumus. » In dubio autem de legis aequitate, sicut praesumptio stat pro possessore, ita etiam pro superiore; quum insuper, multae legum rationes pateant legislatori, quae inferiores latent (*b*).

3) *De Lib. Arb.*, I, 5. *De Civ. Dei*, XIX, 21.

(*a*) Terrenam veneramur maiestatem, eique ex Dei voluntate atque imperio libentissime subiicimur. Sed quis, sine Deo, rex vel imperator? Hinc poeta:

Re della terra sei:
Ma, innanzi a Dio chi re?

Atque extemplo:

Saul, rientra
In te: non sei che coronata polve.
(ALFIERI, *Saulle*, att. IV, sc. 4.)

(*b*) Privato examine, lex privatae cuiusquam rationi subiicitur, prout visum fuerit, accipienda vel reiicienda. Nullaque propterea cum privato examine societas componi potest, ne ipsa quidam democratia: qua, si leges populi indigent approbatione, hac obtenta, nulla privata ratione vel voluntate infirmantur. Reiiciendum igitur examen privatum veluti legum et auctoritatis excidium. Hoc probe constituto, sequentia decernimus, rationi consona et necessaria. 1. Leges servandae, quae nihil iniusti habent,

V. Si aequitatis et auctoritatis fons, unus est legis et naturae auctor Deus, ergo non principes, non populi, non societas hominum, non status vel imperium, pro summa legum vel iurium ratione et mensura habendi sunt. Quo errore, duplex hominum genus peccaverat. Primum ii, qui imperandi vim ex iure divino auspicabantur; deinde ii, qui ex populorum sententia ac voluntate. Illi, ius divinum exaggerantes, homines adeo Caesaris, quasi Dei, mancipabant voluntati, ut quidquid Caesari placuisset, lex esset: hi eadem plebeculis assentatione blandiebantur. Illi monarchiam populis odiosam effecerunt: hi populares dominationes verterunt in tyrannidem.

VI. Taedet dicere: non rubularum, sed frequens iureconsultorum schola in utroque illo errore, olim apud Romanos, postea vero apud omnes fere gentes, versabatur. Romani iureconsulti, modo Rempublicam, modo Imperium, pro iurium et aequitatis mensura venerati sunt. Posteriores iuris magistri, qui ex illa veteri schola in dies prodibant, principis voluntatem pro iure habere consueverunt: sive ille esset Henricus VIII Angliae, sive Carolus V Hispaniarum, sive Ludovicus XIV Galliae rex. Tandem, versa vice, cum nova ferret opinio, imperia non principibus sed populis a Deo impertiri, philosophi et iurisconsulti, iunctis dexteris, divinum ius, imo iuris fundamentum, in populos transtulerunt. Non semper quidem et theoretice, sed factis plerumque et sophisticis cavillationibus, quae iustitiae et aequitatis magistros nimium dedecebant. Inde antiquae illae et novae leges profluxerunt, quae religionem vexant, primum rationalis animae ius et officium; familiam et proprietatem vellicant, socialistis et communistis viam parantes; aliaque, natura distincta, miscent vel torquent.

VII. Hinc multa malorum seges. 1. Cum aequitatis fons ex Deo in principes translatus fuerit, ex principibus in populos, ex populis vero in quosdam, qui se populorum venditabant actores et reformatores, magis magisque a naturali societatis iure recessum est; atque inde legumlatorum turba exsurrexit, qui imaginariam sibi hominum societatem effingentes, eam arbitrariis legum vinculis minus regendam quam fatigandam susceperunt. 2. Novae leges, non ex aeterna sed ex futili et ambulatoria hominum voluntate descriptae, leves atque inanes extiterunt, eaque vi, aequitate et pondere destitutae, quorum sola natura est capax. 3. Inde populorum despectus, non iniquarum tantum, sed omnium fere legum ab eadem auctoritate manantium; imo eiusdem

etsi ratio legis non appareat. 2. In dubio de legis iustitia, praesumptio stat pro legislatore, cuius ratio est amplior, et cum auctoritate coniuncta. 3. Si legislator humanus ea iubeat, quae naturali vel divino iuri opponantur, in his nulla eius vis est vel auctoritas; illudque recurret, quod Petrus et apostoli Iudaeorum principibus reposuerant: « Obedire oportet Deo magis quam hominibus. » (*Act. V.* 29.)

auctoritatis, quae adeo leviter vel insipienter leges legibus cumulabat. Quod hac aetate praesertim contigit, qua imperiti homines ex trivio vel officina repente legislatores facti, prolatis vel scriptis apicibus se mundum renovaturos arbitrati sunt, nescientes etiam in re honesta serendos esse mores, deinde leges. 4. Nunquam maior fundamentalium, ut aiunt, regnorum constitutionum multiplicitas, fragilitas et casus; nec maior unquam regnorum simul et populorum fluctuatio, infirmitas ac dolor. Cum regna caeperunt dici *constituta*, tunc facto dissoluta sunt. Cur vero, nisi quia a natura recesserunt? Ita namque omnia condita sunt, ut nunquam vexari desinant, donec ad naturam revertantur. Porro hominis eiusque societatis natura ea est, ut, reiectis hominum figmentis, ad aeternae aequitatis rationem plene instituatur, ut suas libere exerat facultates, suisque iuribus et officiis sincere ac libere laetetur et quiescat (*a*).

VIII. Ergo, ut medicorum ars ad physicam hominis natu-

(*a*) Condendarum legum inexplebilem cupiditatem, toti fere Europae philosophi illi ingesserant, quorum in conspectu scripserat Fridericus II: « Nullam maiorem pestem provinciis immitti, quam gubernantes philosophos. » (*Dialogues des morts par le roi de Prusse*). Signum extulit Catharina II, anno 1767, quae Volterii divinis pene laudibus efferebatur. Borrussiani codicis prospectus, Catharinae tributus, qui tamen Parisiis conscriptus videbatur, Rousseavium sapit. Tam multas et varias Borrussiae gentes, unica legum forma compellere, ridiculum videretur, nisi in aperto esset philosophorum ardor et perseverantia in populis non tam regendis, quam suis legibus conterendis. Generalia comitia, re infecta, quasi turris Babelica, sequenti anno dissolvebantur. Eamdem ingrediebatur viam Fridericus II: prussianus tamen codex, forsan, illo in vivis agente, lucem non aspexisset. (Cf. HALLER, *Ristaurazione della scienza politica*, t. I, c. VII, 6). Inde leges Iosephinae, Leopoldinae et gallicae sequebantur.

Codices non improbamus, laudamus Caesarem quod « Ius civile ad certum modum redigere, atque ex immensa diffusaque legum copia, *optima quaeque et necessaria* in parcissimos conferre libros » animo decreverat (SVET., *in Caes.*, 44). Sed modum improbamus. Natura enim simplex, codices implicatissimi. Quot ex una mala definitione, iurgia et lites? Natura expellitur; societas ad legumlatorum artem constituitur. Hioc in codices sapientissimorum quaerelae: quas acriter in medium attulit DE SAVIGNY in dissertatione *De saeculi huius vocatione quoad legislationem et iurisprudentiam*. Iis *codificatio* visa est: « scientiae mors, ingenii ostracismus, morum nationalium excidium, repudium traditionum, libertatis oppressio, capivitas iustitiae atque humanitatis. »

Sint haec ex codicum vitiis: sed vitia existunt in *re* et in *forma*. Codices enim non raro sunt iuris naturalis et divini repudium atque excidium, cui non aliud reponas, nisi: legislator dixit. Quoad formam vero, fiunt rabularum et litigantium emporium et officina. Aiebant olim, romanis imperatoribus tyrannidis instrumenta codices extitisse: nunc ne fiant philosophicae tyrannidis instrumenta, avertat Deus.

Aptiorem optimis condendis legibus formam esse in monarchia animadvertit Romagnosi. Sed, quaecumque sit regiminis forma, nos id volumus cum Cicerone « ut, quoniam vitiorum emendatricem legem esse oportet, commendatricemque virtutum, ab ea vivendi doctrina ducatur. » (Cic. *De Leg.* I, 22). Iamvero, ut crimina quandoque coërceantur, leges advigilant populorum; ut autem a civibus virtutes excolantur, ubi vel quomodo efficiunt?

ram est exigenda, ne pro salutiferis mortifera conscribat; ita legum condendarum scientia nunquam a naturali aequitate discedat. Et sicuti medicamentis utimur tantum ad necessitatem, ita legibus est agendum. Non enim maior spes sanitatis in legibus quam in medicamentis; alioquin omnium est temporum illa sententia: « Corruptissima republica, plurimae leges 1). » Siquidem in physicis et in moralibus colenda est naturae vis, non cogenda. Cogitur autem a circulatoribus, sive hi medici sint, omnibus sanitatem venditantes vel pollicentes; sive politici aut legumlatores, se suis legibus, quasi pastillis et potionibus, populorum felicitatem confectaros audacter asseverantes. Credentibus populis, quid pro felicitate ingesserint, videmus. Cum naturali aequitate, populorum libertas ex uno fonte prosiliunt, ut eadem lex naturalis sit *fons aequitatis* et *fundamentum libertatis*.

1) Tacit., *Ann.*, III, 27.

IX. Triplex libertas: hominis ad seipsum, civium ad cives, civium ad imperantem. Scilicet *personalis, civilis* et *politica*.

X. Homines quum simus, non belluarum libertas, sed moralis est appetenda. « Ad DECUS et ad LIBERTATEM nati sumus 2). » Qui libertatem a decore separant, fractum et foedum animum ostendunt. Decus autem est in virtute, et virtus in lege naturae rationalis, qua recendentes a belluis, accedimus ad Deum. Igitur quatenus homo, « liber est is aestimandus, qui nulli turpitudini servit 3). » Sive « qui recta sequitur, qui gaudet officio, cui vivendi via considerata atque provisa est; qui ne legibus quidem propter metum paret, sed eas sequitur atque colit, quod salutare maxime iudicat 4). » Ille nimirum est liber in seipso, qui obfirmato consilio se bonum esse deliberans, omnia honesta ac laudabilia, non coacte, sed libenter ac libere sequitur. Eadem ratione, qui sanus esse vult corpore, libenter a noxiis cibis se abstinet, ac delectatur innoxiis. Uterque vero in dies amplieri libertate fruetur, quia maiori semper nisu et delectatione feretur in bona, magisque a vitiis et infirmitatibus, quae animi vel corporis incolumitati officiunt, convalescet. Sed hunc finem obtinent viri honesti, legis amore et prosecutione: ergo fons libertatis pro unoquoque homine est lex. Idemque pro civili et politica libertate.

2) Cic., *Philipp.* 12.

3) Cic., *ad Herenn.*

4) Cic., *Paradox. prooem.*

XI. Quemadmodum enim ex hominum, ita ex iurium et officiorum collectione, *Civitas* constituitur. Quae officia et iura ut simul consocientur non vero confundantur, unaquaeque in sua veluti sphaera ita exercenda sunt, ne alia aliorum libertati noceant. Ergo libertas civilis eo usque exercetur, quo ius alienum inveniat. Si lineam transilias, alienam coërces libertatem, unde et tua similiter erit coërcenda. Deinde, sicut tua tibi iura reddenda sunt, ut tibi tua constet libertas, et tu reddes aliena. Itaque ius est, quod lineam signans, omnem definit ac tuetur libertatem, quae civium ad cives respectum habeat.

XII. Libertas politica, quae versatur inter cives, eorumque rectores, aequali ratione aestimanda est. Nam, sicut liberi sunt

cives inter se, quum unusquisque suis exercendis iuribus et officiis nullum impedimentum *accipit*, neque ipse *infert* aliis; ita in politica societate. Ibi enim duplex officiorum genus: imperantium et populorum. Consequenter duplex sphaera, in qua libere illa exerceantur. Ergo utrique liberi, si imperantibus et populis libera officiorum suorum detur facultas: quod fiet si quae populis iusta sunt, principes reddant; et vicissim quae Caesaris sunt, populi imperantibus retribuant. Nam cum ex utraque parte, et debita et iura existant, unde coalescunt officia; libertas erit politica, si illa tum iura, tum debita, reddantur ad aequalitatem. Haec vero in qualibet regiminis forma, quae non sit dominatio hominis in hominem, sed iuris sive legis in omnes, tuto reddi possunt. Ea igitur ratione qua princeps, si iniqua iubeat vel agat in populum, politicae libertati inferret iniuriam; ita quoque populus si iura principis aggrediatur. Ergo, utcumque pro gentium moribus discrepent iuris politici adiuncta, necesse est ius a natura esse constitutum, quod imperantium et populorum officia secernat, omnibus dominetur, omnes in officio contineat: in cuius observantia, hinc et inde, sit imperiorum et gentium aequitas simul et libertas, in contemptu vero sit politicae aequitatis et libertatis iniuria.

XIII. Hinc lex humana, instar naturalis et divinae, est ex Tullio: « *Recta* imperandi prohibendique *ratio*. » Enucleatius vero ex Aquinate philosopho: « *Ordinatio rationis*, ab eo qui curam communitatis habet promulgata 1). » Si omnis vera lex est *ordinatio rationis*, ergo 1. nulla hominum vel imperiorum vis quidquam valide in rectam atque ordinatam rationem iubebit; 2. ergo homo, se illi subiiciendo, liber erit. Nam et Deus suae rationi paret, et libertatem non amittit. Homines autem, rationi obsequentes, suae naturae et Deo auctori, potius quam hominibus parent: quae est animi magnitudo non humilitas nec servitus.

1) Cf. S. Thom., I, II, q. 90, a. 1-4.

XIV. Nunc si conceptum *rationis* eiusque *ordinationis*, ex aeterna ratione deductae, a lege civili vel politica removeas, quid pro humanae legis substantia remanebit? Illa percelebris romanorum iurisperitorum sententia: *Quod principi placuit, legis habet vigorem*. Quae, licet rectam suscipiat interpretationem, tamen imperfecta est, nimiaque putet assentatione. Nam vere quidem, sine voluntatis actu, lex non existeret, quae est actus volentis et imperantis; sed nisi ordinatio rationis praecesserit voluntatis imperium, hoc erit arbitrium non lex: « Voluntas ad hoc quod legis rationem habeat, oportet quod sit *aliqua ratione regulata*. Et hoc modo intelligitur quod voluntas principis habet vigorem legis; *alioquin voluntas principis magis esset iniquitas quam lex* 2). »

2) S. Thom., I, II, q. 96, a. 1.

XV. Ergo lex humana duplici constat elemento: 1. rationis ordinatione; 2. imperantis voluntate.

XVI. Attamen ratio quae homini insidet, qua talis, ultra individuum cui inhaeret, nullum exercet imperium. Omnium autem rationes quum et ipsae sint personales, itemque personales

sint omnium voluntates, nullum externum et universale imperium constituent. Igitur ut legis universalis et politicae existentia, vis et imperium habeatur, summa Dei ratio est perquirenda, eiusque voluntas, ordinem societatis conservari iubens, perturbari vetans: cui rationi et voluntati, hominis imperantis ratio et voluntas conformentur, ut obligandi vim accipiant. Leges itaque humanae « si quidem iustae sunt, habent vim obligandi in foro conscientiae a lege aeterna, a qua derivantur, secundum illud Proverbiorum VIII: *Per me reges regnant, et legum conditores iusta decernunt* 1). »

1) S. Thom., I. II, q. 96, a. 3.

XVII. Hac ratione, lex et libertas, imperium et obedientia amice consociantur; imperantium, simulque subditorum officia, suis vere sedibus reponuntur; suaque societati ac humanitati dignitas firmatur et constat. Ex tunc enim non hominis voluntas in hominem dominatur: non pactis hominum subiicimur, qui licet in unum collecti, adhuc homines sunt; sed omnes continet ratio ex Deo genita, ac ipse Deus, cui servire libertas est. Ex tunc leges atque imperia suam pandunt originem, decus et vim: quae omnia ex Deo proficiscuntur, supremo societatis conditore, legislatore et gubernatore. Scilicet, hoc uno conceptu, imperia a violentiis abstrahuntur, atque aeternae legis ministerio nobilitantur. Illudque fit quod aiebat Chrysippus: « Omnium divinarum humanarumque rerum regina est lex. »

XVIII. Quod cum ita sit, principum et populorum mentes sunt ad aeternam legem convertendae: ut illi aequa decernant, hi autem quae decreta sint, libenti ac reverenti animo exequantur. « Serendi etiam mores, nec scriptis omnia sancienda 2). » Sint iura civilia et particularia: nec enim omnia et pro omnibus adiunctis ordinat lex naturalis. Sit lex Falcidia, Iulia, Aquilia; sint ius praetorium vel constitutiones principum. Sed in omnibus, Deo digna ferat humanus legislator, ut illis digne, veluti Deo, homines subiiciantur. Quod fiet, si illud divinum ius quod in humanam translatum est naturam, sincere atque integre in societatem transferatur (*a*). Nam vigebit populorum libertas cum decore, si gentium mores et imperiorum leges ad universam naturae aequitatem componantur.

2 Cic., *De Leg.*, I, 6.

(*a*) Non legibus tantum, sed dictis factisque publicis, omni arrepta occasione, a civilibus viris, a legislatoribus et sapientibus, naturae officia universamque iustitiam in gentes esse transferendam, iisque suadendam, vere et graviter praecipit Cicero: « Cumque se ad civilem societatem natum senserit, non solum illa subtili disputatione sibi utendum putabit, sed etiam fusa latius perpetua oratione: qua regat populos, qua stabiliat leges, qua castiget improbos, qua tueatur bonos, qua laudet claros viros: qua praecepta salutis et laudes apte ad persuadendum edat suis civibus: qua hortari ad decus, revocare a flagitio, consolari possit afflictos: factaque et consulta fortium et sapientum, cum improborum ignominia, sempiternis monumentis prodere. » (*De Leg.* I, 24.) Haec si a rectoribus, si a civibus fiant, naturalia et civilia officia pleno gurgite in gentes prosilient.

TITULUS VI.

IN OFFICIIS ET IURIBUS DEFINIENDIS, PRAESENS NATURAE STATUS EST PERQUIRENDUS.

I. Praesens naturae conditio, ante iura et officia, est definienda. II. Est ne integra natura? III. Aequissimae ne ejus volitiones et iudicia? IV. Monenda ne, an legum quoque et poenarum sepimento vallanda? V. Atqui deflexa et debilitata. VI. Versam in deterius naturam senserunt gentes. VII. Quod illae arguebant ex poenis physicis atque ex concupiscentiae ignibus, quibus corpora et animi divexantur. VIII. Opposita boni malique elementa. IX. Duplex veluti homo in homine. X. Gentes rem viderunt, causam nesciverunt. XI. Non duplex Principium, sed lex et libertas, ius et iuris infractio, quaestionem solvunt. XII. Cum homine, natura moralis et physica a lege descivit, perturbata vel corrupta. XIII. Ergo nunc bonus ille et malus; XIV. rectus a Deo, distortus a peccato. XV. Ex abysso peccati originalis naturae occulta illuminantur. XVI. Hinc, quid homo, et quomodo regendus. XVII. Sed imminuta, non attrita natura. XVIII. Tres naturae roborandae ac regendae canones. XIX. Ipsa, vel flumen pacificum vel torrens exundans.

I. Colligitur ex demonstratis, naturalem rationem eatenus legem esse naturae humanae, quatenus ex illa orta sit, eidemque congruat. Videndum igitur num ratio haec nostra, universaque natura cum suis facultatibus, iudiciis atque instinctibus, congruat semper et in omnibus; an vero, depravata aliquando, ab aequitate et rectitudine principis illius legis recesserit. Nisi haec solvatur quaestio, quae moralis iurisprudentiae sit origo, criterium et vis, nunquam patebit.

II. Nam 1. Ut natura humana, in quavis sua parte, pro norma et mensura habeatur actionum humanarum, videndum ante omnia, num ipsa aequa sit et rectissima. Secus, peccante mensura, deficient mensurata.

III. 2. Si quaquaversus recta et integra est natura, recta erunt eius iudicia, rectae eius volitiones et appetitiones; secus si obscuratus intellectus, si deflexa ad malum voluntas.

IV. 3. Recta, atque ad verum et bonum conversa natura, vix erit monenda, fere nunquam poenalibus disciplinis coërcenda. Contra vero, in corrupta, bona quae supersint, erunt a malis seligenda: illa in homine, in familia, in civitate, modis omnibus excolenda; haec autem, educatione, legibus et poenis compescenda.

V. Atqui a naturali rectitudine deflexa natura humana, debilitata est sive quoad veri cognitionem, sive quoad boni prosecutionem (*a*).

Nam « decere prudentes magistratus, *non tam portieus implere legibus*, quam efficere ut cives insitum in animis habeant pietatis et iustitiae studium, » auctor est Isocrates (*In Areopag.*)

(*a*) In ipso disceptationis ingressu, lectori subiicimus sequentia doctrinae capita, e Puffendorfio excerpta: « Unde et illud patet, necessa-

VI. Casum quemdam, quo tota natura fuerit in deterius versa, expertae et fassae sunt gentes antiquae. Ut enim orientalium et Gnosticorum placita de homine quondam a sede beatitudinis expulso omittamus; gentes ipsae, Tullio referente, nos ob aliqua scelera suscepta in vita superiore, poenarum luendarum causa, natos esse dixerunt. Idemque prosequitur: « Verum illud quod est apud Aristotelem, simili nos affectos esse supplicio, atque eos qui quondam, quum in praedonum Hetruscorum manus incidissent, crudelitate excogitata necabantur, quorum corpora viva cum mortuis, adversa adversis accommodata, quam aptissime colligabantur. Sic nostros animos cum corporibus copulatos, ut vivos cum mortuis esse coniunctos 1). »

1) Apud S. Aug., *cont. Iul.* lib. VI, c. 12, n. 78.

VII. Nimirum, cum agnoscerent illi, sub Deo iusto, neminem insontem plecti; ex poenis quibus cruciantur boni et mali, infantes aeque ac adulti sibi inferre posse videbantur, animas in praecedenti vita pollutas, in hunc mundum deiici, ut poenas luerent 2). Animas autem, quasi viventes mortuis, alligari dixerunt, propter bellum exardescens inter animam et corpus: inter virtutem cuius pulchritudine mens delectatur, et vitia in quae corporis sensus, concupiscentiis allecti, deiiciuntur. Bellum hoc, quandoque immane et atrox, inter duas coniunctissimas hominis partes, non primigenium et perfectum Creatoris opus arguebat ex illorum sententia, sed corruptum: ita vero, ut in ipsis ruinis, naturalis maiestas eluceret, et tamquam *obrutus quidam divinus ignis ingenii et mentis*, ut Ciceroni videbatur 3).

2) Cf. Rosanet, *Défense de la Trad. des SS. Pères.* - De Rubeis. *De Peccato Originali.*

3) Loc. cit., n. 60.

VIII. Nos quoque concertantia haec principia, et quasi duplicem in nobis hominem experimur. Namque eam in animo per-

rium esse, ut in disciplina iuris naturalis, homo nunc consideretur *prout ipsius natura est corrupta*, adeoque prout est animal multis pravis cupidinibus scatens. » (*De off. hom. et civ.*, praef., § VIII). Idem: « Atque haec ipsa probe intellecta, viam pandere possunt ad amovendam eam dubitationem: *num lex naturalis diversa fuerit in statu naturae integrae, an vero eadem?* Ubi paucis responderi potest: summa legis capita in utroque statu esse eadem; sed multa praecepta particularia, propter diversitatem conditionis humanae variare; seu potius, eamdem summam legis per diversa, non tamen contraria praecepta, sese explicare, prout diverso sese modo habuit homo, cui illa lex observanda » (§. IX.). Hunc autem modum explicat exemplo duorum puerorum: « Unus modestus est, verecundus, et magno litterarum amore flagrans: alter dissolutus, petulans, foedas potius libidines quam libros amans. Summa officii utrique eadem, litteras addiscere: sed peculiaria praecepta disparia. Priori enim sufficit iniunxisisse, quae studia, quo tempore, quave ratione tractare debeat; alteri, praeter haec, acerrima sub comminatione vetandum, ne circumcursitet, ne alea ludat, ne libros vendat, ne in exercitiis componendis aliena vitula aret, ne pergraecetur, ne scorta consectetur » (Ib.). En quamdam recti et corrupti hominis imaginem: lex eadem, sed diversa legis applicatio. Nos autem a Puffendorfio in eo avertimur, quod ille solum factum tenendum censeat, quatenus naturali ratione illud consequi possumus: nobis vero insidet, plenam iurium tractationem, atque hominis civilis institutionem, a superiori lumine quod naturae ipsi affulgeat, eiusque originem, statum et finem declaret, nequaquam esse abstrahendam.

sentimus bonitatis et nequitiae, celsitudinis atque humilitatis admixtionem, ut miremur paulo minus ab angelis creaturam, ingenti dein aliqua calamitate perculsam, non modo suspicemur sed conspiciamus. Vide intellectum. Aliquando obscurissima pervadimus mira celeritate: nonnunquam in apertissimis haeremus ac fallimur. Id vero miserabilius, quod veritatem aliquando amamus simul et refugimus; eius splendore illicimur, eius imperio terremur. Voluntatem inspice. Inter virtutes et vitia, inter celsa ac vilia, adeo fluctuantem senties, ut non aura, non unda, aeque mobilis et inconstans videatur. Mirabili quandoque virtutum forma commoti, eam unam sectari, unam in deliciis habere, uni insenescere atque immori statuimus. Sed brevissimi heroes! Frigescit ille ardor: excitatur cupiditas, invalescit, tumultuatur, mentis aciem aggreditur. Stat adhuc libera voluntas: sed hostibus suis lenocinata, suam ipsa deditionem properat, atque ex purissima illa virtutis regione, in turpissima concupiscentiae castra immigrat.

IX. Quae attente dispiciens, duos veluti homines in uno homine videas necesse est: quorum alius creatoris, alius corruptoris alicuius opificium sit. Non enim optimus et sapientissimus Conditor, quae eius fuit largitas, voluit imperfectissimo adeo opere imaginem suam compingere, ut tot angustiis divexaretur in corpore, tot tenebris circumfunderetur in mente, tot erumpentibus cupiditatibus distraheretur in voluntate: vel saltem quin haec mala potentissimo altioris ordinis remedio cohiberentur (*a*). Nunc vero hominis compagem, splendidissimae cuidam moli, sed fulmine tactae, facile assimilaveris. Perstant equidem substantialia, intellectus, voluntas, libertas: sed quam imminuta ac debilitata! Unde illa Philolai pytagorici, et forsan ipsius Pythagorae exclamatio: *Heu! mei ipsius ruina sum!* Plinius vero in corporis mala potissimum intendens, negabat facile esse aestimare num natura *parens melior homini, an tristior noverca fuerit*. Cumque animadvertisset, unum hominem ex cunctis animantibus,

(*a*) Naturae a rectitudinis ordine recessio vel aberratio, quae eiusdem corruptio appellatur, lucidissimis verbis exponitur a s. Thoma: « Dicendum, inquit ille, quod per iustitiam originalem perfecta ratio continebat inferiores animae vires, et ipsa ratio a Deo perficiebatur, ei subiecta. Haec autem originalis iustitia subtracta est per peccatum primi parentis. Et ideo omnes vires animae remanent quodammodo destitutae proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem: *et ipsa destitutio, vulneratio naturae dicitur.* » (1, II, q, 85, a. 3.) Quatuor deinde enumerat naturae vulnera: vulnus *ignorantiae* in ratione; in voluntate vero vulnus *malitiae*, vel *infirmitatis*, vel *concupiscentiae*, quatenus voluntas destituitur suo ordine ad *bonum*, ad *arduum*, vel ad *delectabile*. Prosequitur autem: « Subtracta originali iustitia, sicut vulnerata est humana natura quantum ad animam per deordinationem potentiarum, ita etiam est corruptibilis effecta per deordinationem ipsius corporis. » (Ibid. a. 5). Hinc corporis infirmitates et mala physica, quorum extremum est mors; hinc deordinatio ordinis physici in hominem, elementorum inclementia, terrae sterilitas, belluarum feritas, etc.

sine tegumentis, nudum et in nuda humo, natali die abiici, ad vagitus statim et ploratum, inclamat: « Itaque feliciter natum iacet, manibus pedibusque devinctis, flens animal, ceteris imperaturum; et a suppliciis vitam auspicatur, unam tantum ob CULPAM, quia natum est 1). »

1) *Hist. Nat.* lib. VII, proem.

X. Culpam sensit Plinius: in homine scilicet, vel in natura. Homo pariter, *non ut a matre, sed ut a noverca natura genitus*, visus est Ciceroni, quum corpore constet « nudo, fragili et infirmo; animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines 2). » Quid ergo philosophi vel gentes noverunt de naturae casu? « Rem viderunt, causam nesciverunt; quia sacris litteris non eruditi ignorabant originale peccatum 3). » Nomen *originalis peccati*, muta si velis, res ipsa permanebit, scilicet poena, ideoque crimen universae naturae. Cui tandem facto, aliqua solutio adhibenda est, ut haec tria innotescant: 1. quae fuerit ab initio, quaeque nunc sit in homines, Dei lex et voluntas; 2. quae actualis hominis constitutio; 3. quae hominis relatio ad Deum, nempe ad finem suae naturae tuto atque integre consequendum.

2) Ap. S. Aug., *cont. Iul.*, IV, 12, n. 60.

3) S. Aug. ibid.

XI. Dualismus duplicis principii, unde ortus sit homo, utriusque referens bonitatem et malitiam, quem orientalis tenuit philosophia, a naturali ratione expungitur ac reprobatur. Nam, si Deus est, et summe bonus et unus est: si autem duo essent summa principia, bonum unum, alterum malum; illud virtute, hoc vitio esset colendum. Quae absurdissima sunt. Contra vero: *a Deo creatore et legislatore, universae naturae ius indictum est, cuius violatio culpam peperit et poenam.* Quomodo? Haec solum rationabilia inter omnia quae tradita sunt: « Tulit ergo Dominus Deus hominem, et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum: praecepitque ei dicens: Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris 4). » En ius primum, quod per unum hominem, universae insonuerat naturae, cuiusque infractionem poena extemplo secuta est: « In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es: quia pulvis es et in pulverem reverteris 5). » Iure infracto, naturae fere ordo invertebatur. Nos autem naturae iura inquirentes, si hoc ius naturae integrae indictum, eiusque cladem omittamus, quomodo morales naturae vires, ordinem atque relationes aestimabimus (a)?

4) *Gen.* II, 15-17.

5) *Gen.* III, 19.

(a) Cladis naturae illatae originem et quantitatem, a iuris naturalis magistro fore aestimandam, Puffendorfii facto declaratur. Nam, licet in praefatione ad librum *De officio hominis et civis*, minus recte scripsisset « iuris naturalis scita ad forum dumtaxat humanum adaptari, quod ultra hanc vitam se non extendat; » tamen in eiusdem operis lib. I, c. 4, fatetur: « Ratio humana sibi relicta, ignorat pravitatem quae in facultatibus et inclinationibus hominis cernitur, *per culpam humanam* provenisse ».

XII. Homo itaque constitutus fuit ab initio sanctus, innocens, perfectus, decore et gloria cumulatus. Tunc propius ad Deum accedebat: intellectus veritate iucundabatur; libertas erat in aequilibrio, sive ad bonum potius quam ad malum ferebatur; tenebrae, mors et dolores aberant. Sed, heu! tantam non sustinuit excellentiam, quin in praesumtionem rueret. Se finem sui ultimum constituit; Deum auctorem, adiutorem, remunaratorem sprevit. Relinquens Deum, est sibi ipsi relictus; seipsum quaerens, seipsum invenit, paupertatem nempe et miseriam: omnia scire praesumens tenebris fere excoecatus est. Divinae dominationi cum rationem ipse subduceret, iure merebatur ut corporis sensus a rationis imperio desciscerent, in concupiscentias deiecti; utque in illum insurgerent omnes creaturae, vel blanditiis eum subigerent, quae est omnium pessima servitus.

XIII. Haec praesens, bona simul et mala, hominis constitutio. Nobilissimis interdum aspirationibus fruitur: sed illae pristinae dignitatis reliquiae, foedis ubique miscentur concupiscentiis, quae fere pro natura inoleverunt. Agnosce igitur, homo, paradoxum quod es ipsi tibi, et superbiam depone, audax et infirma natura. Qui si totus bonus esses, pura veritate et felicitate fruereris: si totus malus, infelix quaquaversus, solo mendacio delectareris. Sed nunc in felicitatem suspirans, illam non assequeris; ad veritatem condita mens, ignorantia atque errore tenebraris.

XIV. Igitur eadem natura ad verum et ad bonum inflectitur, dum ab utroque retrahitur: recta in prima parte, distorta et corrupta in altera. Idest, seipsam prodit in perfectiori olim statu constitutam, a quo libere recessit.

XVI. Mirum tamen, quod mysterium a ratione longe remotum, qualis transmissio est originalis peccati, tale sit, ut sine illo nulla nostri cognitio, quae difficultatibus omnibus diluendis par sit, haberi queat. Esto, modus ignoretur quo illud traducatur: verum insipientis est negare factum, quia modus latet. Neque repugnat, parentes qui corruptam gerebant naturam, non tradidisse innocentem sed corruptam; vel parentum crimine, ex principis aula atque amicitia, eiusdem criminis poena, expelli parentes et filios. Sed certe hoc dilemmate premimur: vel admittitur hoc mysterium, et cetera naturae mysteria solventur; vel negatur, et alia vere insolubilia erunt admittenda. Unde, ex. gr., mala quibus, sub Deo iusto, infantes torquentur vix geniti? Unde horri-

Qua posita ignorantia, neque eiusdem remedia undequaque patebunt; non iam ut sibi homo pro altera vita consulat, sed nec ut praesentis vitae cursum, ad perfectam iuris mensuram, et Numinis voluntatem constanter et perfecte instituat. Quod et universae gentes luctuoso nimis facto prodiderunt, in errorum vitiorumque monstra delapsae. Equidem, qui omnibus naturae viribus officio incumbens, aliqua adhuc ignoraret invincibiliter, non ea essent imputabilia; sed non sequeretur, ratione iuris inspecta, illa esse recta et laudabilia.

fica mors? (a). Unde cupiditatum effrena vis ac furor? Unde illa duplicitas naturae a Deo uno et optimo conditae? Cur immensa veri cupidine exardescimus, quod tenebris persaepe latet inaccessibilibus? Sic ne homini illudit Deus? Cur uno actu virtutem diligimus ac refugimus? Cur creaturis illaqueamur et a Deo abducimur? Cur pugna est vita quam agimus, et undique spinis et sacrificiis horrescit virtutis via, ad quam conditi sumus? Unde tanta illa perversitas, qua ex duobus fratribus, quibus totius mundi patebat imperium, unus alterius victima occubuit? Unde tanta barbararum gentium corruptio ut iuris idea et divina imago videretur deleta? Unde in nationibus quae humanitate praefulgent, horrenda illa odia, foeditates, caedes, ruinae, quae nec inveniuntur in belluis? Equidem quae ex materia et spiritu constat natura, libere in utrumque ferri poterat: sed tanta inordinatio, qualis apparet si ea quae dicta sunt simul colligantur, turbatum aliquando in universa natura creationis ordinem. prae oculis ponit. Unde vere sine mysterio peccati originalis, quod omnium est incomprehensibilius, nos nobis ipsis incomprehensibiles essemus. Vere nodus conditionis nostrae ex hac abyssu exurgit atque evolvitur. Vere, hoc uno mysterio audacter reiecto, nihil de hominis statu intelligetur recte, nihil praescriberetur sapienter, neque in philosophicis neque in civilibus disciplinis.

XVI. Revera, alii philosophorum, uti naturalistae, ac rationalistae, ad solam hominis dignitatem respicientes, eius ita rationem extulerunt, ut illam veluti unicam atque infallibilem iustorum iniustorumque regulam arbitrentur; licet, Tullio animadvertente, nihil adeo in philosophia absurdum sit, quod non aliquis philosophorum propugnaverit. Alii, quemadmodum Epicurei et materialistae, corruptam naturam pro integra aestimantes, ita iura et officia constituerunt, ut quaecumque appetuntur, bona et iusta; quaecumque autem gravia et molesta, pro iniquis habeantur. Alii, ut Pirrhonistae, eiusdem rationis nunc lucem nunc tenebras inspicientes, nullam ab homine veritatem, nullam virtutem, nullumque certum ius inveniri posse pro certo habuerunt.

(a) Horror ingens quo mortem prosequimur, illam peccati poenam ostendit. Quod vates cecinerunt, humani generis traditiones quocumque tandem velamine recensentes:

Audax Iapeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit.
Post ignem aetheream domo
Subductum, macies et nova febrium
Terris incubuit cohors:
Semotique prius tarda necessitas
Lethi corripuit gradum. (Hor., *Od.* I, 3.)

omne ignis *aetherea domo subductus*, illam pene refert sententiam: « Eritis sicut Dii? » In ceteris autem, nonne illa quae cito sequebantur: « Morte morieris » ?

Alii demum, malorum quibus conflictantur iusti, bonorum vero quibus interdum diffluunt iniqui, nullam rationem invenientes, vel Deos non esse, vel non curare mortalia suspicati sunt. In quaecumque hypothesi, quid agat legislator non habebit; atque iuris et legis notio ipsa evanescet. Ergo nihil in philosophicis, nihil in civilibus disciplinis, nisi perspecta naturae integritate eiusque labe, recte praescribitur, uniformiter, constanter, universaliter. Quae autem a nostris honeste de officiis vel de legibus dicta sunt, ex perspecta naturae bonitate simul et pravitate prodierunt: quam hominis constitutionem, religio, vel eam despicientibus revelavit. Imo ethnici ipsi philosophi et legumlatores quae rite tradiderunt, ex illo ipso hauserunt principio de natura hic regenda, illic compescenda, quadantenus naturali rationi atque experientiae compertum fuit.

XVII. Igitur, quum iurium et officiorum disquisitio, hominumque institutio, non ex abstracta, sed ex concreta natura petenda sit; nihil conficiemus, nisi originalem hominis excellentiam, eiusque labem prae oculis habeamus. Qua labe, non attrita fuit natura, ut Luthero placuit, sed imminuta. Imminuta lux intellectui affulgens, unde modo veritate, modo falsitate delectatur. Imminuta voluntatis rectitudo, et malis cupiditatibus abrepta libertas, nunquam tamen captivata, nisi volens, atque ita libere volens, ut semper flecti possit in contrarium: licet tanta esse possit corruptela malae consuetudinis, « ut ab ea tamquam igniculi extinguantur a natura dati, exorianturque et confirmentur vitia contraria 1). » Quod ne fiat, sequentes canones mente atque animo recolantur.

1) Cic. *De Leg.*, I, 12.

XVIII. 1. Hominis privati ac publici institutio eo adlaboret quam maxime, ut antequam vitia vel malae consuetudines mentem aggrediantur, a naturae corruptione ad primigeniam rectitudinem assurgat (*a*). Hic vitae finis, hoc mortalium opus, ut praescriptam dignitatem et felicitatem assequatur.

2. Naturae rectitudinem, ac manantia inde officia, morum legumque conditores ex ea naturae parte dimetiantur quae ad Deum est, *serena* et *constans*, sui adprobationem ac praemium referens; non ad temulentas animi vel corporis cupiditates, quae naturam vexant et vulnerant.

(*a*) Male igitur docet Iacobus Rousseau, in domestica educatione libere evolvendas esse puerorum propensiones, antequam religiosis legibus instituantur, imo ne illis, ante decimumquintum aetatis annum, de Deo verbum fieret, praescripserat in *Emilio*. Plurimi illinc, naturae nimium fidentes, nec bonam a mala separantes, stirpes ac semina virtutum aeque ac vitiorum tumescere sinunt; atque inexpertes animas inexperti committere libertati, liberalem educationem appellant. Deliciosa haec institutio, corrupta iam familia, politicam societatem adeo pervadebat, ut civitas monitis potius quam legibus regenda videretur. Inde libertas civilis confusa est cum effreni licentia: nec enim animi, domestica disciplina et patria auctoritate vix unquam instituti, civitatis leges vel imperia libenter ferent.

3. Naturae infirmitas adiuvetur, sed pervicacia, sive in domestica sive in civili societate, contundatur. Nec enim libertas in malum est perfectio, sed corruptio libertatis. Eaque est libertatis natura, ut quantum in uno excedit, minuatur in altero. Ergo in nemine excedat, ut in omnibus sit integra. Qui autem excessum cohibet ne exoriatur, hic prudens et aequus et misericors est. Hinc neque in familia, neque in civitate, liceat effari quae non liceat agere: quum, a dictis ad facta, iter nimis facile pateat. Quicumque enim familiam vel politicam societatem ingressi fuerint, quum hanc a natura legem susceperint, ut libertate bene utantur, ad hoc animi erunt omnigena virtute excolendi; quique contra fecerint, legibus ac poenis, uti naturae et societatis infractores, erunt cohibendi.

XIX. Haec si caveant rectores hominum et populorum, humana gens, veluti regium flumen suis stipatum aggeribus, placidissima fluet, quantum eius patitur natura: secus, sibi ipsi relicta, veluti torrens, collectis imbribus, immodica et insolens erumpet (a).

(a) Corruptae naturae et libertatis pericula, veteribus novisque politicis usque adeo innotuerant, ut, uno ferme ore in populari potissimum regimine, omnium voluntates in reipublicae potestatem conferendas praeciperent. Nam ait Aristoteles: « Firmum sit omnibus necesse est, se suaque ad rempublicam pertinere. » (*Politic.* VIII, 1.). Ipseque Rousseau, retractans in *Contractu Sociali* quae in *Emilio* tradiderat, imperiorum vim ac diuturnitatem, ex trasformatione hominis in civem, hoc est ex naturae validissima compressione dimetiebatur. Inquit enim: « Plus les forces naturelles sont mortes et anéanties, plus les acquises sont grandes et durables, plus aussi l'institution est solide et parfaite. » (*Cont. Soc.* II, 7.) Quo magis naturae vires *mortuae sunt atque extinctae*, eo fortius ac diutius vigent acquisitae, politica nempe regimina! Sed quomodo haec in liberalibus ingeniis, cruda tyrannis? Corruptam nempe atque exundantem inspicientes naturam, hominum societatem non alia ratione perstituram putaverunt, nisi extincta in politico imperio singulorum voluntate. Quod est naturam cohibere, vel frangere, si velis, non sanitati restituere. Nos autem, opus Dei, licet infirmum, minus infringere, quam regere et sanare cupientes, domesticam primum, deinde politicam coërcitionem requirimus, quae tamen moralem et religiosam institutionem comitetur vel subsequatur. Hic enim nodus tandem exsolvitur politicarum institutionum. Nam 1. prava coërcenda naturae pars, ut unum omnium civile consortium habeatur. 2. Vel coërcitio est physica tantum et materialis, naturalem perimens libertatem. 3. Vel ista cum morali et religiosa consociatur, unde naturae libertas restauretur, eiusque vires roborentur, atque ad primaevam accedant ordinis pulchritudinem atque integritatem. Iamvero, politici ethnici vel irreligiosi ferream tantum cohibitionem praecipere poterant; nos autem religiosam, utpote mitiorem, atque naturae *ipsiusque libertati salubriorem*, prae illa diligimus, commendamus atque extollimus.

Breviter: illiberalissima ethnicorum novorumque philosophorum politica, hominem non sanans, sed brutorum more coërcens; liberior vero atque suavior religio, hominem sibi ipsi restituens, eoque ipso ad naturalem rectitudinem et civilem libertatem instituens. Utcumque solvenda quaestio videatur, haec duo explorata sunt: 1. naturae inflexionem ad perversa, ab institutoribus assidue prae oculis habendam; 2. naturae ipsi utiliora atque praecellentiora illa esse imperia, quibus eiusdem inflexionis origo, causa et qualitas sincere patuerint.

TITULUS VII.

UMANAE SOCIETATIS CONSTITUTIO ET FUNDAMENTUM.

I. Dictorum summa et connexio. II. Qua lege entia constituantur. III. Lex humanae societatis, 1. est ipsa humanitate *fortior*; 2 humanitati *exterior*. IV. Ergo neque a ratione; V. neque ab universorum pacto aliquando profecta. VI. 3. Est morali naturae *congruens*. VII. 4. Omnes tandem in iuris et cordis unitate *relegens*. VIII. Integra societatis lex et constitutio. IX. Binis formulis continetur, unde duplex societas perficitur. X. Charitas, ex Deo et divina. XI. Philantropia, ex homine et infirma. XII. Virtus charitatis, civilissima et amplissima. XIII. Nec erubescenda. XIV. Eius ordo, mensura et gradus. XV. Firma et decora unicas charitatis et fraternitatis in varietate. XVI. Quam pulchra societatis constitutio, cuius finis Deus.

I. Eo iam devenimus, ut sparsa nectentes elementa, humanae societatis constitutionem et fundamentum proferamus. Quippe notiones aequi et boni, a natura retulimus 1); inde lex naturalis, ex immortali et principe transcripta natura 2); aeternae legis praeco in homine, ratio et conscientia 3); ex lege aequitas, tum personalis, civilis et politica libertas 4); sed infirma ratio, delapsaque natura regenda est, atque ad aeternae legis rectitudinem erigenda, ut liqueant iura et officia 5). Nunc, quomodo homines in morale societatis corpus devinciantur, quaeque societatis constitutio, lege illa rationali in actuosam virtutem conversa, est inquirendum.

1) Tit. II.
2) Tit. III.
3) Tit. IV.
4) Tit. V.
5) Tit. VI.

II. Lex, qua entia discretam sibique propriam obtinent naturam, hos caracteres praeseferat necesse est: 1. entibus, quibus illa dominatur, nobilior et fortior sit; 2. ergo a principio exteriore, atque entibus ipsis superiore, proficiscatur; 3. singulorum entium naturae congruat; 4. eadem lege, entium elementa se mutuo appetant, ut in vitae quadam unitate coalescant. Haec, utpote universalia, legem quoque societatis spectant, eique applicantur.

III. Primo itaque, lex societatis, qua omnes in unum religamur, singulis et omnibus fortior sit oportet: secus enim ligati essemus et non ligati, ipsaque lex esset et non esset. Ergo, secundo, lex qua homo regitur, hominumque societas constituitur, non ab homine, neque a societate est petenda, sed a superiore principio, quod homini et societati praesit ac dominetur. Et sane, quemadmodum entia quaelibet creata non habent ex se rationem propriae existentiae, ita nec legem, quae modum statuit existendi. Sic, quod sol luceat, non habet a semetipso; quodque cetera corpora in illum atque in se invicem ferantur, non habent a semetipsis. Igitur, a pari, quod ratio luceat in homine, omnesque homines sensu intimo ferantur invicem in seipsos, non habent ex se, sed ex superiori aliquo principio.

IV. Hoc ergo sit constitutum, supra rationem omnemque naturam eminere principium imperans, quod neque a ratione, neque a societate ortum habuerit. Nam lex est vinculum, vinculum autem, subiecto qui devincitur, est superius ac validius. At singulorum ratio, non est seipsa fortior vel superior, cum repugnet quamcumque, minus quam inter duo, subsistere comparationem: ergo ratio non est ipsi sibi lex, nisi quatenus superioris imperium repraesentet. Hoc sensu dixit Apostolus: « Ipsi sibi sunt lex 1). » Quod autem nequit ratio singulorum, ita neque ratio omnium, sive societas. Societas enim est collectio singulorum; quaeque ratio non sibi imperat, quomodo ceteris imperat? Natura aequales sunt omnes homines: atqui aequalitas et imperium se mutuo excludunt. An ratio tibi erit velocior et cultior? Bene tibi sit: accidentia non mutant naturam: naturam ipse gero aequalem et liberam.

1) *Rom.*, II, 14.

V. Dices, pactum initum esse ab hominibus societatem constituentibus, ut ratio rationi, voluntas voluntati subiiciatur?

Nego hoc pactum, puerorum quorumdam politicorum inventum, quod sine ratione ab ore in os volitat. Pacta documentis constant: historias pervolve, et pacta invenies quae politicas sive accidentales societatis formas spectent; pactum quo homines, quacumque soluti societate, societatem iniverint, nunquam invenies. Sed de hoc alias pleniora. Nunc pactum concedamus. Ergo superior ratione, superior homine, superior tota hominum societate erit lex firmans pacta, quam non solvet universum genus humanum. Consequenter, si pacto constituta fuisset societas humana, ratio illius pacti adhuc esset quaerenda extra hominis rationem, et universorum societatem.

VI. Tertium erat, ut lex entium naturam constituens, eorumdem naturae congruat: ergo physica physicis, moralibus autem moralis. Atqui entium moralium collectio et convictus est hominum societas. Enimvero, facultate pollent homines bona a malis seligendi, appetendi, libere eligendi: quae tria hominem constituunt suae actionis auctorem, eumque entibus moralibus, sive ad aequitatem conditis, et praemii vel poenae subiectis, adscribunt 2). Ergo, si vere entium lex eorum sequitur naturam, non lex physica sive *necessitatis* uti arboribus, vel instinctui subiecta uti brutis animantibus, sed moralis, idest *libertatis*, bonorum ac malorum fines decernens, intellectum illuminans, imperans, voluntatem alliciens, assensum exorans sed non extorquens, erat hominibus praescribenda (*a*). Qua lege ita hominum societas ordi-

2) Tit. IV.

(*a*) Cum quolibet fere saeculum sua comitetur mentis infirmitas, hominem agi physica vi vel lege ut machinae, vel lege instinctiva, non libera, ut bruta animantia, altero saeculo, post Spinosam et Hobbesium, tradiderunt David Hume, Helvetius, Petrus Bayle, Volterius, Collins, La Metrie libellum inscribens *l'Homme machine*; aliique. Ignobile sane et phreneticorum certamen, quo ut homo ad brutorum gaudia deiiceretur, primo ad brutorum stupiditatem deiiciebatur. Evanuisset plane delira haec

nata est, ut quae ordini absolute necessaria sint, iubeantur; reliqua vero in medio relinquantur.

VII. Huiusmodi lex, non ab homine, non a societate, sed a summo effusa legislatore, imperans non cogens, omnes intellectus eodem lumine illustrat, omnes voluntates in idem bonum convertit, omnes animas eadem obsignat imagine: ergo omnes colligit in societatem naturae, vitae et consuetudinis, addita, ad maiorem societatis suavitatem ac firmitatem sanguinis cognatione atque unitate. Hic alia incipit coniunctio, quae in amorem conversa, ex frigida mentis regione, actuosa et fervens, illabitur in voluntatem. Mente igitur et voluntate entia moralia in se invecem inclinantur: quodque in physicis efficit cohaesio, qua particulae particulas appetunt, eisque consociantur, id in moralibus efficit amor. Amore itaque omnia entia, quae eamdem participant naturam vel eiusdem naturae similitudinem, sibi invicem copulantur, Atqui in omnibus hominibus eadem occurrit natura ad Dei similitudinem condita. Ergo duplex amor, duplex coniunctio, duplex societas: prima, omnium hominum ad Deum, cuius imaginem referunt; secunda hominum inter se, propterea quod una illa imagine signati ac devincti, unam efficiunt magni Patris familiam, a quo geniti sunt, in quo vivunt, ad quem revertuntur. Haec societatis humanae constitutio, a qua societatis ipsius existentia et socialia officia proficiscuntur: hoc duplici amoto fundamento, vel etiam alterutro, societas dissolvetur.

VIII. Ut haec concludamus, lex data est hominibus, 1. quae natura ipsa est fortior; 2. quae a superiori legislatore proficiscitur; 3. morali naturae congruens; 4. omniaque naturae membra in mutuum amorem inclinans, tum rationis imperio, tum voluntatis affectu.

IX. Perennis haec atque universalissima nostri generis constitutio, bonis formulis absolvitur: « DILIGES DOMINUM DEUM TUUM, hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic: DILIGES PROXIMUM TUUM SICUT TEIPSUM 1). » Primo illi praecepto innititur societas hominum cum Deo; alteri, societas hominum cum hominibus. Quae licet duo sint, unum originaliter efficiunt, quum alterum sit prioris extensio vel consequentia. Deum enim non diligimus, si eius imaginem contemnimus. Ergo homines propter Deum, et Deum ipsum in homi-

1) Matth., XXII, 37-39.

philosophia, nisi in medicorum castra se recepisset, quorum nonnulli, corpora pertractantes, mentem et spiritum amiserunt. Cerebrum, aiunt, physicas sensationes elaborans vel digerens, illas convertit in ideas, quemadmodum ingesto cibo vel potu sanguis elicitur. Alii, qui *phrenologi* dicuntur, cum Gall et Broussais, tot protuberantias in cerebro effutiunt, quot affectiones vel passiones, quibus virtutes et vitia necessario procreantur. Ubique lex physica, nullibi libertas. Sapientior doctoribus his, respondet populus: inclinationem quandoque ex corpore, eligendi vim atque imperium semper esse in voluntate. Materiales autem sensationes in ideas digeri, nimis puerile est, quam ut confutatione indigeat.

ne diligimus. Unde sequitur, hominum amorem a Dei amore dilabi, atque ad Deum reverti: hocque exciso, illum a natali radice excidi. Sequitur etiam, societatem hominum ad Dei societatem ordinari eique subesse, eodemque fundamento suffulciri, ut sit, efflorescat, perduret ac vigeat.

X. Hinc *charitatis* et *philantropiae* discrimen. Charitas duplicem habet amorem, Dei atque hominum: philantropia, hominum tantum. Illa, quum ex plenissimo fonte dilabatur, actuosissima est, erumpens de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta; in fortitudine sua, patiens ac benigna est. « Non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati; omnia credit, omnia sperat, omnia suffert, omnia sustinet 1). » Ex qua charitate, quae emergeret societas, sanitate ac viribus polleus, conspicitur; imo in prima ac viridi christianorum societate conspeximus, quibus ab Institutore praeceptum fuerat: « Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos 2). »

1) I *Corinth.*, XIII, 4-7.

2) Ioan., XXIII, 34.

XI. Altera, sive *philantropia*, quum nihil in homine praeter hominem videat, nihilque in homine praeter hominem diligat, undique humana est, terrena atque infirma. Opes largitur, sed personalia vix novit sacrificia; hominum gloria et fama sustentatur, sed languescit in tenebris. Quaenam, charitas ne an philantropia, pauperibus inservit in nosocomiis vel peste infectis ministrat, atque inter civiles aeque ac inter barbaras gentes pro fratribus vitam cum sanguine impendit? Quaerenti autem cur sacrificiis inops sit philantrophia, iis vero charitas roboretur ac niteat, ratio est in promptu; virtus debilitatae naturae illa est; haec, gratia et exemplis restauratae ac prope divinae. Exemplar charitatis in Illo eminet, qui pro fratribus primus animam posuit, totque ac tantos sui imitatores constituit.

XII. Charitas virtutum omnium forma, et ipsa civilissima virtus per omnia societatis officia extenditur. Ipsa est vera fraternitas: « Fraternitatem diligite 3). » Obedientiam suadet ac fovet: « Animas vestras castificantes in obedientia charitatis 4). » Diligendi causam et modum exponit: « Debemus autem nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere. Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum, ad aedificationem. Etenim Christus non sibi placuit.... Propter quod suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos in honorem Dei 5). » Hominum honorem a Dei honore non separat, iustitiae simul et humanitatis officia praescribens: « Charitate fraternitatis invicem diligentes, honore invicem praevenientes 6). » Ad Deum assurgit, veluti ad sui originem et exemplar: « Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis 7). » Ipsa est « vinculum perfectionis 8) » quo homo homini, gentes gentibus consociantur;

3) I Pet., II, 17.

4) Ibid. I, 22.

5) *Rom.*, XV, 1, 2, 3, 7.

6) *Rom.*, XII, 9.

7) *Ephes.*, V, 1, 2. *Coloss.*, III, 14.

ipsaque restauratae societatis vexillum: « In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem 1). »

1) Ioan. XIII, 35.

XIII. Si nemo philosophorum his preclariora vel sublimiora tradidit, cur erubescemus Evangelium? Sed iam et ipsi Sansimonistae et Socialistae Christum sequi gloriantur: hoc autem malum, quod male interpretentur, et male sequantur.

XIV. Amplissima charitatis lex suis gradibus dispertitur, veluti regia arbor, cuius rami, propius vel longius, vitam hauriunt ab una radice, eaque una sustentantur. Nam qui dixit: « Diliges proximum tuum sicut te ipsum », 1. omnia, uno praecepto, *iustitiae* ac *benevolentiae* officia est complexus, quum utraque ab una dilectionis radice proficiscantur; nec sine benevolentia, ex naturae ordine, sit perfecta iustitia, vel firma et pulchra, nec diu mansura. 2. Diligendi mensuram praestituit in eo charitatis sensu, quo nos ipsos diligimus; non magis, non minus: *sicut teipsum*. 3. Quum mensura mensuratum antecedat, nos aequali amore, sed ante caeteros diligemus. Quis enim proximior tibi quam tu ipse? 4. Jussi proximum diligere ratione *proximitatis*, ipsi proximitatis gradus signant gradus amoris. Homines enim, ut sidera, ita dispertivit Deus, ut minoribus unitatibus magnam conficerent unitatem. Hinc familiae, civitates, populi ac nationes. In familia, maritus et uxor, quae omnium prima est coniunctio et proximitas: « Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhaerebit uxori suae 2). » Deinde filii, fratres, consanguinei et affines. Variae quoque singulorum relationes ac necessitudines in municipio eademque ditione, vel in nationibus ad nationes. Quae discrimina unitatem servant, non eliminant; summa enim naturae lex: *In varietate unitas*.

2) *Ephes.*, 5, 31.

XV. Unde apparet quanta rerum naturalium ignorantia laborent Communistae, Socialistae, et cum iis quidam inordinatae fraternitatis amatores, qui, deleta omni civili et naturali varietate, familiae, urbium atque imperiorum fines exciderent, ut universum genus humanum in fictitia quadam unitate coërceatur. Hi nempe, si caelorum imperium consequerentur, planetaria systemata ac varias siderum magnitudines et circumvolutiones, unde minora maioribus serviunt, omniaque simul mirifice copulantur, dicto abolerent. Contra, sicuti harmonia caelestis ex multiplici constat varietate, qua satellites circa primarium, deinde satellites et primaria sidera circa maius quoddam sidus, et haec demum circa alia atque alia convolvuntur, quae tandem omnia pulcherrima colligantur unitate; ita familiae, urbes et imperia, vario unitatis et fraternitatis gradu discriminantur et colligantur in terris; quodque harmonia efficit in caelestibus, hoc hominibus praestat charitas. Charitas, inquam, sive efficax ille sensus qui voluntatem inclinat, ut rationalem ordinem erga omnes qui eamdem naturam habent, voluntas ipsa fideliter exequatur.

XVI. Nonne pulcher et homine dignus, hic omnium concentus, quorum vinculum, et finis, et centrum, ipsa est lex et maiestas omnia moventis ac regentis Dei? Haec igitur societatis constitutio et fundamentum. Plurimi eam laboriose conquisiverunt, et in media luce caligaverunt: nos eam sine labore invenimus, et sine labore attulimus.

TITULUS VIII.

DE HUMANA PERFECTIBILITATE.

I. Lex humanae perfectibilitatis. II. Ex penitissima natura est describenda. III. Quaestionis fastigia: perfectibilitatis *subiectum*, *obiectum* et *exemplar*. IV. Progressus pertinet ad personam; V. non vero ad naturam. VI. Naturae entis finiti repugnat progressus infinitus. VII. Solus homo perfectibilis, cetera ipse perficiens. VIII. Perfectibilitatis *obiectum* est *spirituale* vel *materiale*. IX Materialibus tantum incrementis regna dilabuntur. X Periclis aevum; XI. Augusti, Leonis X, et Ludovici XIV. XII. Morali ordine subverso, politicus ordo subvertetur. XIII. Exemplar perfectionis non habet homo a seipso, neque in seipso. XIV. Sed quis ad Deum accessus? XV. Religio; XVI. atque ipse Deus. XVII. Perfectio naturalis et supernaturalis, simul iungendae. XVIII. Ita humana divinaque iurisprudentia sociandae, non confundendae.

I. Creatoris lex: « Crescite, et multiplicamini, et replete terram, et subiicite eam, et dominamini 1); » actuosae animi corporisque vires; boni verique adipiscendi inexplebilis ardor; indefinita illa vis, quae sitientem animam nunquam quiescere sinit, quin ad alia, atque alia semper aspiret; haec omnia perfectibilem naturam ostendunt. Igitur perfectibilitatem, eiusdem actum vel *progressum*, ut commune fert vocabulum, quoad officia vel civiles disciplinas, naturae legibus libenter accensemus.

1) *Gen.*, I, 28

II. Quum autem rei cuiusque perfectio constet explicatione facultatum et virium quibus res ipsa pollet; nihil de humana perfectibilitate licebit afferre, nisi penitissimam hominis naturam perspectam habeamus. Iamvero cum praestantiora iam disputata sint, paucis adiectis, quaestionem ingrediemur: quae si alicuius erat momenti dum in scholarum ambitu disceptabatur, nunc primum locum tenet, cum in ius publicum et sociale conversa fuit. Hoc titulo nostra, in sequenti aliena promemus, rerum fastigia deligentes.

III. Quae tria sunt: perfectibilitatis *subiectum*, *obiectum* et *exemplar*.

IV. Subiectum perfectibilitatis non est natura, sed persona. Quoddam enim abstractum est natura humana: concretum vero, sive subiectum agens, homo cum sua personalitate, quae una est, indivisa, incommunicabilis, actionum suarum principium ac domina.

Natura quidem *communis*, sed profectus, uti actiones, sunt *singulorum*. Quae autem videntur in medium prolata, uti scientiarum vel artium accessiones et incrementa, a personis proficiscuntur, neque alias personas attingerent, nisi hae active de iis participent.

V. Ergo progressus naturae universalis non existit, quum intellectus vel voluntas universalis non existant. Natura est atque erit usque ad finem, qualis substantialiter fuit ab initio: rationalis, corporea et sensibilis, ad societatem condita, futuram vitam inquirens; sed actiones et passiones, accessiones vel recessiones, virtutes ac vitia, sunt ex personis, iis inhaerent, atque eas comitantur.

VI. Tria haec, *anima, corpus, societas*, sunt in eiusdem naturae individuis, perfectibilitatis radices et supposita. Quum haec sint finita, nullus progressus erit infinitus. Imo repugnat perfectibilitas infinita, quum natura infiniti sit tota simul et absoluta perfectio. Ens autem infinitum, utpote necessarium, cum sit ratio omnium entium, ita quoque, utpote perfectum, est ratio finalis ad quam omnia ordinantur, a qua omnia perfectibilitatem vel perfectionem accipiunt. Ergo ex ratione, seu lege entis infiniti et perfecti, pendet omnis possibilis contingentium perfectio.

VII. Sed quemnam gradum habet homo in contingentium vel perfectibilium serie?

In rerum serie, quaedam habent solum *esse*, uti mineralia; quaedam *esse* et *vivere*, uti plantae; quaedam *esse*, *vivere* et *sentire*, uti animalia; demum alia *esse*, *vivere*, *sentire* atque *intelligere*, uti homines. Haec, licet affabre elaboratam et fere continuam rerum creatarum seriem constituant, aliaque aliis inseri videantur; tamen adeo genera generibus discrepant, ut nunquam sit progressus vel transitus de uno in aliud, cum unumquodque, quam a Creatore habuit naturam atque essentiam, hanc retineat. Insuper, in primis illis generibus, in mineralibus, in plantis, in brutis animantibus, nulla est interna atque activa perfectibilitas, sed externa tantum et passiva, quam ab homine accipiunt: et consequenter ad hominem referuntur, eique subsunt. Homo autem, activis pollens facultatibus, inde verae perfectionis est capax, creationis opus perficiens, sibique actionum suarum auctor et dominus.

VIII. Subiectum habemus: perfectibilitatis *obiectum* inquiramus.

Obiectum sunt ea quae ad animam vel ad corpus referuntur: igitur *spiritualia* et *materialia*. Si spiritu vivimus, eodemque caelestia et immortalia appetimus, si finis quidam sensus et corpora transcendens, homini est constitutus, sequitur perfectionis excellentiam in anima potius quam in corpore, in moribus potius quam in reliquis esse reponendam (*a*). Corpore enim, licet ad

(*a*) Nonne dolendum, nos in tanta perfectionis et civilium disciplinarum ostentatione, non eam attigisse sapientiae laudem, qua vel Genti-

caelum erecto, in terram deiicimur: anima in Deum tendimus, eum complectimur, ei inhaeremus, eoque fruimur. Scientiarum atque artium exercitio, quibus vita fit civilior et iucundior, bona sunt: nam *scientiarum Dominus* Deus. Ipsa quoque vitae commoda laudantur: ea tamen lege, ut ad morum profectum et excelsiorem finem convertantur. Secus vero, ablegatis, neglectis vel corruptis moralibus disciplinis, materialia commoda atque incrementa, laxiorem vitam adducerent, animorum vires effoderent, artes ipsae et scientiae societatis subvertendae instrumenta efficerentur.

IX. Sit igitur haec propositio: ***Materialibus tantum congestis elementis, gentes dilabuntur, regna infirmantur et corruunt.***

X. Haec factis constant. Etenim quatuor historiae occidentalis saecula, nominibus Periclis, Augusti, Leonis X, et Ludovici XIV sunt celeberrima. Periclis aetatem, qua Graecia splendoris culmen attigerat, corruptissimam describit Plutarchus. Thucidides vero haec enarrat de peste, qua ipse Pericles occubuit: « Celeriora gaudia quaerebantur, quum voluptatibus praesentem relinqui diem arbitrarentur. Honesta dedignabantur: laetari prompte, usque ad gaudii ebrietatem, hoc pulchrum et utile. Timor hominum ac Deorum aberat. » Tunc, Periclis filio, qui fatiscentem rempublicam mirabatur, respondebat Socrates: « Antiquorum virtutes, non parentum deliciae sunt requirendae. » Graecia, praeclarissima scientiarum atque artium magistra, aeque ac gentium voluptuosissima, mira celeritate e gentium numero evanuit. Quippe « impedit consilium voluptas, rationi inimica 1). »; « nihilque altum, nihil magnificum ac divinum suspicere possunt, qui suas omnes cogitationes, abiecerunt in rem tam humilem, tam contemptam 2); » qua « nulla capitalior pestis hominibus a natura data est 3). »

1) Cicer., *Cato Maior.*

2) Id. in *Laelio.*

3) Id., *Cat. Mai.*

les commendabantur? En quo loco a Cicerone animi cultus et corporis voluptas, habita sint: « Nam cum animus, cognitis perceptisque virtutibus, a corporis obsequio indulgentiaque discesserit, *voluptatemque, sicut labem aliquam decoris, oppresserit*, societatemque charitatis coierit cum suis, omnesque natura coniunctos, suos duxerit, cultumque Deorum, et puram religionem susceperit, et exacuerit illam, ut oculorum, sic ingenii aciem, ad bona deligenda, et reiicienda contraria (quae virtus ex providendo est appellata prudentia); quid eo diei, aut excogitari poterit beatius? » Quae cum a materialibus gaudiis, quibus nos fere absorbemur, animos removerint, tum haec sequuntur: « Idemque cum coelum, terras, maria, rerumque omnium naturam perspexerit, eaque unde generata, quo recurrant, quando, quo modo obitura; quid in iis mortale et caducum, quid divinum aeternumque sit, viderit, ipsumque eo moderantem et regentem pene prachenderit; eaque non unis circumdatum moenibus, popularem alicuius definiti loci, sed civem totius mundi, quasi unius urbis agnoverit: in hac ille magnificentia rerum, atque in hoc conspectu et cognitione naturae, Dii immortales, quam ipse se nosset, quod Apollo praecepit Pythius! Quam contemnet, quam despiciet, quem pro nihilo putabit ea, quae vulgo ducuntur amplissima! » (*De Leg.*, I. 23). Si quae a nostris venditantur perfectionis et felicitatis systemata, hisce conferantur, quid nisi puerorum phantasmata videbuntur?

XI. Eadem novimus de Augusti aevo, postquam devicta Graecia corruptionem suam Romae cum artibus intulerat. Eademque fere in Italia et Gallia, post scientiarum et litterarum restaurationem contigerant. Quaestus et lucra, pecuniae cultus, quae adoratio est sui ipsius, materialia spiritualibus praeposita, crescens luxus necessitas, voluptatum effrena cupido, litterarum atque artium prostitutio; uno verbo, ad sensualisticam paganorum culturam regressus. En illa saecula, quorum alio, magno reformatorum schismate, scissa est europea familia, alio autem exortae innumerae illae sectae, quibus philosophiae pretextu, iam iam societatis cardines sunt evulsi (*a*).

XII. Liquet igitur rationibus et factis, nisi moralis progressus aequo saltem gradu materialem comitetur, hominem ad materialismum, gentes vero ad occasum vel interitum detrudi. Subversa enim naturae lege, qua imperium rationi in corpus

(*a*) Principum nominibus appellantur commemorata saecula, quin ipsi illa genuerint. Iactae in Leonem calumniae, a non suspecto auctore refelluntur: « Huius Pontificis castitas, totiusque vitae integritas, adeo firmis testimoniis constant, ut quo tunc rariora, eo sint laudabiliora ». (Roscoe, *Vie et Pontificat de Leon X*, t. III, ch. 24). Angelus Politianus « cultum pietatis et religionis, pene etiam cum lacte nutricis, eum exsuxisse » affirmat. Forsan poëseos artiumque liberalium nimius amator, cum pontifici graviora essent agenda: quae tamen officii erant, non praetermisit, rex vere magnificus, et pontifex vigilantissimus. (Vide Pallavic. *Hist. Conc. Trid.* lib. I, c. 2).

Ceterum, etsi « non solum vitia concipiunt ipsi principes, sed ea infundant in civitatem, plusque exemplo quam peccato nocent » (Cic. *De Leg.* III.); peiorem tamen moribus cladem a sensualisticis doctrinis inferri arbitramur. Bonum definias cum Lochio: « Id, quod voluptatem producere atque augere, aut dolorem quempiam minuere et praecidere aptum est; » malum autem: « Quidquid dolorem in nobis producere vel augere, aut voluptatem quampiam minuere valet; » corrupta falsis definitionibus boni malique natura, ubi erit illa severissima virtus, qua et qui legibus parent, et qui rempublicam gerunt, non delectabilia sed honesta sectentur necesse est. idque optimum putent non quod utile, sed quod rectissimum sit? Sua quidem sunt gaudia sapientiae et virtuti: non vero semper in gaudiis sapientia aut virtus, sed plerumque in laboribus et aerumnis. Ad maiora assurgens Tullius: « Imitemur, inquit, nostros Camillos, Decios, Curios, Fabricios, Maximos, Scipiones. Amemus patriam, consulamus bonis, *praesentes fructus negligamus*, posteritati et gloriae serviamus. *Id esse optimum putemus, quod erit rectissimum.* Cogitemus denique, corpus virorum fortium, magnorumque hominum esse mortale: animi vero motus et *virtutis gloriam sempiternam* (*Pro Sest.*) » Sed frustra hanc fortium magnorumque generationem quaeres inter eos, qui bonum ex voluptate, malum autem ex dolore definiant. Merito itaque illa in magistratu requirebat Cicero: « Refrenet primum libidines, iracundiam teneat, spernat voluptates, coërceat avaritiam, ceterasque animi labes repellat: tum incipiat aliis imperare, cum dedecori et turpitudini parere desierit. » (*Paradox.* V). In imperiis virtus si adsit, cum fortitudine, iustitia, severitate, gravitate, magnanimitate, quae sunt regiae laudes, certissimaque imperiorum fulcimina, cetera sequentur civitatis ornamenta: illa si desint, non imperia habebuntur, non gentes, sed vana imperiorum gentiumque simulacra, ad interitum prolabentia. Quod ab Augusto ad Neronem, Romae contigisse scribit Tacitus, quum *voluptatum scientia* inventa est, *principe et senatu auctoribus.*

delatum est, societatis quoque ordo subvertetur. Hinc cultissima fere semper imperia, a minus cultis vel barbaris excisa sunt: hos quippe luxus non molliverat, iisque praestantiores in ipsa rusticitate effecerat naturalis vigor et simplicitas. Nunc, si nostra haec aetas tali laborat plaga; si materialibus incrementis rapimur atque illudimur; si artes prae moribus excolimus, si proni in terram incedimus, si litteris et scientiis quandoque a spirituum immortalium fine avertimur; si leges et politica regimina, quibus gentium educatio ac primum moralis perfectio est concredita, hominem qua terrenum animal excolunt, qua coeleste contemnunt: si haec patimur, quomodo, quibusve remediis, labens societas restauranda sit, ex sincero humanae perfectionis exemplari est perdiscendum.

XIII. Hoc, primo, statuendum: *Homo non habet initium vel exemplar suae perfectionis a seipso, neque in seipso.*

Non *a seipso*. Nam ratio et lex naturam perficiendi ab eo exclusive proficiscuntur, a quo ipsa profecta est natura. Lex igitur creationis et lex perfectionis ab eodem sunt principio, et se mutuo complectuntur. Sed neque absolutum perfectionis exemplar homo habet *in semetipso*. Si enim homo perfectionis exemplar esset sibi ipsi, sequentia saltem essent vera. Intellectu praeditus ad verum, et voluntate ad bonum, utraque facile inveniret, inventis gauderet, libenter sequeretur: sed contra, ignorantia laborat, delectatur errore, et ab ingerente se interdum veritate oculos avertit, eamque detestatur. Libera mens et excelsa, subiecto tantum corpore uteretur: nunc ab eodem abripitur, eidem servit ac mancipatur. Ipse non ageret, quae in aliis reprobat: sed cum iniurias non patiatur, aliis infert; cum sibi indulgeri velit, ceteris non indulget. Se lege creaturae rationalis devinctum sentit, et independentiam affectat. Se, in mundi universitate, fere nihilum esse nimis experitur, et divinitatem usurpat, antiqua illectus voce: *Eritis sicut Dii.*

XIV. Non solum igitur limitibus circumscripta natura, sed imperfecta, sibique repugnans, et ruinis quasi obsita concreditae olim magnitudinis. Attamen a perfectionis amore et spe homo non deiicitur: adhuc maior cunctis creaturis, infinitum sitit, se ultra seipsum, omniaque finita extendens nisu infinito. Sed quaenam relationes finiti ad infinitum? Si illud infinitum, humanae perfectionis exemplar et finis est Deus; quis est, quid iubet, ut illi conformetur, atque ad illum accedat infirma et saucia natura? Quis demum vel mediator, vel redemptor, adeo supra naturam positus, ut deiectam sublevet, ac restauret eversam? Hic ratio silet, verbum expectans revelantis Dei.

XV. Revera, redemptor apparuit Filius Dei, humanam naturam assumens, iungens ima divinis, homines erudiens, *exemplar perfectionis absolutissimum in seipso ministrans*, victima ipse et sacrificium pro omnibus, ac deinde sui verbi et ministerii succes-

sores per Ecclesiam instituens, ad finem usque mansuram (*a*). Hinc supremum moralis perfectionis elementum: *Religio*.

XVI. Ex praeiacta demonstratione, sequentia colliguntur: 1. Homo seipsum discutiens, in superiori sui parte, moralis cuiusdam perfectionis legem, non ipsius exemplar intuetur. 2. Legem tenens, ac per illam rebelles inferioris suae partis conatus transcendens, in Deum tamquam perfectissimum sui exemplar ascendit. 3. Dum haeret ratio, purissimum spiritum a corporea concretione remotum quomodo ipsa imitetur non inveniens, ille, visibili specie, mortalibus conspiciendum seipsum praebet, perfectionis ducem et exemplar.

XVII. Duplex itaque humana perfectio: alia *naturalis*, alia *supernaturalis*. Si alteram ab altera distrahas, naturam qualis est non perficies, imo nec invenies; neque eius votis vel necessitatibus satisfacies. Simul iunctis, vides hominem a naturali perfectione, indita vi, ferri ad supernaturalem, dum vitae angustiis pressus, vel naturae bonis et gaudiis nunquam quiescens, ad bonum nullis limitibus conclusum infinite suspirat. Sed immanis interiicitur abyssus, nullo dato a natura lumine vel ponte, quo finita creatura ascendat ad infinitum. Ast tunc Deum vides descendentem e caelis, qui assumpta sibi humanitate, abyssum complet, lumen et gratiam effundens, ac post se divinum magisterium relinquens, factus *via*, *veritas et vita*. Hic finis quo clementissimus Deus humanam cumulavit naturam; haec meta, haec perfectionis summa, ad quam cetera diriguntur; hac, omnia clarescunt, ex hac officia et leges prodeunt, quibus vitae cursus recte instituatur atque ordinetur. Quoniam vero rerum naturalium et civilium tractatores naturam seiunxerunt a fine, humana a divinis, lumine remoto ac meta, ad quam trahimur, ad quam contendimus; ideo perturbantur officia, leges legibus pugnant, languet ac scinditur hominum convictus; et praesens societas, ut olim pagana, iam fere unde sit ignorat, quid agat, quo pergat.

XVIII. Alios fatemur esse divinae, alios humanae iurisprudentiae fines. Sed quum utraque eumdem hominem, eamdemque hominum societatem instituendam ac perficiendam suscipiat,

(*a*) Adventu Christi non sola dogmata e coelo delata sunt, quibus mentes humanae ad coelestia conscenderent, sed moralia quoque praecepta, obscurata alicubi, alicubi obliterata, novam iterum promulgationem et sanctionem acceperunt: « Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et saecularia desideria, SOBRIE et IUSTE et PIE vivamus in hoc saeculo, expectantes beatam spem, et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi » (*Ephes.*, II, 11-13). *Sobrie* erga nos, *iuste* erga alios, *pie* erga Deum: quae verba omnem officiorum seriem atque ordinem exhibent. Unde vere impletum fuit sacramentum voluntatis Dei, cuius erat beneplacitum « instaurare omnia in Christo, quae in coelis, et quae in terra sunt » (*Ephes.* I, 10). Scilicet naturalia morum praecepta quae iam per rationem patebant: *quae in terra sunt*; et quae immortalem naturam ad supernaturalia erigendam maxime spectabant: *quae in coelis*.

nihil efficietur, nisi universam naturae perfectibilitatem, omnesque fines ad quos illa ordinatur, utraque sibi praestituat. Quemadmodum enim medico non fidimus, qui membra aliqua probe noverit, universam autem corporis oeconomiam ignoret; ita neque iuris privati vel publici magistris, qui non totum hominem, eiusque naturam, cum sua excellentia et infirmitate, cum suis finibus et relationibus, non apprime dignoscant. Integra autem naturae forma fideliter constituta, divini vel humani iuris consultus suam deliget viam, eamque ita perficiet, ut aliis atque aliis officiis, iunctis tamen viribus, uterque ipsius naturae cursum ad praefinitam perfectionis metam perducat.

TITULUS IX.

NATURALISTARUM CIRCA NATURAE ET SOCIETATIS PERFECTIBILITATEM SYSTEMATA.

I. Naturalistae ius publicum iam invaserunt. II. Ex philosophico pantheismo, politicus quidam pantheismus. III. Philosophici pantheismi genesis et absurditas. VI. Eius politicae consequentiae, socialismus et communismus. V. Plurima pantheismi soboles et familia. VI. Errores I. B. Vici, historiae philosophiam describentis. VII. Societatis fixa et divina elementa. VIII. Ergo historia mundi socialis vel ex Dei legibus vel ex hominum factis est petenda. IX. Somnium est, hominis a belluino statu ad societatem transitio. X. Methodus concludendi a mundo ideali ad mundum realem, pantheismum inducit et fatalismum. XI. Ontologica atque historica factorum certitudo, ex sola divina vel humana traditione est accipienda. XII. Ergo humana ratio, sine externa revelatione et traditione non est sufficiens criterium veritatis. XIII. Frustra Vicus paganorum placita cum christiana sapientia componere nisus est. XIV. De humani generis ortu et progressione, nihil plenum ac dignum, extra revelationem. XV. Cum revelatione, naturae iura expulsa sunt. XVI. Errorum progressus et incrementa. XVII. Nec politici, nec oeconomistae, nec socialistae, naturae progressum vel restaurationem attingunt. XVIII. Ratio et societas a Deo emancipatae, ad malorum extrema prolabuntur. XIX. Hinc duplex progressus *veritatis* vel *erroris*, pro congenita bonitate vel perversitate.

I. Numquam alias forsan, quam nostra et superiori aetate, naturalistarum latius systemata in ius publicum irrepserant. Nam qui olim philosophorum titulo sibi gratulabantur, nuper vix publicistarum honore contenti, societatis totiusque humani generis restaurationem aggrediebantur. Hi enim, natura eiusque sincera perfectibilitate posthabita, a pantheismo in fatalismum, a fatalismo in socialismum et communismum incesserunt. Si quid intelligimus, si naturae iura adamamus, quo nos eorum subversores vocant, sequamur.

II. Antiquitus, naturae constitutionem subverterant polytheismus et pantheismus: aliqua ille, hic universa Deum fecerat.

Pantheismum a Benedicti Spinosae discipulis, Goëtho, Caro, Oken, Lessing, Herder aliisque restauratum in Germania, Eclectici, variis formulis ac phaleris comptum, nuper invexerunt in Galliam. Magis circumvoluta, minusque expressa gallica philosophia quam germanica, eo tamen pervenit, duce Victorio Cousin, ut amotis naturae et religionis fundamentis, imperium politicum labefactaret, socialistis autem et communistis viam sterneret. Eclectici enim nuperiores ex philosophico pantheismo, politicum pantheismum effecerunt, unica perstante vi sociali et activa: *Status* vel *Imperium*.

III. Pantheismi philosophici haec est genesis, et absurditas. Deleta primum distinctione, quae substantialiter entia ab entibus separat, ineluctabili necessitate, differentia quaelibet inter summum legislatorem atque entia creata eidem subiecta, expungebatur. Nullus quippe creator, nullaque creatura, sed unitas substantiae. Haec simul aeterna ac temporalis, homo et planta, mundus ac Deus. Haec dum evolvitur, revelat seipsam, in varias successive formas immigrans. Praeclarissima omnium forma est homo, qui, seipsum intelligendo, actum exercet mentis aeternae, sicque se et reliqua magis magisque intelligendo, ad superiora conscendit, quae est eius indefinita perfectio. Sed infinitum quod in finita dividitur; perfectissimum quod perficitur; unitas substantiae, et personarum distinctio; cogitatio et extensio, affirmatio et negatio in eodem subiecto, nam negant alii quod alii affirmant: talia sunt errorum monstra a pantheismo genita. Verum semper eadem vox, humanam permulcens arrogantiam: *Eritis sicut Dii*.

IV. Ex eodem systemate, hae sequuntur morales et politicae conclusiones. Semel posita hominis divinitate, quis homini imperet, quis hominem legibus subiiciat, vel coërceat, quid ei in vita vel post vitam pertimescendum? Deinde, si nulla personarum distinctio, ergo nulla quoque distinctio iurium et actionum, ergo unum ius, et vacua nomina *meum* et *tuum*; ergo socialismus et communismus.

V. Plurimi autem nudum pantheismum reiicientes, tamen virium naturalium aeternitatem profitentur, uti Herder: atque in idem recidunt. Alii ineluctabilem vitae progressum seu evolutionem, commemorant; quam *legem viventem* humanitatis appellant Sansimoniani. Alii, uti Bonnetus (bona quandoque fide), entia entibus, irrationabilia, verbigratia, rationabilibus, ita interseri contendunt, ut quaedam utrumque genus referant, plantae simul et animantia, bruta simul et rationabilia: ex qua permixtione, ad pantheismum levissime dilabuntur. Eadem insistentes, docent alii *compositionis unitatem*, sive omnia animantia ex typi quadam unitate profecta, gradatim et per tentamina in perfectiores evasisse formas, usquedum fieret homo: quae schola ab illustri Cuvierio protrita

fuit (*a*). Demum quum nuperis temporibus, falsa quaedam *historiae philosophia* novos assequeretur honores, nempe ars illa qua hominum facta minus ad liberam hominum voluntatem referuntur, quam ad progredientis naturae praeconceptam necessitatem; paganorum fatalismus revixit, nativa soboles pantheismi. Inter hos Ioannem Baptistam Vicum aegro animo recensemus.

VI. In opere, cui titulus *Scienza nuova*, Vicus in prima et tertia prioris libri divisione ponit: 1. mundum *naturalem* esse a Deo, eiusque sibi scientiam Deum reservasse; sed, cum societatis auctor sit homo, mundi socialis scientiam ab homine obtineri posse. 2. Societatis initia ita confingit. Post diluvium, homines ad belluarum conditionem delecti, tonitru de Dei, sive entis fortioris existentia admoniti, societatem inierunt, gigantibus, qui validissimi erant, collato imperio. 3. Novae suae scientiae methodum describens, ait se Bacouis vestigia secuturum: *Cogitare, videre*. Ex ipso, *cogitatio* est intellectio mundi *idealis*, qui animo insidet: *visio*, est applicatio mundi idealis ad mundum *realem historicum seu socialem*. Hinc duplex historia: *idealis, realis*. Directio autem logica intellectus eam inquirentis, ait ipse, habet pro obiecto motum circularem *historiae idealis*, quo *historia realis*, omnium gentium rapitur et concluditur. 4. Veritatis *criterium* reponit Vicus in sensu *individuali*, quem temperet vel emendet sensus *universalis*.

VII. Errat in singulis. Nam 1. Homo a Deo factus est ad

(*a*) In entium serie progressionem et gerarchiam conspicimus, qua ab imperfectioribus ad perfectiora conscendimus. Verum, cum Buffonio et Cuvierio, generum differentiam et immutabilitatem propugnamus. Hinc 1. non existunt genera illa *media* a Bonneto excogitata, quibus genera generibus commisceantur: ita ut genus aliquod sit planta simul et animans, brutum et homo, veluti anulus utraque iungens: quasi nulla generum praecisa distinctio in magna creatorum serie a natura sit constituta. 2. Eoque minus, ex communi aliquo typo, entium de genere in genus immigratio. Gratuito enim fingitur, naturam per successiva tentamina, hominem, puta, ex scarabaeo, ad praesentem statum perduxisse; vel pisces in sicco derelictos, propriis conatibus pinnulas excutiendo, emissis alis et plumis, in aves conversos fuisse. Quod ridens Cuvierius, « forsan, aiebat, mihi nasum perfricare conanti nasus ortus est. » Si autem tanta est naturae vis, cur entia omnia quorum extat memoria, eumdem immutabiliter speciem et formam retinent? Huc tamen convertitur modernus pantheismus, suo illo *typo exemplari animatae creationis*, quem Herder edocuerat ab anno 1784, quemque Goëthus anno sequenti *typum anatomicum*, vel *exemplar universale* appellaverat. Unitas compositionis nuper in Gallia, scholae ducem nacta est virum, qui ceteroquin ab eius abhorrebat consequentiis, Geoffroy Saint-Hilaire. Ast Cuvierius hypotheses de nunquam interrupta entium continuitate, et de compositionis quae inde fluit unitate, factis et ratiocinils expauxit. Permagna eius opera et nunquam peritura, sunt eius *Zoologia* et *anatomia comparata*: quibus, Moysis doctrina de creatione, luculentissime vindicatur Vide P. Flourens, *Travaux de Cuvier*. Iocosam autem animalium de genere in genus immigrationem vide in Maillet, *Telliamed*, tom. II, praesertim pag. 165, 167.

societatem: ergo mundus quoque socialis est a Deo. Sint ab homine formae societatis accidentales, at lex aeterna iustitiae, religionis, charitatis, quibus homines coadunantur et religantur in societate, utpote essentialia societatis elementa, certissime a Deo sunt, et societati praeexistunt. Ideoque, sine illis, non magis fieret societas, quam sine aere statua, vel pictura sine coloribus. Imo, omnes utopiae, falsaque systemata, quae societatem turbant ac miscent, ex ea sunt radice profecta, quod hominum colligatio ut merum opus hominum aestimata fuerit. Societatis accidentia expoliant homines, quemadmodum artifici, retento hominis typo, formae adiuncta licet expolire: sed societatis substantialia, quum a Deo sint et fixa, non hominum libitu sed Dei legibus societas ipsa constituitur; eoque magis perficietur, quo ad divinum ordinem propius accedet.

VIII. Vel igitur de substantialibus mundi socialis loquitur Vicus, vel de accidentalibus: illa ex Dei legibus haurienda sunt, ista ex hominum factis quae revera praecesserint. Ergo nunquam ex subiectivis scribentium ideis consarcinanda est perfectio vel historia mundi socialis.

IX. 2. Non magis probabile, homines ad belluinum statum deiectos, quam circuli naturam aliquando latera assumpsisse vel angulos. Nec tonitribus ea vis, ut ex brutis homines efficiant; nec ut sine lege vagantes, sub lege colligerentur: nec ut ad Dei notitiam assurgerent, nisi eam in seipsis invenissent. Pauperrima et abiectissima philosophia, quae de homine, praeclarissima Dei imagine, deque eius societate a familiae vinculis et affectibus incepta sub Dei imperio, haec somniat vel delirat!

X. 3. Methodus, qua ex mundo ideali concluditur historia mundi realis, seu externa evolutio et progressus humanitatis, pantheismum et fatalismum sapit. Pantheismus: ponit enim progressum in natura, quem nos superiori titulo expungebamus. Fatalismum: nam si agendorum series fixa est a priori, actum est de libertate; si fatali cursu devolvitur humanitas, ergo et homines humanitatem componentes. Quae methodus historiam describendi a priori, quoniam invaluit, historiam fere amisimus. Rationes factorum inquiramus, sed non ingenii commenta pro factis venditemus. Quod multoties praestitit Vicus, torquendo facta, liberamque humanitatem suo illo *circulari motu*, sive praeconcepta et ineluctabili agendorum serie, coarctando.

XI. 4. Sensus intimus et *individualis* ea testatur, quae intra, non quae extra conscientiam posita sunt. Sensus autem *universalis*, quum sit collectio sensuum individualium, neque ampliorem habet vim. Ergo neuter est criterium veritatis sufficiens et universale. Revera, quaecumque historico suppetat intelligendi vel sentiendi vis, nunquam praeteritorum historiam conficiet, nisi tradita acceperit; factorum enim ea est conditio et natura, ut tradita accipiantur non ut animo vel cogitatione inveniantur.

Historica igitur veritas, societatis initia et vices, quum sint facta externa, ab externa auctoritate erunt repetenda. Imo nec primus homo, ex sola ratione vel sensu intimo, rerum integram veritatem haurire potuisset. Quid enim de sui creatione, de Numinis voluntate eiusque praeceptis, nisi Deo tradente, novisset? Iamvero a Moyse, omnium antiquissimo scriptore ac fidelissimo, habemus Adam ontologicam veritatem sic certissime acquisivisse: 1. Ex Dei praecepto, absolutum eius novit imperium 2. Ex Dei imperio, sui ipsius animam libera activitate praeditam sensit, obedientiae vel inobedientiae capacem. 3. Ex imperio et obedientia, ius et officia. 4. Corpus intellexit non ad imperium, sed ad animae ministerium, eique mancipatum. 5. Ex Dei quoque praecepto, societatem a Deo esse didicit: « Benedixitque illis Deus, et ait: Crescite et multiplicamini 1), » 6. Similiter ex Deo didicit, terram humanae dominationi esse subiectam: « Et replete terram, et subiicite eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus coeli, et universis animantibus quae moventur super terram 2) ». 7. Hisce omnibus, illa praecesserat creationis mundi atque hominis revelatio, Adam facta, quae naturalis historiae, eiusque certitudinis, et emanantium inde officiorum hominis ad hominem, omniumque ad Deum, origo est ac fundamentum.

1) *Gen*, I, 28.

2) Ibid.

XII. Haec vera, Deoque digna et homine. Sed non ex propria ratione vel sensu ea didicit Adam, nec nos didicimus, sed ex Dei ipsius, deinde ex historica scriptorum auctoritate. Ergo neque ratio, neque sensus intimus vel communis, sufficiens referunt criterium veritatis: sed hominis initia, Dei facta et imperia, societatis constitutio, religio, hominum et saeculorum vices, nisi fabellis et perpetua pueritia delectemur, ex certa historia sunt repetenda. Quomodo autem certa, quae rerum creationem et finem spectant, nisi Deus ab initio revelasset? Quomodo, quae tantae sunt necessitatis ad intelligendam atque instituendam hominum naturam, certo ac tuto ad nos pervenissent, nisi Deus rexisset scribentem? Demum, quomodo mundana haec innotuisset hominum vocatio, aliaque ultramundana, quam universa expectat natura, nisi Deus edixisset? Quorum problematum solutio, quum ad societatem intelligendam, regendam ac perficiendam, plane atque in universum necessaria sit, concludimus hominem ac societatem duo esse mysteria naturalistis vel rationalistis, externam revelationem despicientibus. Revera, ab ac recedentes Vicus aliique, nihil ingerunt nisi fabellas et commenta.

XIII. Si quaeras cur acerrimi ingenii vir ita hallucinatus fuerit, quae sentio candide proferam. Vicus paganorum figmentis nimium indulgens, ea ad catholicam sapientiam flectere irrito conatu nisus est. Inde haeret, pugnantia loquitur, tenebris obvolvitur inextricabilibus. Hinc quoque, ipsa auctoris aetate, pugnantia de *scientia nova* iudicia. Verum, gratia quam hisce

temporibus, agente Victorio Cousinio, apud Galliae idealistas, rationalistas ac pantheistas invenit, nimiam cum iis affinitatem declarat. Haec de italo auctore, aliis numeris nobilissimo, erant animadvertenda. Scholae huius magistris, Baconis effatum commendamus: *Non alae, sed plumbum* (*a*).

XIV. Humanam naturam ac societatem, mysterium esse revelationem despicientibus, probant eorum commenta, qui e revelationis tramite discesserant. Hominem ex silvestri vita vel ex bruto animante, quasi papiliunculum, per tentamina et successivas immutationes ad hunc statum pervenisse. Non ratione vel nobili quopiam instinctu, sed tonitru vel caedum timore, societate inventa, sine firma ac indita lege imperia quoque invenisse, religionem et pacta. Motu quodam recto vel circulari omnia agi, quem progressum appellant naturae et humanitatis. Mulieres viris coaequandas, carnem a lege spiritus emancipandam, familiae vincula exsolvenda, ut non alia quam generis humani familia ha-

(*a*) Vera *historiae philosophia* parentes veneratur s. Augustinum in maximo opere *de Civitate Dei*, et Bossuetum in libro: *Discours sur l'histoire universelle*.

Quum labentis Imperii mala, Gentiles qui supererant, in christianam religionem conferre solerent, quasi ipsa Deos expulisset quibus Imperium steterat; potissimum recruduerunt infidelium querelae, cum, regnante Honorio, Gothi summam cladem Romae intulissent. Tunc incredibili eruditione et ingenii vi, Augustinus historiam complexus omnium saeculorum, mirandam sane gentium ac regnorum vicibus rationem ac lucem attulit, causas rerum evolvit, theologus simul, philosophus, legislator et politicus. Illo nihil solidius, nihil uberius vel excelsius. Haec rerum summa: Mundus una simulque divina lege gubernatur: sed mortalium corda duplex exercet amor, coelestis vel terrenus. Hinc duplex veluti civitas, *coelestis* una, altera *terrena*. Duce Deo, militat in terris civitas illa coelestis, donec in aeternitatis sinu tota colligatur et conquiescat. Sed dum, rebus secundis, animi luxuriantur ac rebellant Deo in civitate terrena, ab illo refrenantur medicinalibus poenis. Haec monitoria Divinitatis. Hisce purgantur iusti ac perficiuntur, mali admonentur vel plectuntur: in utrisque, providentiae ac iustitiae ordo servatur ac fulget. Brevi: iustus Deus; homo liber. Expleto rerum ordine utraque civitas colligetur ad praemium vel ad poenam, in aevum mansura. Haec Augustinus.

Bossuetus vero, strictiori at fulgentissima oratione, gentium atque imperiorum facta quasi in tabula affabre depingens, alio licet ordine et forma, Augustini vestigia est prosecutus. Illic humanitas, quanta est, conspicitur; illic imperiorum origo et casus, cum suis causis et rationibus; illic humani generis quasi flumen prae oculis excurrens, ac desuper Numen ipsum singulis rependens iusta, omniaque in sui et iustorum gloriam convertens. Bossuetum carpit Cousinius, quod naturae humanae cursum non sola rationis lance, sed supernaturalis quoque Providentiae interventu perpenderit; quasi id esset quod aiunt: *Deus ex machina*. Verum Bossuetus, amplissima comprehensione, qua valde minores sunt naturalistae, humanae gentis naturalia et supernaturalia ita complectebatur, ut diluciam ac sublimem rerum humanarum historiam simul et demonstrationem conficeret. Qua nihil discentibus utilius, doctis autem nihil suavius prae manibus cedit.

Si vera historiae philosophia, ex Tacito illa est, quae ita enarrat ac discutit, ut « non modo casus eventusque rerum, sed ratio etiam, causaeque noscantur » (*Hist.*, I, 4.); nemo hactenus ad dramaticam Bossueti veritatem et dignitatem accessit.

beatur, absoluta omnium aequalitate. Aerumnosam, quam habemus societatem, ex naturae praecepto iam iam in aliam esse convertendam, in qua politica regimina absolutissimae libertati, labor gaudiis, paupertas divitiis cedant. Hisce gaudiis homines ad alia sine fine gaudia immigraturos, usquedum universum genus humanum, cum ipsa tellure, ad coelestem naturam sua vi immigret, vel communi vortice rapiatur.

XV. Haec docet multiplex pantheistarum genus: radix vero atheismus, cuius surculi socialismus et communismus. Quae si olim in libris et scholis agebantur, hisce temporibus in conventiculis ac triviis ab efferato quodam populo discutiebantur, ut ad executionem perducerentur. Scilicet, cum ipsa revelatione qua naturae humanae finis ac dignitas constant, naturae rationalis elementa ac iura expulsa sunt; uno relicto materiae cultu, quo homo ad brutorum infirma convertitur. Sed praestat errorum origines delibare, affinitates atque incrementa.

XVI. Primo, semota divina historia, vel ductis ab ea traditionibus, unde hominis creatio, laspus et redemptio, cum suo statu praesenti vel futuro, unice dignoscuntur; summum scientiae ac societatis reficiendae imperium rationi conferebatur. Inde, quot capita, tot rationes; et quot rationes, tot systemata de naturae et societatis constitutione. Tunc tenebrae, tunc somnia. Quum enim nequeat homo inquirere sollicite unde sit, quid agat in terris, quid sibi vel sui similibus debeat, quoque feratur vel tendat; ablegata revelatione, et deficiente ratione, figmentis saltem erat indulgendum. Sed magna res homo, ad meliora conditus, et divinitus restauratus ad sublimiora. Hoc retento naturae nisu, sed expunctis rationibus propositum finem contingendi, excogitatus est progressus indeficiens, viribus naturae adipiscendus (*a*).

XVII. Hinc fervens naturalistarum labor. *Politici* novis regiminum formis adlaborant; proferendis commodorum et divitiarum fontibus, *oeconomistae;* societatem et proprietatem funditus reformandam suscipiunt qui inde appellantur *socialistae.*

Verum formae politicae nihil sunt ex seipsis: despotismus, ipsaque tyrannis, cum monarchia vel aristocratia vel democratia aeque consociantur. Nec inde progressus indeficiens: omnes enim populi, revoluto orbite, a democratia ad monarchiam, quasi ad naufragii tabulam, reversi sunt. Si ergo nutet vel laboret societas, si instauranda vel reficienda sit hominum felicitas, aliunde quam a formis et accidentibus erit incipiendum. Eademque ratione, so-

(*a*) Progressum naturae indeficientem, ex eo tuentur nonnulli, quo ipsi errores et gentium tempestates, in aliqua societatis bona convertantur. Sed corporea ne valitudine proficit homo, qui hausto veneno, eius vim experitur? Equidem, sapientissima Numinis providentia, bona eliciuntur malis. At nos verbis atque ideis illudimur: non enim tunc naturae progressus indeficiens; verum, errauti atque deficienti naturae, *indeficiens* eminet *Providentia*, cuius praesenti consilio res nostrae diriguntur ac temperantur.

cietatem fatiscentem exornant non restaurant oeconomistae. Socialistae vero, pro naturali societate, imaginariam et absurdissimam efferentes, eidem solvendae aptissimos, novae autem constituendae ineptissimos se exhibent. Omnes in eo peccant, quod Deum auctorem et legislatorem extra societatem ablegantes, societatem ipsam extra hominum naturam eiusque leges ac fines, adstruendam constituant.

XVIII. Hoc igitur vitio, tamquam a capite, infirmatur et concutitur genus humanum. Homo, cuius divina imago, divina mentis similitudo, divinus finis, ac propterea divina lex qua vitae cursus in finem dirigatur, divinam a se ferme expulit naturam. Olim a Deo edoctus, Deum loquentem ac docentem sprevit; ratio, a divino lumine abstracta, exaruit; deiecta mentis celsitudine, sensus insurrexerunt, et rationi a Deo emancipatae, emancipatio carnis a rationis lege successit. Hinc, simplicissimis ac suavissimis naturae legibus despectis, fucatis illudimur utopiis, et quo magis socialis libertas praedicatur populorumque felicitas, eo magis recedit libertas civilis, et populi ab ipsis reformatoribus ita legibus divexari caeperunt, ut vix liberi remansissent halitus et suspiria. Interim egentium turba fremens ac minans, cui subductum est extremum patientiae ac virtutis effugium, religio, Progressus, quo rapimur, ultima periodus, socialismus vel communismus: quo, nisi Deus adsit, foedissima omnium tyrannide laetabitur genus humanum, usquedum, ut naturalistae augurantur, in quid divinum per generis transmigrationem convertatur.

XIX. Haec magnarum quandoque mentium deliramenta, qui sit naturalistarum progressus, horrenda nimis ratione commonstrant. Duplex igitur progressus: *veritatis* et *erroris*. Natura semper eadem manet cum sua originali bonitate et superaddita perversitate: at qui eamdem naturam induunt homines ac gentes, pro eorum libertate, modo in bonitate, modo in congenita perversitate progrediuntur. Sed nationes infirmantur et convalescunt. Si ergo in errore versemur, quod humanae est infirmitatis, ad veritatem et sapientiam redeamus, inditam naturae legem sectantes, et fessas mentis animique vires supernae lucis atque religionis auxilio reficientes.

TITULUS X.

MAGNUM IUS GENTIUM, RELIGIO.

I. Religione, natura servatur vel reficitur. II. Iam Deo ligati, iterum religamur. III. Lex amplior, sublimior ac potior, religio. IV. Ergo summum ius gentium est religio tota atque integra. V. Eius existentia atque officia evincuntur. VI. Ipsa legum et societatis fundamentum. VII. Nulla auctoritas, vel imperium, sine religione; VIII. inaniaque verba aequitas naturalis, lex, poenae vel praemia. IX. Brutorum grex, non civile consortium. X. Nobis faventes, Volterii et Rousseavii ratiocinationes. XI. Religio vere socialis, a Deo immediate expectanda. XII. Religionis naturalis infirma vis demonstratur ex factis. XIII. Ausi divinam reficere religionem, omnem pene e cordibus expunximus. XIV. Attrita religione, ius et libertas evanescunt. XV. Qua pergimus via?

I. Quemadmodum e clariori luce egressis obscurior nox offunditur; ita nobis contingeret, corrupto naturali lumine, et supernaturali depulso (*a*). Ne igitur humanitate expolita et divinitus restaurata natura, ad caecitatis et corruptionis ima deiiciatur, lege ac religione sanctissimo Numini est religanda.

II. Lege ligamur ad ea quae honesta conspiciuntur: religione vero, ad ea quae erga Deum ipsum, erga nos, erga ceteros iusta sunt, iterum religamur. Est igitur naturae progressus a lege ad religionem, qua propius ad Deum accedimus, eique firmius copulamur (*b*).

III. Lex est ius cordibus insculptum, sed obscuratum interdum, anceps, naturae limites non excedens: religio vero quae a sola natura est, licet iisdem angustiis afficiatur, se tamen extulit si externa revelatione compleatur. Haec enim idem naturae ius pertractat, pervulgat et definit securius, sublimiora effundens lumina et auxilia, omniaque certiori firmans sanctione et auctoritate.

IV. Ergo si ius naturae est prima gentium lex et constitu-

(*a*) Naturalis ex. gr. aequalitas et fraternitas, quarum tanta est laus in Evangelio, hoc depulso, a quo illae reguntur, ad socialismi et communismi extrema delaberentur. Ipsa libertas evangelica turpiter in omnimodam licentiam est conversa. Sublimis atque amplissima vis ac dignitas, quam Evangelium mentibus atque animis attulit, in latiorem fieret ruinam, si modo ab evangelica norma desciscamus. Unde omnium pestilentissima fieret barbaries, quae ex corrupta enasceretur christiana civilitate.

(*b*) Non placet Ciceronis sententia, religionem a *relegendo* dictam existimantis (*De nat. Deorum*, II, 72). Rectius a *religando*, quod eius vinculo *religati* et obstricti Deo simus: « Hac conditione gignimur, ut generanti nos Deo iusta et debita obsequia praebeamus; hunc solum noverimus, hunc sequamur. Hoc vinculo pietatis obstricti Deo et religati sumus. Unde ipsa Religio nomen accepit, non, ut Cicero interpretatus est, a relegendo etc. (LACTANT., *Div. Inst.*, IV, 28). Vid. SERVIUS, ad *Aeneid.* VIII, 349. — S. THOM., I, II, q. 81, a. 1; id. *Opusc.* 19, c. 1.

tio; religio naturalis et supernaturalis, tota simulque integra qualis a Deo prodierit, est supremum ius et absolutissima lex, qua gentes populique reguntur, colliguntur, continentur.

V. Si « iustitia erga Deos religio dicitur 1), » ergo ratio- 1) Cic., *Partit.*, nalis natura quae erga sui similes iustitiae vinculis revincitur, a 22. fortiori erga Deum *auctorem* et *conservatorem*, eiusdem iustitiae officiis colligatur. Quibus creationis et conservationis, si notiones adiicias summi *legislatoris*, *iudicis* ac *remuneratoris*, plenissimam demonstrationem efficies. Hinc, Plutarcho animadvertente, facilius urbem invenies sine solo, quam sine Numine et religione. Omnes enim homines, ut ait Wegscheider, notiones quae ad religionem naturalem pertinent, quasi *sanctissimum peculium*, sibi vindicant et possident. Eodemque Genevensi sophista profitente, nunquam maior homo, quam se suaque sanctissimo et beatissimo Numini offerens. Animum itaque offerens, unde cultus interior; deinde corporis actus aliaque exteriora, et quandoque magnifica, unde animus ipse percellitur, roboratur, quasi ad caelestis gloriae Deique granditatem evehitur, ceterisque pietatis affectu et societate coniungitur. Sed quid de praecepto quaerimus? Nonne summum in religione, sitientis animae solamen, perfugium et caeleste veluti convivium?

VI. De religionis necessitate, quatenus societatis legumque omnium est fundamentum, nemo dubitat. Tullius ac Plato de legibus disserentes, eam legum praeambulum seu radicem et initium edixerunt. Ait ille: « Sit igitur iam hoc a principio persuasum civibus, dominos esse omnium rerum ac moderatores Deos: eaque quae geruntur, eorum geri ditione ac numine, eosdemque optime de genere hominum mereri: et qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate colat religiones, intueri: piorumque et impiorum habere rationem. His enim rebus imbutae mentes, haud sane abhorrebunt ab utili et a vera sententia 2). » Quae, ad constituendam et firmandam societatem, 2) Cic. *De Leg.*, non modo utilia sed necessaria, quis neget, prosequitur Cicero, I, 7. « cum intelligat, quam multa firmentur iureiurando; quantae salutis sint foederum religiones; quam multos divini supplicii metus a scelere revocaverit; quamque sancta sit societas civium inter ipsos, Diis immortalibus interpositis, tum iudicibus, tum testibus? 3). » Egregia haec in ethnico homine: nos intimiora scru- 3) Ibid. temur hominum atque imperiorum.

VII. Ut unius familiae unitate filii contineantur, id paterna efficit auctoritas, divinam auctoritatem et paternitatem referens: ergo, adempta Dei auctoritate, familia labefactatur. Ut cives digne principi subsint, aliquid divinum in principe requiritur, quum homo homini, ex se, inspecta naturae aequalitate, non dominetur: ergo, divino sublato imperio, humana regimina dissolvuntur. Ut legibus, non manus tantum, sed hominum contineantur voluntates, vis divina requiritur, quae conscientias liget ad obe-

dientiam, eisque imperet: ergo, seposita lege divina, leges humanae erunt larvae umbratiles, simulacra cassa et inania. Atqui lex divina, divinum imperium, divina paternitas, sola religione fulciuntur ac sustentantur; ergo sola religio, familiis atque imperiis praesidens, ea regiminis et ordinis unitate continebit.

VIII. Dices, remoto etiam Deo, homines ratione, tum naturali vel civili aequitate, in officiis contineri?

Sed, cum ratio unius, alterius rationi aequalis sit, nulla imperium obtinebit. Igitur alia ratio est adhibenda, alius magister, alius imperans: ratio nempe et auctoritas summi Dei. Atqui Dei vocem eiusque imperia, sola religio defert a caelo, interpretatur, explanat: ergo solius est religionis, humanam auctoritatem adeo caelesti communire auctoritate, ut homines non vi, non coacte, sed ex animo pareant. Quaenam autem abstractae sive naturalis sive civilis iustitiae vis, nisi in concreto legislatore inspiciatur, qui naturae emineat ac dominetur, cuius imperium nemo praevaricator effugiat? Esto, bona mens naturalem vel civilem libens sequatur aequitatem; sed quis audacem temperet vel scelestam, si legis impune violandae detur occasio? (*a*) Ius ergo divinum super iura humana est constituendum. Religionis enim maiestate, quasi Divinitatis radio, obsignata imperantis auctoritate, leges quoque ex Divinitatis mente hauriendas eiusque imperio signandas, gentes omnes persenserant. Hinc Tacitus « Numa religionibus et DIVINO IURE populum devinxit 1). » Non vero quidem iure, sed, ut omnes legislatores, naturae inditam sensit necessitatem, et quod potuit, effecit. Ex Eutropio autem « non minus civitati, quam

1) *Annal.*, III, 26.

(*a*) Pufendorfius, *ultimum et firmissimum societatis vinculum esse in religione*, sequentibus evincit: « Religione remota, civitatum firmitas intrinseca semper in incerto foret, parum vel nihil conferente poenae metu, vel fide superioribus data. Tunc enim revera locum habet: *qui mori scit, cogi nequit*; quippe Deum non metuentes, nec mortem metuent. Huic contemnendae qui sufficeret, in imperantes quaevis tentare posset. Ut autem id vellet, vix causa est defutura: puta, ut declinaret incommoda, quae sibi ab alterius imperio videntur incumbere, aut ut ipse potiretur commodis, quae imperii possessorem comitantur. Praesertim cum facile iudicare possit, iure se id facere: vel quod qui in praesens rerum potitur, prave rempublicam videatur gerere; vel quod ipse longe melius imperaturum se speret. Occasio autem ad talia tentanda facile offerri posset, rege vitam suam non satis caute circumsepiente (et quis, tali rerum statu, custodes ipses custodiet?); vel multis conspirantibus; vel, bello externo ingruente, adscitis in partes hostibus. » Hactenus de iis quae principi forent pertimescenda. Prosequitur vero, illa enarrando quae civi a cive, coniugi a coniuge, omnibus autem ab irreligioso principe essent metuenda. Demum concludit: « Unde apparet, quantopere intersit generis humani, atheismo omnes vias, ne invalescat, praecludere; simulque quanta vecordia eos agitet, qui ad opinionem prudentiae politicae conciliandam facere autumant, si in impietatem proclives videantur » (PUFEND., *De offic. hom. et civ.*, I, 4).

Si in privatis hominibus inexplebilis regnandi libido, si seditionibus nec modus, nec finis, si concussa aliquibi commemiscit societas, quinam culpandi, nisi qui atheam fere moribus vel legibus societatem effecerunt, vel veri passi sunt?

Romulus, profuit; nam et leges Romanis, moresque constituit, qui consuetudine praeliorum iam latrones ac semibarbari putabantur 1). »

1 *Breviar. Hist. Rom.*, I, 3.

IX. Igitur, societas sine religione, est societas sine Deo: idest, sine aequitatis radice, iuriumque auctore, sine principe ac legibus, sine vindice ac remuneratore. Dimissa religione, ait Vicus, societatis vincula dissolvuntur, ipsaque *populi forma* extinguitur. Sine religione Deique imperio, sola superest vis hominis in hominem: non morale vel civile consortium, sed brutorum grex eodem vallo aut cavea conclusorum.

X. Non haec sane piorum suspiria, sed novorum quoque reformatorum decreta, quae instans abstraxerat necessitas. Ait enim quidam: « Nollem mihi rem esse cum atheo principe, cuius ferret utilitas ut me in mortario contundere: certe enim contusus peribo. Nollem, si rex essem, atheos mihi aulicos obversari, quorum interesset, mihi veneno mortem consciscere: e cubiculo egredienti, continuo mihi antidoto cavendum esset. Principibus itaque et populis *absolutae est necessitatis*, ut idea supremi Numinis, *creatoris, gubernatoris, remuneratoris* ac *vindicis*, cordibus profunde insculpta vigeat ac dominetur 2), » Alter vero, in eamdem prosequitur sententiam: « Fide in Deum et in futuram vitam dimissa, nihil nisi mendacia, hypocrisim atque iniustitiam debacchari conspicio. Utilitas prae omnibus: vitia, virtutum specie condecorantur. Mihi serviant universi, cuncta ad me unum revertantur: me incolumi, pereat genus humanum! Haec intimiora sensa athei ratiocinantis. Vere hoc teneam: quicumque dixit in corde suo *non est Deus*!, aliaque concludit, vel mendax est, vel insensatus 3). »

2 Voltaire, *Dict. philosoph. art. Athéisme.*

3 Rousseau, *Emile*, tom. III, 205.

XI. Quum idea imperantis Dei, et definiti cuiusdam codicis, ex quo religiosa iura constituantur, tantae sit necessitatis ut hominum vita et societas ad communem finem dirigantur; sequitur, ea genus humanum religione indigere, quae non hominum opinionibus, sed manifestissimis Dei oraculis perficiatur; cui non homines dominentur, sed ipsa hominibus; nec populis tantum immineat, sed legibus ipsis, magistratibus et principibus. Uno verbo, quae summum sit animarum vinculum, quae sit explicita, authentica, et summum ius hominum et gentium invicte constituat. Sed religio mere naturalis, humanis tantum opinionibus innititur, nulla immediata et caelesti sanctione gloriatur; hominum ingeniis, moribus, legibus paret potius quam imperet; non una propterea, sed multiplex; nihil fere de Deo, praeter eius existentiam edisserens; nihil de eius cultu, nihil de futurae vitae conditionibus proferens; naturae infirmitatem non elevat, cupiditates vix coërcet, totumque hominem dubitationibus ac tenebris obvolutum sibi ipsi relinquit (*a*).

(*a*) Hinc maxime nostra a Pufendorfio dissensio. Quum enim posuisset, iuris naturalis officium esse, hominem *sociabilem* efficere, prout *tantum ambitu huius vitae includitur*; theologiae vero, hominem *christianum*

XII. Et sane, apud nullum unquam populum ita viguit religio naturalis, quin ille a theismo ad atheismum, vel saltem ad polytheismum aliaque monstra tum in speculativis, tum in moralibus, dilaberetur. In moralibus *obscoena nefanditas*, et *fera crudelitas*. De illa dicere vetat pudor: ceteroquin, Augusti aevo et sequenti, nihil foedius contingit hac nostra aetate, apud barbaras gentes Indiae, Africae vel Oceaniae. De crudelitate, pauca. Apud Chananaeos, Phaenicios, Carthaginienses, vel matres filios inter ardentia idoli brachia exurendos deponebant, vel ipsae comburebantur. Eadem flamma, defuncti mariti et viventis uxoris corpora absumebantur. Hodie adhuc, quod Licurgus et Plato in Graecia praeceperant, centena puerorum millia quotannis vel Cinensia flumina transvehunt, vel canes devorant. Horrendum bellorum ius, horrenda servitus. Sed quod illi, revelatione excepta, et nos essemus: nam nunc quoque, ubi divina lux non affulsit, non absimili gentes caligine laborant. Argumentum hoc ab effectibus, naturalistis revelationem despicientibus, spem et vocem exscindit. Ratione quidem et moribus, ipsi naturalistae profecerunt: sed ex ipsa revelatione profecerunt, quam detrectant. Nam, velint nolint, eorum mentes pervasit illa eadem lux; nec sciunt, vel saltem fateri erubescunt, se ex illa habuisse quidquid boni tradunt vel in philosophicis, vel in moralibus, vel in civilibus disciplinis. Igitur, quemadmodum revelatae religionis auxilio ex paganorum tenebris ad hanc lucem evaserunt gentes, ita, seclusa revelatione, in illas, naturali pondere, relaberentur (*a*).

informare, qui fructum pietatis *post hanc vitam maxime expectat* (*De offic. hom. et civ.*, praef. §. VI); ius naturae a iure revelato, nimis violenter abscindit. Duo, fatemur, distincta sunt iura, nequaquam confundenda; sed quum in una eiusdemque hominis vita sint consocianda, neque in doctrinali disceptatione, neque in practica hominis institutione, invicem sunt recidenda. Ea itaque ratione, qua homo perfecte *sociabilis* non fiet, moribus ni fiat *christianus*; ita quoque non fiet perfectum ius humanitatis vel gentium, nisi ius naturae, christiano iure perficiatur. Crescit autem argumenti vis, si de religionis agatur origine et auctoritate. Sociabilis enim quum ea tantum habenda sit religio, quae divina nec fallibili auctoritate, maximoque omnium imperio, universam societatem regere et cohibere valeat; ut ius naturale et sociale, hanc religionem a iure divino expostulet, ipsa urgetur rei natura et necessitate. Nec inde ulla iuris confusio, quemadmodum nec amici dexteras confundunt, dum aliae aliis interseruntur. Hoc dudum vitio tenemur, quod res distinctas quidem sed sociandas, uti naturalia et supernaturalia, nos incaute vel audacter dissolvimus. Unde illa prodiit infirmitas scientiarum atque ingeniorum, et fere illa societatis mors, qua egregie laboramus.

(*a*) Cultissima quae Christum praecesserant tempora, foedissima atque atrocissima forent dicenda. Nullum ius gentium, nisi quod furor et arma ministrabant. Civitates et imperia suos seorsim habere Deos credebantur, et ipsos bella gerere, delectari caedibus, et humano sanguine foedari; victos autem, ex una in aliam gentem immigrare. Unde, iure belli, ipsa quoque fugientium Deorum templa evertebantur. Quae autem, inter huiusmodi gentes, vel religionis vel unitatis vel pacis iura esse poterant? Hinc horribilia potius imperiorum excidia, quibus homines a sene ad lactentes interficiebantur, excisaeque urbes delebantur. *En ubi*

XIII. Hinc infirmitas explicatur, qua civilis orbis concutitur. Quum civilia condere iura aggrederentur politici, divina quoque religionis iura reficere vel condere ausi sunt. Unde quae divina erat religio, populos atque imperantes refrenans et continens, modo a principibus, modo a legumlatoribus tacta, humana atque infirma facta est. Equidem praeclara nomina inventa sunt: *Deus et Populus; Status auctoritas; voluntas populorum.* Sed quid, ad ius religionis vel societatis, miser ille Deus, quem quisque pro ingenio sibi confixerit? Quid Status, quid Populus, nisi creaturae, quae non ipsae divinum ius constituant, sed illi obsequantur? Hoc unum efficimus: ut, quantum a condita divinitus religione recessimus, tantum ad paganismum eiusque mala regrediamur. Hinc concussiones gentium atque regnorum: hinc subversa libertatis lex, quam gentibus ius divinum intulerat.

XIV. Nam, quum ante redemptum genus humanum, iura ab hominibus crearentur, alii aliorum serviebant voluntati. Sed praeceperat Christus: « Reges gentium dominantur eorum: vos autem non sic 1). » Ius scilicet unum, e caelo delatum. Unde vere Apostolus: « Sub elementis mundi eramus servientes 2). » Mundi civilis elementa innuunt paganorum aevum, quo homo hominis arbitrio ac dominationi mancipabatur. Christo autem ius unum omnibus edicente, iam nemo servus est hominis sed Dei, Deo ipso iusta per homines imperante. Hoc iure societas pulchro ordine erat cumulanda: est enim ordo *subiectio imperantium et populorum iis, quae a summa Dei lege ordinantur.* Necessario igitur, infirmato vel disrupto divini iuris sive religionis vinculo, homo iterum in hominem dominatur, nutant societatis fastigia, totaque societas turbatur, angitur, nec invenit amplius quo criterio vel fundamento, imperantium atque populorum iura discriminentur vel constituantur.

1) Luc., XXII, 25, 26.
2) *Galat*, IV, 3.

XV. Deum sperne; continuis sophismatibus eius dominii ideam expelle; ipsum non esse locutum, eiusque religionem humanum esse inventum, auribus insusurra; historias omnes corrumpe, calumniis et fabulosis narrationibus venenum infunde; animos

Troia fuit! De Romanis, in ipso culturae civilis culmine, habet Sallustius: « At hi ignavissimi homines, per summum scelus, omnia ea sociis adimere, quae fortissimi viri victores hostibus reliquerunt: proinde quasi *iniuriam facere*, id demum esset *imperio uti* » (*Catilin.*, 12). Ipsi triumphi, quibus tum spolia de hostibus capta, et praeda omnis auri atque argenti, et oppidorum simulacra, tum etiam captivorum hostium duces ac reges vincti subsequebantur; quid erant aliud quam humanitatis despectus, ac ludibrium pro iure constitutum? Ierusalem excidium meminisse sufficiat. Undecim centena millia ferro vel flammis absumpti: bis autem centum millia vel divenditi, vel Romae ad explendam horribilem sanguinis sitim, turmatim in circum vel amphiteatrum compulsi, bestiarum dentibus vel suis ipsorum manibus dilaniandi. Inaudita Christianorum supplicia quid memorem? Haec, aliaque nefandiora, in excultissimo orbis imperio, evincent quaenam iura populorum esse possint, ubi a vera religione, tamquam a iustitiae fonte, discesserint.

voluptatibus emulce, ut fides concidat cum futurorum spe vel timore: haec fiant (imo facta sunt), et societas erumpet ut torrens exundans. Excisa religione, quid hominum leges proficient? Quid de familia, de moribus, de imperiis fiet? Sanctissimum coniugii foedus abrumpet libido, frustra interiectis legibus *matrimonii civilis*, quum hominum corpora et voluntates solus Deus, non terrae dominatores possideant, Hominis filius, brutorum filiis, aequabitur, qui parentes dimittet cum sibi cibo et viribus sufficiet. Princeps a tyranno, dives a latrone non discriminabuntur. Quo enim titulo, auctoritatem ille, hic divitias possidet, si nulla superior hominibus lex, imperantium vel possidentium iura firmaverit? Cum autem huc ventum fuerit, quid reliquum erit, nisi ut societas dissolvatur, vel absolutissima coactione, uti belluarum agmen, contineatur? (*a*).

Ergo magnum ius gentium, quo uno quiescet societas, est religio.

TITULUS XI.

DE VERA RELIGIONE.

I. Tria verae religionis insignia. II. 1. *Religio* VERITAS *est*: *ergo una est*. III. Hac gentes, societatis unitate, consociantur. IV. Haec Christianismi laus ab origine mundi. V. Quam pulchra et praecisa Christianismi unitas! VI. Intolerantia *religiosa* cum *civili* non confundenda. VII. Ut in omni re, sic in religione, veritas a falsitate est secernenda. VIII. Unus cultus, uti una religio. IX. 2. *Religio est* VERITAS DIVINA: *ergo illa vera, quae tota ex Deo est*. X. Religionis revelatae necessitas. XI. Rationis impotentia vel malitia. XII. Existentia revelationis attingitur. XIII. Ergo existit ius revelatum, sive religio divina et irreformabilis. XIV. 3. *Religio est* VERITAS SOCIALIS: *ergo ipsa est perfecta societas*. XV. Ergo divino pollet Magisterio. XVI Magisterium hoc est in Ecclesia. XVII. Ipsa est viva lex. XVIII. Illic autem est, ubi Petra, cui superstruitur, et claves a Christo traditae. XIX. Quae demum Romana est Ecclesia, pastorum successione, Christo et coelestis curiae civibus conglutinata. XX. Se ipsam gubernans, hominibus excelsior, ipsisque iura divina referens. XXI. Rectorum officium, in vera religione ediscenda ac promovenda. XXII. Huius tituli ratio et necessitas.

I. Quum scientia iuris naturae, summa expendat iura, quibus natura ipsa subiicitur, atque in communi omnium societate constituitur, non erat sane praetereunda religio, cuius modo necessitatem conspiciebamus. Verae autem religionis insignia, ex hactenus disputatis, tria sequuntur. Nam requiritur: 1. Ut sit

(*a*) Aiebat, non ita pridem, gravis philosophus Royer-Collard: « Notre histoire est depuis cinquante ans la plus grande école d'immoralité. » Idemque, morti iam proximus, ex imo corde haec nepoti commendabat: « Si vous avez le malheur de vous écarter de la religion, ne tardez pas à y rentrer. » Quod seminaverat collegit Gallia, maioribus digna praece-

veritas, non enim colendus error; 2. ut sit *veritas divina*, oracula ferens summi Dei; 3. ut sit *veritas socialis*, hominum societati edocendae ac regendae capax, ipsaque perfectam sui generis societatem constituens. Hinc alia tria proficiscuntur: 1. Ut religio sit *una*; 2. ut sit *revelata*; 3. ut omnia sibi habeat, quae ad *perfectam societatem* sunt necessaria.

II. Primo: *Religio veritas est: ergo una est.*

III. Demonstratio huius propositionis, ipsis verbis effertur: « si veritas una est; ergo et vera religio una est. Deinde, cum multa sint regna in terris, unus tamen praeest omnibus Deus: unum eius imperium, una fides, unus cultus, una religio, in unitate; illa est possibilis gentium coniunctio, charitas, et fraternitas, qua unius patris filii dicimur et sumus.

IV. Haec mirabilis Catholicismi unitas, magnificentia et laus, origine mundi, « Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus 1). » En religionis obiectum ab Adam usque ad nos. Hinc una fides. « Una enim fides iustificat universorum temporum sanctos 2). » Inde religio evangelica, nova quoad plenitudinem, una erat cum antiqua, eiusque perfectio et implementum. Nam « omnes qui ab initio saeculi fuerunt iusti, caput Christum habent. Illi enim venturum esse crediderunt, quem nos venisse iam credimus; et in eius fide et ipsi sanati sunt, in cuius et nos: ut esset et ipse totius caput civitatis Ierusalem 3). »

1) I *Timoth.*, II, 5.

2) S. Leo, *Serm.* 14 *de Pass.*

3) S. Aug., *Hom.* 2 *in Ps.* 36.

V. Quam praeclara illa gentium unitas, quam sublimis ille mundus, cuius pars antiqua in venturum respiciebat, quam altera veneratur Deum hominem factum, eodemque utraque fruetur in caelis! Illa, quae vetus fuit Ecclesia, vel pura in gentibus peregrinabatur, vel diluvio, igne et gladio emundabatur: at Deo ducante per prophetas, semper a gentibus segregata atque una. Nova autem, Christi persona et doctrinis aedificata, Tertulliani omniumque saeculorum voce, *una omnino est, sola, immobilis et irreformabilis*. Nam « qui non est mecum, contra me est; et qui non colligit mecum, dispergit 4): » quae est Christi sententia. Ad quam haec alia accedit « Habere iam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem 5). » Etenim « domus Dei una est; nemini salus nisi in Ecclesia esse potest 6). » Consequenter, « quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est 7). »

4) Luc. XI, 23.

5) S. Cyprian., *de Unit. Eccl.*

6) Id., *Ep.* 61.

7) S. Hier. *Ep. ad Damas.* 14. alias 57.

VI. Itaque haec, logica deductione, concluduntur:

1. Intolerantia *religiosa*, qua una sola religio creditur vera, ratione constat et revelatione. Illa autem cum *civili* non est confundenda: errantes enim, non toleramus tantum, sed diligi-

ptoribus! Atque utinam reiectas fere Galliae immoralitates non collegisset alia gens, quae funesto itinere rapiebatur, dum aliae revertebantur!

Titus Livius, laudabilia quaedam suorum facta referens, quasi dolorem effundens, monet, alia contigisse aetate: « ANTE DOCTRINAM DEOS SPERNENTEM! » (Lib. X, c. 40). Semper fuit, atque erit labentium populorum signum contemptus religionis: impiorum bellum, gigantum more conterendorum.

mus. Veritatem igitur profitemur, et charitatem tenemus, iuxta magni Augustini regulam: « Diligite homines, interficite errores, sine superbia de veritate praesumentes, sine saevitia pro veritate certantes. » Neque viam perducendi homines ad veritatem, aliam novimus praeter charitatem: « Non intratur in veritatem, nisi per charitatem 1). » Ergo iniuste catholicam intolerantiam carpunt, qui ignoranter vel malitiose religiosam sive doctrinalem intolerantiam cum civili confundunt. Nam, sicut oppositae doctrinae simul verae esse non possunt, sic neque religiones; et sicuti alias aliis repugnantes constituere veritates, humanam et divinam superat facultatem, ita et religiones. Unde rationaliter et scientifice, paradoxorum maximum est tolerantia, quae aequalem infert approbationem omnium religionum. Nostra igitur intolerantia, ratione innixa et revelatione, haec firma tenet fide: Deus unus est et Christus unus, et Cathedra una, super Petrum, Domini voce fundata: aliud altare constitui, aut sacerdotium novum fieri, praeter unum altare et unum sacerdotium, non potest 2). » Inculpabiliter ignorantes Dei iudicio relinquimus. Fidem culpabiliter reiicientes illa urgent: « Qui vero non crediderit, condemnabitur 3). » Omnes pro fratribus diligentes, universos Dei misericordiae commendamus.

1) S. Augustin., *contra Faust.* XXXII, 18.

2) S. Cypr., *Ep.* 43, olim 40.

3) Marc., XVI, 16.

VII. Concluditur 2., falso affirmari, illam pro vera habendam esse religionem, quam locus vel patria tulerit. Nam si verae leges a falsis secernendae, si verae philosophiae, historiae, litterae, atque artes, falsis praeferendae sunt; si inquirendae ubique veritatis officium demandatum est naturae rationali: ergo, a fortiori, in maxima omnium re ac lege, quae summi refert iura legislatoris, qua praesentia reguntur, et parantur futura. Ergo officium est hominum, maximeque imperantium, sicuti humana iura inquirere, iisque delectari; ita et divina, quae religione continentur atque evulgantur.

VIII. Concluditur 3., falso quoque ingeri a tolerantiae patronis, indifferens esse quocumque Deus modo colatur, dummodo colatur. Cultus enim exterior cum sit internae fidei manifestatio, ille quoque erit verus aut falsus, prout ista vera fuerit aut falsa. Nonne, si impium non esset, ridiculum saltem foret, Eucharistiam latriae cultu prosequi cum Lutheranis, et simul nullo cum Calvinistis; Christum crucifigere cum Iudaeis, eumdemque ut Deum venerari cum Christianis? Vel si indifferens est quilibet cultus, possetne aliquis orbem peragraturus, Christum habere ut prophetam inter Mahumedanos, ut Deum inter Catholicos, ut seductorem et scelestum inter Iudaeos? Convincunt haec absurda, tolerantiam sive paritatem omnium religionum, comoediam esse vel mortem omnium cultuum et religionum. Revera, ex praedicta tolerantia ille prodiit *indifferentismus* religiosus, quo alicubi leges et regimina, populorum autem pars maxima, imo europea fere societas, ad civile quoddam materialismum conver-

tebantur. Qua de re peior foret nostra quam barbarorum conditio: qui, etsi falsam, aliquam tamen habent religionem, cuius imperio contineantur (a).

De politica cultuum libertate dicemus in libro tertio. Nunc alteram expendimus propositionem.

IX. Secundo: *Religio est veritas divina: ergo illa sola est vera, quae tota atque integra a Deo est.*

X. Religionem, non ex ratione tantum, sed ex Deo primum esse requirendam, ea demonstrant quae a nobis hactenus disputata sunt, hic breviter contrahenda. 1. Delapsa natura, in naturali ordine caecutiens atque infirma, nova autem luce novisque auxiliis ad supernaturalem ordinem erigenda, ad quam impares forent naturae vires. 2. Omnium gentium consensus, Deum hominibus locutum fuisse, ex eoque petenda esse oracula atque auspicia. Falsas revelationes, sicut falsa Numina confingendo, erraverant illae quidem: at sicuti in unaquaque re nec error esse posset nisi veritas praecessisset, et falsi nummi veros esse demonstrant; ita ficta Numina fictaeque revelationes, verum esse Deum, et veram revelationem pro divino iure factam esse, certissime evincunt. 3. Factum omnium populorum, quorum vel ratio, vel philosophi, vel legumlatores, neque absolutum moralium officiorum codicem, neque dignum Deo cultum protulerunt; et si protulissent, sanctionem qua illum liberis mentibus indicerent, non habuissent. 4. Naturae impossibilitas, ut ex se quae supra se posita sunt, ad quae tamen ex Dei largitate condita fuit, quomodocumque attingat 1).

1) Vid. huius lib. tit. IX, § XI ad fin. - tit. X, § XI, XII.

XI. Immissa e caelo religio, ne exciso apice erat retinenda. Si enim rationis patuisset imperio, quis foret reformandi finis? An in servandis officiis, vel currumpendis Dei morumque notionibus, non sat infirmam vel audacissimam se ratio prodiderat? Socrates rideuda propulsat Numina, et moriens gallum Esculapio mactandum iubet. Adeo obscaena Romanorum sacra, ut Ovidius ipse matres moneat ne filias ad quaedam templa vel festa perducerent. Nuper adhuc philosophi tot pugnantia et absurda protulerant, ut ipsius Genevensis sophistae bilem commoverint.

(a) Quis dixerit omnes philosophias vel scientias vel artes pares esse, eiusdemque bonitatis et excellentiae, quibuscumque principiis constent, a quocumque bono vel malo praeceptore doceantur, vel quocumque demum modo excolantur? Insuper, quis dixerit intrinseca rationis vel scientiarum principia immutari pro locis, eaque pro veris retinenda, etsi contradictoria, quae ferant loca? Nemo sanae mentis: habet ratio, scientia, vel artes, fixas a natura leges, quae praeteriri nequeant. Si itaque non omnia paria vel aeque bona in ipsa vel historia et philosophia, vel in singulis artibus, in eloquentia puta vel in poësi; ergo a fortiori in scientia omnium maxima, sive in religione, qua tota hominis natura et societas universa regitur et continetur. Quemadmodum vero ille qui leges sperneret, quibus scientiae gubernantur, vel criterium amoveret, quo in iis vera a falsis dignoscuntur, scientias ipsas everteret; ita, qui omnia faciunt paria in religionibus, probant se nullam habere religionem.

« Audacissimi sunt, inquit, et philosophiae praetextu, sibi hominum mentes et colla subiiciunt. Omnia evertentes, postremum miserorum solamen e cordibus exscindunt, potentibus ac divitibus cupiditatum frena conterunt, criminum remorsus et virtutum gaudia extinguunt. Et se iactant beneficos et magistros! 1) » Vae immortalibus animis, si hisce doctoribus Deus instituendos tradidisset! Sed Deus « non hominem homini, sed hominem pecori voluit dominari 2). »

1) Rouss., *Emile*, tom. III.

2) S. Aug., *De Civ. Dei*, XIX, 15.

XII. Deus igitur conscientiarum rector et remunerator, ut immortales animas ab hominum dominatione extraheret, ipsemet se suaque iussa revelavit ab initio, deinde multifariam loquens patribus, in prophetis, novissime autem in Filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit et saecula 3). Hic erat expectatio gentium (*a*). Curam ipse gerens omnium quos condiderat, omnibus locutus est, doctis et indoctis. Cuius divinitatem probant miracula, prophetiae, resurrectio a mortuis, doctrina sanctissima, revelata mysteria, quae rationem superant, eamque nullibi laedunt sed illuminant; innumeri testes, ideo martyres appellati, usque ad extremum agonem certantes pro factis, quae ipsi oculis conspexerant, vel a primis certissime acceperant; demum totius orbis conversio ad Christum, eiusque religionem spinis et cruce horrescentem, miraculorum maximum, si cetera defuissent. Unde ineluctabilis Augustini argumentatio: « Si ista miracula facta esse non credunt, nobis hoc grande miraculum sufficit, quod terrarum orbis sine ullis miraculis credidit 4). »

3) *Hebr.*, I, 1.

4) *De Civ. Dei*, XXII, 5.

XIII. Ergo divinitus datum esse sacrorum ius, non tantum pro voto, sed pro facto tenemus. Ideoque religio positiva, tamquam lex data omni creaturae, quemadmodum lex ipsa naturalis, a gentibus indiscriminatim est accipienda; ipsaque *una omnino*, ut ait Tertullianus, *sola, immobilis et irreformabilis*, primum erit caput in iure gentium, a quo cetera pendeant, eique omnia subiiciantur. Sed lex non est sine legislatore, non legislator sine imperio, non imperium sine gerarchia a qua iura ipsa administrentur. Ergo si religio data est hominibus, socialis quoque est: sive, pastorum societas fuit instituta, quorum illa ministerio commendata fuerit. Hinc tertia propositio.

XIV. Tertio: *Religio, utpote veritas socialis, hominibus edo-*

(*a*) Magistri cuiusdam e coelo demissi necessitatem et expectationem attingit Plato in Dialogo Socratis cum Alcibiade.

» Socrates. Necessario igitur expectandum donec quis doceat, quo animo et erga Deos et erga homines esse oporteat.

» Alcibiades. Quando vero tempus illud erit, Socrates? et quis illud docturus est? Lubentissime enim viderem hunc hominem, quisnam ipse sit.

» Socrates. Hic ille est nimirum qui de te curam gerit....

» Alcibiades. Auferat sive caliginem, sive quid aliud voluerit: ita enim me comparavi, ut nihil eorum quae ille imperaverit, subterfugiam, quicumque tandem fuerit vir ille, dummodo melior sim evasurus. »

endis atque regendis data est: ergo illa omnia sibi habet quae ad perfectam sive politicam societatem sint necessaria.

XV. Ante omnia, magisterium requiritur visibile, permanens, divinum, infallibile, quo descriptam divinitus legem, pari auctoritate tueatur, promulget, interpretetur in obscuris, suoque imperio adstet ut impleatur.

Nam 1., revelata ipsa religio eiusque codex, nulla gauderent certitudine, nisi testes a Deo praestituti fidem facerent eorum originis atque authenticitatis. 2. Ubi lex scripta, ibi magistratus, interpres et iudex, sive lex vivens; secus lex scripta, quasi littera mortua, nihil haberet roboris vel utilitatis: « Omnes enim ex iisdem Scripturis, falsas atque fallaces opiniones suas conantur defendere 1). » 3. Nulla societas sine summo aliquo imperante: divina autem divinum simul et visibilem postulat imperantem, qui tutissime ex Dei verbo hauriat, quae in subiectos effundat. Unde Augustinus: « Vera religio, sine quodam gravi auctoritatis imperio, iniri recte nullo pacto potest 2). » Vivens hoc magisterium eiusque characteres, conveniunt in Ecclesia.

1) S. Aug., *De Trinit.*, I, 3.

2) *De Utilit. credendi*, IX, 21.

XVI. Ecclesia enim 1. a Christo est instituta: « Et accedens Iesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes..... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis: et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi 3). » 2. Una est, visibilis atque universalis: « Unum corpus multi sumus 4). » « Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et pater omnium 5). » « Fiet unum ovile et unus pastor 6). » 3. Est infallibilis atque inexpugnabilis: « Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritus veritatis). » « Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem 8). » 4. Divina eminet hierarchia, cui docendi ac regendi munera collata sunt: « Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopus regere Ecclesiam Dei 9). » « Illi profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis 10). » « Pro Christo legatione fungimur 11). » 5. In ipsa hierarchia, regiminis forma constituitur. Selectis enim duodecim ex omnibus, quibus potestas confertur, unus eligitur ex duodecim, cui plenitudo potestatis, clavium symbolo conferatur: « Et ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni caelorum: et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis 12). » In quae verba intendens Optatus Milevitanus: « Bono unitatis, ait, Beatus Petrus et praeferri Apostolis omnibus meruit, et claves regni caelorum communicandas caeteris solus accepit 13). » Et recte: « Nam si non est in Ecclesia una eminens potestas, tot

3) Matt. XXVIII, 18 20.

4) I *Corinth.*, X, 17.

5) *Ephes.* IV, 6.

6) Ioan., X, 16.

7) Id. XIV, 16.

8) Id. XVII, 8.

9) *Act.* XX, 28.

10) Marc. XVI, 11.

11) II *Cor.*, V, 20.

12) Matth. XVI, 18, 19.

13) *Adv. Parmen.*, VIII, 3.

futura sunt schismata, quot sacerdotes 1). » Hinc 6., divino magisterio et Petri auctoritate feruntur leges generales Ecclesiae, ut in primis comitiis, apostolorum nomine aiebat Petrus: « Visum est Spiritui Sancto et nobis 2). » Illa scilicet plenissima utebantur et in finem usque saeculorum utentur auctoritate, quam ipsi accipiebant a Christo, Christus autem a Patre: « Sicut misit me vivens Pater, et ego mitto vos 3). »

1) S. Hier. *adv. Luciferian.*

2) *Act.*, XV, 29.

3) Ioan. XX, 2.

XVII. Perfectam vides societatem, Ecclesiam non invisibilium spirituum, sed hominum necessitatibus conformatam; non monentem tantum sed praecipientem; non uni, ut vetus Synagoga, sed omnibus gentibus constitutam; quam qui non audierit, habendus sicut *ethnicus* et *publicanus* 4); cui qui non crediderit, condemnabitur 5). Ipsa igitur Ecclesia *viva est lex* et permanens magisterium, Augustino fatente: « Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas 6). »

4) Matth. XVIII, 17.

5) Marc. XVI, 15.

6) *Epist. Fundament.*, 5.

XVIII. Sed ubinam haec vera est Ecclesia, tot sectis se illam esse contendentibus?

Tutissime respondemus, eam illic esse, 1. ubi ille est Petrus, claves eius gerens. 2. Ubi illa est Petri et apostolorum successio, quibus dictum est: *Euntes docete; pascite; accipite Spiritum Sanctum; vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.* Nam totius est antiquitatis illa Ambrosii vox: UBI PETRUS, IBI ECCLESIA. Haereticos vero omnium saeculorum ita cum Optato compellamus: « Vestrae cathedrae originem ostendite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare 7). » Tertullianus autem Ecclesiam inducebat loquentem: « Qui estis? Quando et unde venistis? Quid in meo agitis non mei? Mea est possessio. Quid hic ad voluntatem vestram seminatis et pascitis? Mea est possessio, olim possideo, habeo origines firmas ab iis auctoribus, quorum fuit res: ego sum heres Apostolorum 8). » Qua Africani doctoris et iurisconsulti, nulla solidior argumentatio afferri poterit. Ad rem igitur Augustinus: « Tenet me in Ecclesia Catholica, ab ipsa sede Petri apostoli, cui pascendas oves suas Dominus commendavit, usque ad praesentem episcopatum, successio sacerdotum 9). »

7) *Cont. Parmenian.*, lib. II.

8) *De Praescrip.*

9) *Epist. Fundament.*, 4.

XIX. Itaque, si Scripturis et toti antiquitati ulla fides, si ulla Ecclesia pro universis gentibus a Christo est instituta, haec est Romana, nunquam interrupta pastorum serie, per Petrum Christo conglutinata. Hac retenta successionis apostolicitate, Ecclesia, ut inquit Cyprianus, « ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur. » Unde illa Catholicorum laus praeclarissima: « Ergo iam non estis hospites et advenae, sed estis cives sanctorum et domestici Dei, superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu: in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo et vos coaedificamini in habitaculum Dei in spiritu 10). » Hac successionis unitate, profluunt in generationes saeculorum flumina gratiae et veritatis. Ex adverso « ab

10) *Ephes.*, II, 19-22.

arbore frange ramum, fructus germinare non poterit; a fonte praecide rivum, praecisus arescet 1). » Fracti rami, et rivi praecisi, sunt cuiusvis nominis Sectae, quae, ut fert vocabulum, a radicis unitate sectae sunt. De quibus sanctus apostolus Iudas: «Vos autem charissimi, memores estote verborum, quae praedicta sunt ab Apostolis Domini nostri Iesu Christi, qui dicebant vobis quoniam in novissimo tempore venient illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus. Hi sunt qui *segregant semetipsos*, animales, Spiritum non habentes 2). »

1) S. Cypr. *De Unitate Ecclesiae.*

2) *Epist.* Iudae, 17-19.

XX. Verae religionis unitatem, divinitatem, eiusque in regendo magisterium ita constituimus, ut vera ipsa religio societas sit, civilem societatem permeans, erudiens, atque ad Deum instituens: perfecta igitur in se ipsa, libere edocens, delata sibi a Deo auctoritate gubernans, res ipsas materiales sibi necessarias suo iure possidens atque administrans, eaque omnia quae divinum mandatum spectant libere perficiens, nulli terrenae subiecta potestati. Opus quippe divinum ipsa est, tota qualiscumque est; non condita humanitus, neque ulla sui parte ab hominibus reficienda, saeculi potestatibus, principibus et gentibus excelsior; ius, uno verbo, constituens, cui iura gentium atque regnorum obsequantur.

XXI. Propterea, si vere dictum est a Platone: « Prima, in omni republica bene constituta, cura esto de *vera* religione, non vero de falsa vel fabulosa stabilienda, in qua summus magistratus a teneris instituatur 3); » si recte a Cicerone animadversum: « Omnia religione moventur 4), » quatenus talis est societas, qualis religio: patet, iurium rerumque publicarum magistro summopere adlaborandum, ut veram religionem, ex qua originem et fines iura omnia suscipiunt, secernat a falsis, eique unice faveat, ceteris, si res urgeat, civilem tolerantiam largiturus. Errores enim tolerare, quandoque est necessitatis; nunquam autem veritati pares habere vel facere. Quippe falsis religionibus institutae civitates, falso ipsae fundamento laborarent, cives fictis relationibus cum Deo et secum ipsis coniungerentur, iuraque omnia et officia suo lumine, vi et sanctione deficerent. Quare iuri naturae et gentium nihil optabilius fiet, quam ut leges populorum ad ius catholicum, sive unice divinum, iterum convertantur.

3) *De Leg.*, II.

4) *In Verrem*, V.

XXII. Si qui a naturalis iurisprudentiae disquisitore haec tradi iuris divini fundamenta, non aequo animo ferant, iis reponimus quod olim, quod semper: 1. nullam nos dignovisse naturalem hominum societatem, nisi quae a Deo condita, in eius maneat imperio, eoque gubernetur; 2. Dei imperia ex patefacta eius voluntate esse recipienda; 3. sine hoc iurium fundamento ac vertice, quod ius constituit revelatum, visibili atque indeficienti magistratui concreditum, amplissima iurium officiorumque familia, veluti obtruncato capite, concideret; universaque natura nusquam tuto ac plenis viribus ad Deum creatorem, legislatorem et remuneratorem assurgeret.

TITULUS XII.

DE FALSA RELIGIONE.

I. Quaestionis, quam suscipimus, causae. II. Civilibus populis, iam unus superest Christianismus. III. Protestantismi, in quo omnes Sectae colliguntur, triplex defectus. IV. 1. *Est multiplex: ergo non est veritas.* V. Nam, credit quisque quod sibi libet. VI. Certa Scripturis fides, sine vivo magisterio, est impossibilis. VII. Protestantismi discordiae ac dissolutio, usque ab initio. VIII. Ergo nulla fides communis. IX. Lutherus rationem execratur, ut diaboli opus et sophisma. X. Ipse, aliique, omnia in Deum scelera coniiciunt. XI. Magistrorum damnatio, recessio discipulorum. XII. 2. *Humana res Protestantismus: ergo non veritas divina.* XIII. Auctorum honestas et castitas. XIV. Plenissima eorum urbanitas et charitas. XV. Tolerantia exquisitissima. XVI. Furens et obscoena insurrectio. XVII. Eius causae et praetextus. XVIII. Non ingehium, sed scintilla expectabatur, quam edidit Lutherus. XIX. Legitima reformatione convalescebat Ecclesia; illegitima, Protestantismus in anarchiam detrudebatur. XX. Protestantium, qui sapiunt, horror et conversio. XXI. Protestantismi essentia: mentis et cordis rebellio. XXII. 3. *Ad nullam religionis vel societatis formam est constitutus.* XXIII. Nulla enim religio vel societas, sine viva auctoritate. XXIV. Haec viget in Ecclesia. XXV. Eius elementa. XXVI. Ecclesia, tribunal divinum et actu semper existens. XXVII. Absurda auctoritatis restauratio apud Protestantes. XXVIII. Imo, cum ecclesiastico, civile imperium convellebatur. XXIX. Ergo Protestantismus nec philosophia est, nec religio, nec societas. XXX. Eius in Italiam conamina religiosa et politica.

I. Ut quaestionem hanc ingrediamur, postulat res ipsa quam agimus, quum ius divinum humano generi indictum, sit a falsis secernendum; tum publicistarum libido ut iam nihil fere attingant, quin religiosam disceptationem in medium adducant, ipsaque comitia nationalia, ubi vigent, malesana prurigine, in ecclesiastica concilia conversa videantur; demum, praesens facit temporum conditio, qua religio ipsa a novatoribus, iuris publici et politici instrumentum efficitur. Quae cum ita sint, rem aggrediamur, profitentes primum, nos de sola doctrina, nullum de personis errori addictis, sermonem habituros.

II. Si religio vera una est, uti una veritas atque unus Deus; hac sola argumentatione, ceterae labefactantur. Revera, defuisse Iudaismum, ipsi eius libri testantur. Islamismum ratio et culti iam mores repellunt (*a*). Graeciae et Romae Numina, vix scholasticis puerorum exercitiis iam sufficiunt, illaque despicit gravis atque excelsa poësis, qualem exhibent Milton et Alligherius. Iure igitur et facto civilibus populis unus superest Christiani-

(*a*) Nervosam Mahumetismi confutationem habet Grotius in Libro VI *De veritate Christianae religionis*. De Mahumete iam dixerat in lib. II: « Proiectus ad libidinem, promisit praemium in epulis et Venere positum » Si Veneri atque epulis, quae illi ancillantur, ignorantiam addas, atque furentia arma et caedes, religionem habebis, eiusque propagationem.

mus, cuius Sectae in se mortis damnationem intulerunt, cum vel a capite, vel a doctrina, vel ab utroque simul defecissent. Omnium autem errores quum collegisset Protestantismus, in ipso universos refellemus.

III. Est igitur Protestantismus, *multiplex, hominum inventum, ad nullam religionis vel societatis formam constitutus.* Hinc triplex propositio.

IV. Primo, *est multiplex: ergo non est veritas.*

V. Protestantibus hoc solum commune, *in Romanam Ecclesiam protestari;* unde, a Spirae comitiis, Protestantium nomine designantur. Haec quum negativa sit appellatio, nihil de doctrina significans, frustra punctum quaeras, in quo omnes una fide aut veritate colligantur. *Privato* enim inducto *examine*, id quisque credit quod sibi videatur, sive *rationem* praeferat, sive *privatam inspirationem*, omni (sacris litteris exceptis) externa auctoritate contempta.

VI. Sacris autem litteris certam adhibere fidem, sine vivo magisterio, cuius auctoritate illae proferantur, verae et genuinae a falsis et corruptis secernantur, atque in obscuris authentice interpretentur, est impossibile. Impossibile enim est ut quilibet, vel indoctus, iudicet ex se ipso quinam libri sint divini, ac sententiarum veritatem ex graecis vel hebraicis fontibus attingat: si autem traductoribus credat, iam auctoritati credit, quam repellit Protestantismus. Sed esto, originalia compellet volumina: numquid illa immediate habet a Deo? numquid hominibus non est credendum, illa lata esse auctoritate divina? Insuper, quomodo fallibilis homo Scripturas infallibiliter interpretabitur? Vel si Scripturis omnino credendum, cur illis fidem negant Protestantes, Petri et Ecclesiae, in docendo ac definiendo, auctoritatem asserentibus? Quocumque te volvas, nihil in Protestantismo nisi negationem et absurditatem invenies. Attamen iacta erat alea, et disiecta capitis auctoritate, tot in uno protestantismo erant religiones, quot mentes vel linguae, donec nulla esset religio: quae non est partium dissolutio, sed omnium in *fidei unitate* consensio ac religatio.

VII. Erumpens Protestantismi dissolutio iam inclaruerat ab initio. Zwinglius ad Lutherum: « Si diutius steterit mundus, iterum erit necessarium, propter diversas Scripturae interpretationes quae nunc sunt, ad conservandam fidei unitatem, ut Conciliorum decreta recipiamus, atque ad ea confugiamus. » Confidenter alia inquit epistola Theodorus Beza: « Exercuerunt me diu et multum illae ipsae quas describis cogitationes: video nostros palantes omni doctrinae vento et in altum sublatos, modo ad hanc, modo ad illam partem deferri. Horum quae sit hodie de religione sententia, scire fortasse possis, sed quae cras de eadem futura sit opinio, neque tu certe affirmare queas. In quo tandem religionis capite congruunt inter se Ecclesiae, quae Romano Pon-

tifici bellum indixerunt? A capite ad calcem si percurras omnia, nihil propemodum reperias ab uno affirmari, quod alter statim non impium esse clamitet 1). » Puffendorfius, qui certe charitate vel benignitate in Catholicorum sententias numquam peccavit, tamen fatebatur: « Papalis auctoritatis abrogationem, infinita iecisse discordiarum germina; nullaque remanente auctoritate quae lites finiret undique exurgentes, Protestantes visos esse suis sibi manibus propria viscera lacerantes 2). » Dies nos deficeret ceteros persequentes (*a*).

1) Theod. Beza, *Ep. ad Andream Dudit.*

2) Puff. *De Monarch. Pontif. Rom.*

VIII. Ergo nihil habent Protestantes, quo communi religionis nomine censeantur; imo nihil tam impium, quod eorum aliquis inter novae religionis capita non constituerit. Dent veniam discipuli, si delicias patrum delibamus.

IX. Lutherus qui, rationis amore, Ecclesiae fregerat auctoritatem, rationem quoque ipsam funditus evertit. Hanc enim in rebus spiritualibus quae a Deo sunt, veluti omnis intelligentiae vacuam aspernabatur, atque a Dei voluntate alienissimam 3). Eam *diaboli sponsam* appellabat 4); *inimicam fidei implacabilem* 5); *matrem incredulitatis* 6); *haeresis atque idololatriae fontem copiosissimam* 7). Concludit, christiano exuendam esse rationem, et in aeternum occidendam. Cur? Quia *cogitata eius, sunt diaboli cogitata* 8). Nos certe nobiliora de ratione docuimus, attamen rationis inimici venditamur a Protestantibus: Lutherus autem qui eam cruci suffixit, quasi eius restitutor depraedicatur.

3) *Op.* Luth., t. I, p. 263, edit. Wach.

4) Tom. XII, p. 923, 1534, t. XXII, p. 175.

5) Tom. XII, p. 694.

6) Tom. III, p. 2818.

7) Tom. XXII, p. 1534.

8) Tom. I, p. 1700; II, p. 1889; XII, p 1536. etc.

X. Antisocialem ac nefandam Lutheri suorumque doctrinam de libero, sive potius de servo arbitrio, vel ipsi horrent Protestantes. Omnium scilicet coniuratorum ea mens fuerat, ut Dei timorem e mentibus excuterent, quod primi Protestantium effecerant, scelerum causas in Deum coniicientes. Librum integrum *de servo arbitrio* Lutherus evulgaverat. Andreas Althamer, sive Brentius, Lutheri amicus et interpres, audacter asseverabat « Deum furari in fure, et trucidare in latrone 9). » Melanctou, *impium* libertatis dogma affirmabat ex platonica philosophia in christianismum irrepsisse; adeoque tam esse Dei opus *Pauli vocationem* quam *Iudae proditionem* 10). Zwinglius: « Unum atque idem facinus, puta adulterium vel homicidium, quantum Dei est au-

9) *Diatrib.* etc., p. 67.

10) *In Epistola Pauli ad Rom.*

(*a*) Salse, nec minus vere Rousseau; « Ils ne savent plus ce qu'ils croient, ni ce qu'ils veulent, ni ce qu'ils disent. On leur domande si Jésus-Christ est Dieu, il n'osent répondre; on leur demande quels mystères ils admettent, ils n'osent répondre. Sur quoi donc repondront-ils?... Un philosophe jette sur eux un coup d'oeil rapide; il les pénètre, il les voit Ariens, Sociniens; il le dit... Aussitôt allarmés, effrayés, ils s'assemblent, ils discutent, ils s'agitent, ils ne savent a quel saint se vouer; et aprés force consultations, delibérations, conferences, le tout aboutit à un amphigouri où l'on ne dit ni oui ni non, et auquel il est aussi peu possible de rien comprendre qu'aux deux plaidoyers de Rablais » (Rousseau *Lettres de la Montagne*).

Si ius divinum est tamen pro privato et publico iure constituendum, quodnam ex Protestantismo elicies?

cteris, motoris et impulsoris, *opus est, crimen non est;* quantum autem hominis est, *crimen ac scelus est* 1). » Cum autem ex hac doctrina pronum esset colligere: « libidini ergo indulgebo... quidquid egero, Deo auctore fit, » ut sibi obiicit Zwinglius, ipsemet concludit: « Sed heus tu! Caste ista ad populum et rarius etiam 2)! »

1) *De Providentia*, p. 7.

2) Ibid.

XI. Ab his recesserunt Protestantes. Gratulamur. Sed verum est, nullo unquam pede ipsos constitisse, affirmantes hodie, negantes cras, et sic in saecula. Oh magna Babylon (*a*)!

XII. Secundo: *Protestantismus est opus hominum: ergo non est veritas divina.*

XIII. Auctores novimus: nulla in ipsis divinae missionis signa; perversa indoles ac vita. Lutherus insurrexerat in Ecclesiam, ut monachus ipse, monialem sibi matrimonio copularet. Votorum sanctitatem obiicientibus, respondebat: Ex patre votis sanctificato et matre item sanctificata, filii enascentur sanctissimi. » Inde nihil, hoc monacho periuro, foedius ac vilius. Auctor Anglicani schismatis, Henricus VIII, librum cui titulus *Defensio septem Sacramentorum in Martinum Lutherum*, suo nomine, Summo Pontifici obtulerat, ut *defensoris fidei* cognomento honestaretur. Sed cum turpi Annae Bolenae amore deperiret, Lutherum imitatus, ab Ecclesia discessit. Anna quinto mense decollata, ducit Ioannam Seymeram; ac paulo post, Annam de Cleves; qua iterum repudiata, fere simul ducit et obtruncat Catharinam Howard; ac deinde Catharinam Parr, quae vix a regio adultero et carnifice incolumis evasit. In aulis et in coenobiis, initia protestantismi ubique adulterinis vel sacrilegis nuptiis concelebrantur. Unde acri lepore Erasmus: « At ista omnis tragoe-

(*a*) Protestantium *variationes*, uno ab hinc saeculo cum dimidio, quae usque huc deinde ampliori excreverunt foecunditate, iam collegerat Bossuetus. Immortale opus haec *Variationum historia*, fidelissimis narrationibus, et firmis ac pressis argumentationibus invictum. Hinc diligenter perpendenti, unum relinquitur effugium: vel ad catholicorum vel ad incredulorum castra commigrare. Gibbonius eam perlegerat a iuventute, indeque ex protestante catholicus factus est. Quum autem postea a catholicis discederet, non rediit ad protestantes, sed incredulus evasit. Ea eius verba: « In *Variationum historia*, qua Bossuetus fortiter ac sapienter Protestantes aggreditur, felicissima ratiocinii et narrationis consociatione, priorum reformatorum errores, fluctuationes, contradictiones demonstrat, quorum variationes, ut ipse recte concludit, signa sunt falsitatis; dum *nunquam interrupta* Catholicae Ecclesiae unitas, infallibilis veritatis argumentum est ac testimonium » (Gibbon, *Mémoires*). Recte quidem, quum in religione, historia *variationum*, historia sit *errorum*: nam coelum et terra transibunt, verba autem Dei non praeteribunt.

Protestantium testimonia confitentium iam nullum dari medium inter Christianismum positivum et historicum sive Catholicismum, et incredulismum, ad quem tandem refertur Christianismus fictitius, sive Protestantismus, attingit Augustinus Theiner in libro: *Della introduzione del protestantismo in Italia, tentata per le mene de' novelli banditori di errore nelle recenti congiunture di Roma*. Roma, presso Gius. Spithöver, 1850.

dia exit in catastrophem comicam, UBI CONTIGIT UXOR. Occinitur, *valete et plaudite....* Unde tanta carnis rebellio in his qui se in-
1) Erasmus, *Epist. ad fratr. Inf. German.* ctant agi spiritu Christi 1)? » En homines, et apostolos! Ex fructibus arbor.

XIV. Verum, si miracula desunt et qualiscumque vitae pro bitas, vigebit ne saltem charitas?

Lutherus Henricum regem, ut *ineptum, insanum, sacrilegum, porcorum omnium et asinorum imperitissimum* insectabatur. Lovanii doctores, *bestias, sues, paganos, epicureos, atheos* appellabat. Papam et omnes Papae sectatores, ut latrones insequendos esse et exterminandos, sive reges fuerint sive imperatores. Erasmus, pulitissimus forsan sui saeculi vir, se a Luthero veluti ab apro dilaniatum lamentabatur. Melancton, dilectissimus iam Lutheri discipulus, scribebat ad Camerarium: « Adeo vexor, ut me in Cyclopum antro diversari videar. » Alia vero epistola: « Pietatem et doctrinam ignorant: eos videte qui praesunt, et me scietis in leonum lacu cum Daniele. » Henricus e contra, dimisso regio decore, Lutherum compellare *serpentem, pestem, lupum devorantem, Satanae filium*, aliaque peiora in more habebat. Nec aliter Calvinus, sibi adversantes nuncupat *scelestos, rabidos, bestias, thauros, canes, porcos, asinos.* « Istae scilicet, machinae sunt haereticorum, ut convicti de perfidia, ad maledicta se con-
2) S. Hieron. *Apolog. in Rufinum*, lib. III. ferant 2). » Haec eorum humanitas et tolerantia, qui utramque iactitant.

XV. Verum, initia dolorum haec. Luthero agente, Carlostadius, alter Protestantium dux, in exilium et in extremam paupertatem actus fuit. Servetus Genevae horribiliter exustus, agente Calvino (a). Imperante Henrico VIII, tota Anglia, Neronis

(a) Calvinus, Noyonensis, moribus corruptissimis, atque horribili crimine e patria primum expulsus. « Vehemens ac perversus Calvinus, inquiebat Melchior Wolmar, eius magister; hoc scio; ideo noster, et causae aptius inserviens. » A Bucero dictus « scriptor maledicendi studio infectus, canis rabidus. » « Collegae tui, illum alloquebatur Badoinus, conqueruntur de tua intolerabili arrogantia; » sibique exosum affirmabat « propter nimiam *vindictae et sanguinis sitim.* » A Massono propterea descriptus: « Vindictae appetens et sanguinis fuit, facie cum modesta, ad omnem simplicemque figuram composita. » « Quel homme fut jamais plus tranchant, plus impérieux, plus décisif, plus divinement infaillible que Calvin, pour qui la moindre opposition qu'on osait lui faire était toujours une oeuvre de Satan, *un crime digne du feu?* » (ROUSSEAU, *lettres de la montagne*). Revera, Servetum, anno 1553, eius opera combustum propter haeresim, ex processu ipsisque Calvini litteris compertum est. « Impositus est Servetus, ait Mannser apud Alwerdenium, trunco ad terram posito; capiti imposita est corona straminea vel frondea, et ea sulphure conspersa; corpus palo alligatum ferrea catena. Ipse carnificem rogavit, ne se diu torqueret. Interea carnifex ignem in eius conspectum, et deinde in orbem admovit. Homo, viso igne, ita horrendum exclamavit, ut universum populum perterruerit. Cum diu languisset, fuerunt ex populo qui fasciculos confestim confecerunt. Ipse horrenda voce clamans: Iesu, fili Dei aeterni, miserere mei! post dimidiae circiter horae cruciatum, expiravit. »

tempora revixerunt: ipsa quoque episcopi Fischeri, olim praeceptoris sui, veneranda canitie securi abscissa, ut Neronem in Senecam perfecte assequeretur. Crudelissima omnium pestis, haeresis et libido. Ex tunc Protestantismi historia scatet tabe et sanguine: adeo ut vere dictum sit novatorum armis plures uno die victimas occubuisse, quam toto Inquisitionis tempore, in quam tam mira effinguntur vel exaggerantur. Haec autem commemoramus, ut constet ex factis, in protestantismi natalibus nihil digni extitisse, nihil boni nihilque divini: ex adverso, foeda omnia et obscoena, in ius naturae, divinum et gentium.

XVI. Quid ergo Protestantismus? Schisma, haeresis, rebellio in Ecclesiam, cuius catholicum Roma tenet principatum. Quo respectu, nunc audacter in Italiam insufflatur.

XVII. Omni saeculo suae haereses extiterunt, nec decimo sexto deesse poterant, lasciviente philosophorum ratione, vix renatis litteris, ad paganorum philosophiam iterum conversa; cleri autem, principum et populorum moribus late corruptis. Tempus aderat quo, cupida novorum multitudo, allicitur et commovetur facilius: nebula primum, deinde flumen, unde prudentes quandoque excaecantur et rapiuntur. Tunc a Luthero illa iactabantur insurgentium fere magica verba: *Abusus! Reformatio! Libertas!* Abusus exaggerantur, ut auctoritatem odiosam faciant ac spernendam. Reformatio nova pollicetur, quae ad suam quisque fingit cupiditatem. Libertatis ardor (qua nihil pulchrius si cum lege, nihil adeo foedum vel atrox si a iure secernatur) iam ferventibus addit alas, ut vetera vel in religione vel in imperio dissolvantur: quin pateat qua eundum sit via, quo iure, quo ordine, quaeque sint veteribus sufficienda. En insurrectionum via, furor atque imbecillitas. Evertunt, non reaedificant; abyssus pandunt, non implent.

XVIII. Nulla unquam Protestantismo luctuosior seditio contigerat. Iam undique a sanctissimis viris illa reformatio auspicabatur, quam Tridentina Synodus perficiebat. Sed neque tanta abusuum colluvies irrepserat, quum non alio forte saeculo tam ampla sanctorum ac doctissimorum hominum seges extiterit. Neque nonnullorum mala consuetudo ius praebebat religiosam discerpendi unitatem a qua iam malorum remedia parabantur. Attamen imperitos vel iamdiu infirmos animos ceperant reformationis et libertatis vocabula. Huc principes convenerant, qui iampridem non civilibus modo, sed ecclesiasticis legibus imperare conabantur. Huc illi ex utroque clero, qui solemnia vota et sanctissimam ac prudentissimam caelibatus legem aspernabantur. Huc effrenae libertatis amatores, qui nova quaevis effutiendi, docendi

Intolerantiae instinctus, novae Reformationi intimis medullis inhaerat. Nostris adhuc diebus, in Magna Britannia, quotannis Papae, B. Virginis aliorumque imagines, statis diebus et populo conclamante, publice comburuntur. Profectus non defuit: olim homines, nunc imagines.

vel agendi, dignam homine philosophiam existimabant. Excandescens et tribunitius Lutheri impetus, versuta Calvini sophismata, litterata Melanctonis humanitas, vel nulla vel ad summum mediocri fama inclaruissent. Sed palmam tulit ipsa erroris forma, quae omnia passionum vel haeresum portenta in catholicam legem aut fidem, uno sinu, uno vexillo et agmine complectebatur. Magna tunc horum copia exuberabat, velut stipulae ad comburendum aptae: scintilla tantum expectabatur, non ingenium, non virtus, sed audax manus. Hanc extulit Lutherus, cuius miserrima illa iactatio: *Homo sum, et me flante, orbis inflammatur!*

XIX. Interea, legitima Tridentinorum reformatione, reflorebat Ecclesia: Protestantium vero illegitima, quidquid apud ipsos boni remanserat, usque ad finem absumebatur. Absolutissimo enim privatae rationis imperio constituto, omne Dei in rationem ipsam ruebat imperium, Sacra quidem Biblia retenta sunt: sed eorum omnis virtus ac divinitas evanuerat, ex quo volubili singulorum interpretationi subiiciebantur. Biblia omnes ut commune vexillum efferentes, sed suo quisque libitu ea discerpentes, non inde religionem, sed anarchiam, pro divino iure constituebant: nullumque magis absolutum anarchiae exemplar quam Protestantismus. Cuius asseclae Lutherani appellantur, Calvinistae, Zwingliani, Anglicani, Sociniani, Arminiani, Anabaptistae, Episcopales, Puritani, Quaekri, Puseistae, Rongistae etc: ea ratione qua, exortis seditionibus, factiones a suis ducibus indigitantur. Atqui divisio quae sine fine in contraria dividitur, res humana est, atque ad dissolutionem pertingens.

XX. Certe, nihil praeter miserrimae seditionis characterem inveniri in protestantismo, ipsi iam sentiunt Protestantes, simulque inhorrescunt. Sine origine: non enim ultra Lutherum, Calvinum vel Henricum, eorum stirps atque genus; in quos vel oculos attollere, nemo honestus non erubescit. Sine sacerdotio, sine altari et sacrificio, quo ad Deum accedant; sine ulla fidei unitate, quo invicem coniungantur; fere sine ulla cultus exterioris specie, quo affectus tam suaviter in Deum elevantur; sine ullo sacramento, quo offenso Numini reconcilientur; quodque maximum est, sine divino magisterio, quo Bibliorum sensa explicentur, vel enascentia dubia non temnenda auctoritate resolvantur (*a*). Hac perterrefacti solitudine, quibus mens integra manet,

(*a*) Hinc humana sunt praecepta, quae ex Bibliis humana eliciuntur auctoritate: « Nihil habent ponderis illa praecepta, quia sunt humana, et auctoritate divina illa carent. Nemo igitur credit, quia tam se hominem putat esse qui audit, quam est ille qui praecipit » (LACTANT., *Divin. Inst.* III, 27.) Verte: Qui audit, et qui interpretatur. Unde ipsa Biblia, veluti exanime et mutilatum cadaver, in ipsorum manibus iacent: quia enim auctoritate eorum divinitas effertur, eadem plane reiicitur.

Suorum perterritus ruinis, diarius quidam septentrionalis Germaniae, iam Protestantismo addictissimus, nuper exclamabat: « PERGAMUS ROMAM! Ubi Ecclesia Scripturarum sensa figit atque declarat; ubi ministris edicit

ad eam revertuntur Ecclesiae petram, a qua eorum patres discesserant. Iique sunt qui, tota Germania vel Anglia, maiori sapientiae et morum laude praedicantur, et numero plurimi, hac potissimum aetate, qua religiosa atque historica studia a fontibus iterum resumuntur, fervent et convalescunt. Tunc autem ne unus quidem bonae fidei cultor Protestantismo relinquetur, quum filiis patrum mendacia et fraudes aperientur. Ex nostris equidem nonnulli ad Protestantium castra secedunt: sed, quaeso, numerentur, eorumque scientia vel virtutes describantur. Imo paucissimi sunt, fex cleri vel coenobiorum, quorum tragoedia, ut de primis aiebat Erasmus, exit in catastrophem comicam, UBI CONTIGIT UXOR.

XXI. Factum tenemus, et concludimus: Ergo hodie est quod heri, quod olim erat Protestantismus: hominum inventum, mentis et cordis rebellio. Atqui rebellio opponitur principio cuiuscumque societatis constitutivo: ergo

XXII. Tertio: *Protestantismus ad nullam religionis vel societatis formam est constitutus.*

XXIII. Religio est societas, societatis autem forma constitutiva et substantialis est in summa auctoritate, qua legis et unitatis vinculo membra contineantur. Ergo Protestantismus, spirituali auctoritate libero examine labefactata, ad nullam religionis vel societatis formam constituitur.

XXIV. Hanc enim Christianismo necessariam esse auctoritatem, fatentur maximi inter Protestantes, Grotius et Leibnitius. Grotius haec statuit: 1. Sine suprema Papae auctoritate, impossibilem fieri controversiarum finem 1). 2. Fidei dogmata, non scripturis tantum, sed traditione et Ecclesiae auctoritate esse definienda 2). Leibnitius vero, summus ille vir qui scientias omnes aequo ducebat cursu, postquam Ecclesiae doctrinam de traditione, de sacramentis, de missae sacrificio, de reliquiarum et imaginum cultu, de ecclesiastica hierarchia, deque suprema Pontificis Romani auctoritate, candide atque erudite tuitus esset, subiungit: « Quotiescumque definiendi urgeat necessitas, et generale Concilium haberi nequeat, admittendum est, primum episcoporum seu Pontificem Maximum, eadem qua universa Ecclesia, pollere auctoritate 3) » Haec nempe illis dictaverat notio religionis atque societatis, quae nec nomen nec rem haberent sine summo quodam imperante.

1) Grotius, *Votum pro pace Ecclesiae.*
2) Id., *Rivetiani Apologetici discussio.*
3) *Syst. Theologicum*, sive *Exposition de la doctrine de Leibnitz sur la religion.*

XXV. Hinc tria concluduntur: 1. Papae in finiendis controversiis auctoritas; 2. Auctoritas Papae et Ecclesiae in iis definiendis quae Scripturis et Traditioni divinitus concredita sint;

Ecclesia quid docendum, fidelibus quid ediscendum; ubi cultus uniformitas custoditur; ubi sibi congruunt affectuum solemnitas et sublimitas adorationum; ubi excelsus sacerdos et pontifex non terrenis potestatibus frontem subiicit, sed Deo soli; ubi fides et disciplina moribus vigent; ubi vere Ecclesia aedificatur super illam petram, in quam portae inferi non praevalebunt. »

3. Papam si urgeat necessitas, eadem, qua universa Ecclesia, pollere auctoritate.

XXVI. Quum enim nulla fingi possit societas, quin supremum in ea pateat tribunal actu semper existens; quumque ea sit religionis natura ac vis, ut eius decreta, sive in credendis, sive in agendis, assensum firmiter inclinare, ideoque errandi periculum amovere debeant: sequitur quod Grotius et Leibnitius constituebant, necessario ex divina institutione esse in Ecclesia eiusque Capite, summum ac permanens tribunal atque imperium. Quo a Protestantibus deleto, factum est ut nullam religiosae societatis coniunctionem vel habere vel sibi effingere queant.

XXVII. Attamen, cum sine regiminis auctoritate vel idea absit societatis, fictitiam auctoritatis imaginem restaurare conabantur; sed, amoto capite, cui eam conferant non habent. Non suis, ut aiunt, pastoribus vel ministris: quilibet enim laicus vel muliercula suum habet spiritum, cui soli credere teneatur. Non pastorum comitiis: nam, reiectis universalibus Ecclesiae comitiis, qua fronte sua ipsi comitia suis imponent? Sed quum synodi synodis repugnent, nec duae sibi congruant, cuinam credendum? Non principi civili: quis enim ferat ut, legitimo Petri successore expulso, rex vel regina in papam vertatur vel papissam? Quid magis ridiculum, quam princeps, vir vel foemina, stans pede in uno, sine labore vel studio, fidem definiens, eamque pastoribus et doctoribus imponens? Alia ne clarior religionis subversio vel derisio? Alia ne unquam imposita servitus insulsior ac praepotentior? Huic tamen Protestantes colla subiiciunt et libertatem iactant! Doctissimorum Ecclesiae pontificum auctoritatem mitissimumque imperium despiciunt, dum ipsi caelestem fidem civili imperio, armorum nempe regimini subigunt: et se fidei reformatores et libertatis auctores gloriantur (*a*)! Sed quis privati examinis libertatem, eiusque absolutissimam ab omni auctoritate independentiam cum ipsa conciliet auctoritate, quae vel pastoribus, vel synodis, vel reginis aut regibus conferatur? Hic nempe aeternus Protestantismi nodus, nunquam solvendus. Unde, iure Protestantes ipsi suos compellunt pastores: « Si via auctoritatis est legitima, damnanda est Protestantismi origo, qui ab Ecclesiae auctoritate, tot saeculorum suffragio confirmata, discesse-

(*a*) Usque ab anno 1847 quidam anglicanus minister, nomine Gorham, quum efficacem negaret baptismi vim et necessitatem, admitteret vero Episcopus eius dioecesis, obstabat hic ne ille beneficium ingrederetur. Sed Gorham, privati reginae Consilii sententia, lord John Russell agente, contra Episcopi iudicium, veluti egregie orthodoxus in beneficium admissus est. Die autem 25 iunii anni 1850, Episcopus Exeterensis, coacto concilio, Gorhamum damnabat, necnon reginae eiusque Consilii sententiam. Hinc flagrans episcoporum discordia, aliis reginae, aliis Episcopo Exeterensi faventibus. En quo traxit discordia fratres! Nulla inter ipsos consensio, nulla auctoritas, nullus iudex, nisi laicae potestatis vel reginae iudicium. Libertatis licentiam deligentes, in probrosam ac durissimam servitutem lapsi sunt.

rat; contra, si recta est examinis via, damnanda est nova auctoritas, quam in ministerio vel synodis, vobis, o pastores, usurpastis, vel regibus et principibus contulistis. »

XXVIII. Frustra igitur Protestantes aliquam societatis vel regiminis formam restaurare conantur. Imo, sacrorum iure in singulos semel collato, ipsum civile ius radicitus convellebatur. Nam et ius civile in externa quoque situm est auctoritate, qua semel avulsa, sicut unusquisque sibi fit sacerdos et pontifex, ita rex et princeps. Unde illud anarchiae genus quod populare sive universorum imperium est appellatum. Quid enim Protestantismus, nisi emancipatio rationis ab auctoritate? Ergo ratio imperans in divinis atque in humanis. Atqui ubi omnium est imperium, ibi nullum est imperium, nulla consociationis lex, nulla societas. Nunquam, fatemur, omnes extulit vires hoc principium, quo repente societas excideretur: illud namque repulit naturalis conservationis instinctus. Logice tamen omnes insurrectiones, quibus dudum laborant imperia, inde inferebantur: estque ignis in domo, atque ardens vulcanus, quo tellus tota concutitur.

XXIX. Ergo tria haec invictissime patent. 1. Quum in infinitum scindatur Protestantismus, veritas non est, quae una est, constans sibi, et indivisa. Sed neque philosophia dici potest, quae aliquid saltem refert positivi; ille autem nihil habet nisi negativum: *Protestari in Auctoritatem.* 2. Nihil habet divini: unde qui nulla religione delectantur, se nunc Protestantes appellari patiuntur. 3. Nullam induit societatis formam, quinimo singulorum independentia cui innititur, cuiusque est societatis extinctio. Quid ergo est Protestantismus, si non est philosophia, non religio, non societas? *Religiosae ab initio, nunc religiosae simul et politicae insurrectionis instrumentum et vexillum.*

XXX. Hinc illa explicatur Anglicanismi praesertim cum omnibus sectis religiosa et politica fraternitas; hinc illa insurrectionum sitis et quaedam fere necessitas; hinc tam fervens in Italiam machinatio, ubi auctoritatis principium sua adhuc in sede dominatur (*a*). Lege librum: *Della introduzione del Prote-*

(*a*) Primi, in Italiae finibus, Protestantium temp li fundamenta iaciebantur Augustae Taurinorum, die 29 octobris anni 1 851. Scribe in eius fronte: IGNOTO DEO. Si inscriptionis rationem postulas, praeter Bossuetum, *Histoire des Variations*, lege opus elaborantissimum, *La Symbolique, par* MOEHLER, necnon aliud, vere eruditionis emporium, *La Réforme contre la Réforme, par* HORNINGHAUS. Videbis, Protestantes nescire iamdudum *quid velint, quid dicant, quid adorent.* Sciunt tamen quid agant. Quum politices instrumentum fuerit nova Reformatio fere ab incunabulis, iam ab anno 1527 in illam Italiae oram irrepere conabatur, ut universam inde Italiam et Romam subigeret: quod enixe tunc vetuerunt principes Sabaudi, prucis qui aderant Valdensibus in montium vallibus conclusis (Vide *Origines de Vaudois, par* Monseign. CHARVAZ). Laudanda illa facta, quae ab Italia averterant bella civilia, quibus Germania et Gallia deinde exarserant. Nec reviviscent illa arma: quis enim, pro extincta fide, digitum moveat? Quocumque tamen Protestantismus pedem intulit, fides catholica a politica auctoritate graviter divexatur: quae

stantismo in Italia. In diario *Morning-Herald* mensis augusti anni 1851, haec habebantur: Ut Italorum emancipatio (*a iure imperantium*) pro votis contingat, in antipapalem insurrectionem est convertenda. » Pretestantismo igitur ius gentium est *insurrectio?* Sed Italà gens, sed Roma, orbis catholici mater et civitas princeps, tantam ne abiicet coronam? Imo confidimus, non longe abesse tempora, quibus errantes filii, patrum resumentes fidem, ad matris amplexum revertantur.

Interim vero, utrum in Catholicismo an in Protestantismo, divinum ius quod naturae eminet, sit constituendum, liquet ex dictis.

TITULUS XIII.

AUCTORITAS, NATURAE RATIONALIS FUNDAMENTUM ET PERFECTIO.

I. Officiorum basis, auctoritas. II. Nihil ipsa rationabilius. III. Ipsa familiae et societatis fundamentum. IV. Ipsa primum, vita universa regitur et continetur. V. Rationabilior fides, qua Deo credimus, et religiosam cum eo societatem ingredimur. VI. Civitatis exsors, civili non parens auctoritati. VII. Negatio auctoritatis, scepticismus universalis. VIII. Scepticismus politicus et religiosus. IX. Non dissimilis a philosophico: causa communis. X. Fides adhibenda in ordine naturali, religioso et sociali. XI. Triplex anarchiae genus. XII. Auctoritatis elementa: *rationabilitas*, *imperium*. XIII. Dei imperium imminet homini in familiari et in politica societate. XIV. Honorabile obsequium, propter originem auctoritatis, et motivum. XV. Sive publicae, sive privatae, obsequamur auctoritati. XVI. Sed excelsior cum Deo societas, excelsiorem iniungit obedientiam et fidem. XVII. Fides haec inter iura recensenda, naturam dirigens ac perficiens. XVIII. Unum ius publicum fiat, sicut unum ius naturale et divinum. XIX. Haec ultima perfectio in terris adipiscenda. XX. Auctoritate et obsequio moralis ordo absolvitur.

I. Rationalium creaturarum ordinem earumque relationes hactenus expendentes, iam extrema tenemus: hinc homo, illinc Deus. Deus, summa ratio et summa lex, creatas ubique rationes ad sui imaginem effingens, sibique atque ipsas invicem amore et iuribus revincens. Divina quum sint iura omnia, ex uno Deo prolata, proprie tamen ius *naturale* appellavimus, quod rationi insitum a natura extulimus; *divinum* autem, quod ab ipsa Dei ratione, per verbum revelationis et divinitus constitutum magisteri-

subdola persecutio, metuenda est potius quam altera. Sed nec religiosae disceptationes amplius reviviscent: nam, qui inter Protestantes acumine et eruditione praecellunt, ad catholicam fidem se iterum recipiunt; reliqui vero, quum positivi Christianismi nec punctum retineant, nec punctum quoque habent quod tueantur. Tota eorum causa, vel inepta diariorum garrulitate, vel furtivis foliculis peragitur. Templum tamen requirebatur, quo convenient, *qui in omnem protestantur Catholicae Fidei veritatem.*

tum, excepimus. Ne naturam, eiusque iura discerperemus, utrumque coniunximus. Utroque autem, officiorum series, pyramidatum veluti aedificium, extenditur, evolvitur, perficitur. Basis vero, cui universa compages superstruitur: AUCTORITAS. Huius duplex elementum: rationabilitas, imperium. Illi ratio, isti voluntas flectitur obsequio.

II. Auctoritatis vim nemo effugiet, tamque late patet quam minum vita: neque irrationabilis, vel homine indigna, quum porationabilibus momentis semper sit innixa. Auctoritate enim, *minor credit maiori*. Quid autem rationabilius, quam debirationem maiori inniti ac fulciri? Hinc omnis societas con- : secus, vel constituta, ruet ac dissolvetur.

A familia si incipias, viro subest mulier, parentibus fi- ionale est minores rationes a maioribus duci. Nam, si s iura ideo tenemus quia propriae rationi illa edocenti liori quoque rationi erit fides adhibenda. Quod pa- muni et civili et religiosa societate contingit. Imo, ita constituti sumus, ut sine fide eiusque auctoritate, que nobiscum, neque in societate esse vel vivere possimus.

IV. Parentum dilectio, est familiae initium, nexus et complementum. Sed cur parentes diligimus, nisi quia fide eos credimus parentes? Quomodo ea quae possidemus, veluti nostra tuemur, nisi vi et fide chirographorum? Et si pacta et commercia inimus, nonne mutua contrahentium fide? Si servos et ancillas in familiae unitate adsciscimus, nonne quia fideles et nobis profuturos credimus? Ipsaque matrimonia nonne sponsorum fide innituntur? Quodsi olim litteras legere vel exarare novimus, nonne quia alphabeti litteris, ex gr. *a*, *b*, *c*, eam esse formam et vim credidimus? Si autem panc primum aliisque cibis usi sumus, atque a noxiis vel venenosis abstinuimus, nonne quia nutrici fidem adiungebamus? In scientiis demum si quid profecimus, non ideo factum est, quia magistris fidem adhibuimus? Scite igitur neophytos alloquebatur doctor Hierosolimitanus: « Neque apud nos tantum qui Christi nomine censemur, magna est fidei commendatio; verum etiam universa quae in mundo fiunt, et ab iis qui alieni sunt ab Ecclesia, per fidem transiguntur 1). » Et Augustinus: « Si auferatur haec fides de rebus humanis, quis non attendat quanta rerum perturbatio, et quam horrenda confusio subsequatur? 2). »

1) Sanct. Cyrillus Hieros. *Catech. V. illuminandorum*, n. 3.

2) *De Fide rerum, quae non videntur*, cap. 2, n. 4.

V. Ex luculentissimis adeo et rationabilibus principiis et factis quibus vita universa continetur, haec fluit argumentatio. Si hominum credere auctoritati, naturalium officiorum et communis deinde vitae et perfectionis obtinendae initium est ac fundamentum; quanto rationabilius Deo erit credendum, totius generis institutori atque parenti? Et si humana fide a mortalium cordibus excisa, societatis iura et vincula exciderentur: quae nos urget impietas, ut, abiecta fide divina, societatem qua homines

Deo coniungimur, uno ictu exscindamus? Quemadmodum enim filii parentibus fidem denegantes, eorum quoque societate, amore et obedientia exsolventur; ita qui Dei abiiciunt fidem, eius societatem, obedientiam et amorem abiicient.

VI. Sed et politica adest societas, cuius auctoritati ni privatam rationem et voluntatem subiicias, tibi solus manebis, nec iurium nec amoris civilem communionem ingredieris.

VII. Auctoritatis itaque revulsio, nos brevi ad philosophicum, religiosum et politicum scepticismum adduceret. Rationi dictanti vel monenti, oculis et sensibus fidem subtrahe: quid in ordine morali vel physico perspicies? Veritatem, cum Democrito, in puteo latere contendes. Ex adverso, si iura omnia, omnemque auctoritatem, privato examine, in tui ipsius ratione concludas, scepticismum religiosum et politicum, egoismum deinde et materialismum non effugies. Huc autem Protestantismus, imperium nempe in quolibet iure definiendo rationi delatum, mentes impulerat (*a*).

VIII. Nam postquam iura laudata sunt *rationi immanentia et per singulos exercenda*, duo concludebantur: 1. ergo Dei auctoritas nulla, nisi quae humanae subiiciatur rationi; 2. ergo imperantium auctoritas nulla, nisi quae singulorum placuerit iudicio et voluntati. Quae in haec vertebantur: *quilibet sibi rex: quilibet sacerdos*. Vel alia ratione: *nullus populi imperator, nisi populus; nullus populi sacerdos, nisi populus*. Ultimi hi, olim Protestantismi, nunc purae democratiae termini, omnem auctoritatem everteutis, atque, instar flammae, societatem absumentis.

(*a*) Ex philosophico scepticismo gentes antiquae, ex religioso autem recentiores, ad aliquam materialismi formam pervenerunt. Nam, vel spiritu regamur vel corpore, necesse est. Hinc, per totam fere Europam, novi scepticismi et materialismi coaeva origo. « Le sensualisme, la plus simple, la plus facile, et l'on peut dire la plus sotte de toutes les théories philosophiques, fit en Angleterre et dans le reste de l'Europe de rapides progrès. Humes et Gibbon le traduisirent en *histoire*, Condillac l'enseigna à la France; mais il ne fut la proie de l'immense troupeau des esprits légers, il ne devint populaire que quand il fut revêtu des formes séduisantes que surent lui donner Helvétius et l'auteur du *Système de la Nature*. Une doctrine ainsi généralisée, ne saurait rester inactive au milieu d'un peuple. L'Angleterre, matérialisée dans son enseignement philosophique, le fut bien plus encore dans les sciences d'application. Tout fut formé vers la statistique, l'économie sociale, l'industrie et la production; sa morale politique et gouvernementale fut tout entière contenue dans ces deux mots: *Tout ce qui produit est bon*. Le principe de l'intérêt matériel devenu dominant dans les idées, se mêle parfois avec une étonnante naïveté aux idées religieuses elles mêmes. Le célèbre Boyle, connu par sa piété et sa charité, disait qu'il était bon de prêcher l'Évangile aux sauvages, « parce-que, dût-on ne leur apprendre qu'autant « de christianisme que il en faut pour marcher habillés, ce serait tou« jours un grand bien pour les manufactures anglaises » (*Lettre a S. M. le Roi de Prusse*, par Monseign. Rendu, évêque d'Annecy, ch. VI.)

Sed, auro pro Numine constituto, nonne in eius tandem auctoritate captivamur? Ergo nunquam auctoritatis imperium effugiemus. Cum pro philosophico vel religioso scepticismo, nobilissimam rationis et religionis auctoritatem expunxerimus, tunc materiae vilissimi mancipii constituimur.

IX. Politicum et religiosum hunc scepticismum, a philosophico nequaquam absimilem inspicimus. Quum enim edoceamur, natura nos conditos esse ad *veritatem*, ad *religionem* atque ad *societatem*, alterutram negare, eiusdem est erroris et infirmitatis. Causa autem communis: in primo casu, fides rationi et sensibus denegatur; in altero, Dei rationi, seipsam certissime revelanti; in tertio, naturae simul et Deo, nos ad societatem constituenti.

X. Igitur fides adhibenda in triplici ordine, quo vita universa continetur: scilicet in naturali, religioso et sociali. Quod ratio ubique iubet ac suadet. Nam, et Deum, praeter ingenitam rationis legem, positiva edixisse iura per revelationem; et nos sociabiles esse, nullam autem sine communi auctoritate fieri posse societatem; haec adeo certa tenemus fide, quam nos intelligere, quae intelligimus, et videre quae videmus.

XI. Pro triplici hoc rerum ordine ad quem conditi sumus, triplex anarchiae genus oriebatur. Primum ille erat philosophicus scepticismus, quo rationis et sensuum auctoritas excutiebatur, prout instrumenta sunt cognitionum humanarum. Nos ridemus iam corporum existentiam pernegantes, et in domesticam sensuum auctoritatem insurgentes. Sed levior ne secunda et tertia anarchiae species, civilem simul et divinam auctoritatem detrectantes? Anarchiae itaque et scepticismi circulus in eo totus pervolvitur, ut nos vel a rationis et sensuum, vel a civili, vel a religiosa auctoritate subtrahamus: delentes, quantum in nobis est, hominem in primo casu, societatem in altero, et Deum in tertio.

XII. Haetenus rationabilem inspeximus auctoritatem: nunc illam videamus *imperantem*. Nam, quemadmodum rationes humanae ex aeterna Dei ratione illuminantur; ita ex summo illo Imperante cuncta fluunt imperia. Primum homini insonat per intimam sui ipsius rationem, ut non quae placita sed quae iussa sunt, libenti exequatur voluntate: non in rationis tantum, sed in Numinis obsequium, cuius vim et praesentiam sentit homo in cordis arce constitutam. (*a*)

(*a*) Errores qui nunc philosophiam evertunt, moralem deinde, civilem et politicam iurisprudentiam impossibilem efficiunt, ad hoc unum revocantur: *auctoritas rationis esclusiva*. « Dichiarata da Kant la ragione autonoma, cioè *legislatrice a sè medesima, e dalle proprie sue leggi sol dipendente*, le scuole tedesche entrarono in questa rotaia. Quindi Fichte non considera il dovere, se non come *una legge che l'IO impone a se stesso, e questa legge consiste nel rispettare il diritto altrui*. Per Hegel *la moralità è un'armonia dell'uomo colla natura, e la volontà è morale fine a se stessa, o legge di moralità*. Quanto a Schelling, egli dice, che *se Dio esiste, esiste subito per conseguenza un mondo morale*: ma soggiunge *che la virtù è uno stato nel quale l'anima si conforma non alla legge posta fuori di lei, ma bensì come ad una necessità interna della natura sua*. » Quibus positis, concludit rectissimi ingenii vir Aemilianus comes Della Motta, Taurinensis: « Tutta la moralità e la legge non potranno essere altro che lo sviluppo non condizionato dell'*IO*. Ne questo potrà aver superiori, perchè secondo questi filosofi, il Dio vero e perso-

XIII. Sed socialis homo, primum in familia, deinde in civitate: ibi et illic, numquam ex Dei imperio evasurus. Ergo alius imperans in familia et in civitate, qui domesticam et politicam exerceat auctoritatem. Si hic naturae et Dei imperantis tenet officia, ut illius obsequamur auctoritati, efficit eiusdem origo auctoritatis quae *ex Deo* est, et imminens Dei imperium: *propter Deum*. Qui haec neget universalissima naturae dictamina et iudicia, rationem negat, familiam et societatem, rationabilium creaturarum ordinem evertet, iurium autem cognationem, hierarchiam et compagem dissolvet. Videat enim ipse, aliamque si suppetat, homine dignam, familiae, societatis atque officiorum moralem constitutionem proferat.

XIV. Quod natura praeceperat, Evangelii lex iterum edicit et firmat. Gentium enim Apostolus, humanas potestates ad communem auctoritatis originem conferens, argumentabatur: « Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, *non est enim potestas nisi a Deo:* quae autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, *Dei ordinationi resistit*. Qui autem resistunt, ipsi damnationem acquirunt 1). » Princeps vero Apostolorum in obedientiae motivum vel rationem intendens: « Subiecti estote omni humanae creaturae *propter Deum:* sive regi quasi praecellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum; quia *sic est voluntas Dei*, ut benefacientes, obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam: quasi liberi, et non quasi velamen habentes malitiae libertatem, sed *sicut servi Dei*. Omnes honorate, fraternitatem diligite: Deum timete, regem honorificate 2). »

1) *Rom.*, III, 1, 2.

2) I Petri, II, 13-17.

XV. Quot in illis verba, tot iuris publici fundamenta: quod ius, hominum arrogantia vel ambagibus solutum, dum vertitur in humanis, ad Deum erigitur. Eodemque fundamento privata iura reficiebantur: « Filii, obedite parentibus vestris *in Domino*... Servi, obedite Dominis carnalibus cum bona voluntate servientes, *sicut Domino*, et non hominibus: scientes quoniam unusquisque, quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus, sive liber 3). » Ubique Dei auctoritas, hominibus per homines praecipiens; ubique obedientia, non in hominibus sistens, sed ad Dei maiestatem assurgens; ubique homo, Dei imperio suffultus, liber sub ipsa lege, non captivus; servus Dei liber ab hominibus.

3) *Ephes.*, VI, 1, 5, 7, 8.

nificato è l'uomo, e non ce n'è altro. Che se la coesistenza dell'io mio proprio con altri individui può suggerire la formola: *Rispetta l'IO o il diritto altrui*; giudice assoluto di tutte le cose essendo quell'*IO* solo che sta in me, *tutta la moralità viene a consistere nel giudizio che ne portiamo noi medesimi*, come pretende Rousseau nella Professione del Vicario Savoiardo. » (*Saggio intorno al Socialismo*, pag. 807-809; Torino 1851) Huc precipites nos agit obsequium rationi propter rationem exclusive delatum: in intellectualem scilicet, moralem et civilem anarchiam, omnium-ne absolutissimam, qua hominum societas non modo angitur, sed pene ob.i ur.

XVI. Dum haec obedientiae dignitas, et auctoritatis iura hominibus evulgabantur, excelsior alia societas cum Deo, per religionem, erat ineunda. Excelsior propterea auctoritas, obedientia et fides. Hic nempe illa fides quae, Dei auctoritate innixa, credit ea quae non videt. Sed quum motiva credendi, idest signa supernaturalia, uti prophetiae et miracula, sint perspectissima, rationabilis quoque erit ipsa fides divina; quum vero, rationem superans (non illi repugnans), in supernaturalium ordine versetur illa fides, si pia voluntatis motio accesserit, obedientiae et meriti culmen attinget. Ad quam praesertim illa referuntur: « Numquid vult Dominus holocausta et victimas, et non potius ut obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia quam victimae 1). »

1) I *Reg.*, XV, 22.

XVII. Fidem hanc inter iura recensendam, quibus humana regitur natura, ex eo patet, quod a naturae ipsius summo legislatore prolata sit, et in sacrorum codice descripta. Soli autem ii illam despiciunt, qui rationalem despiciunt naturam. Nam, duplex quum indita esset facultas, intellectus et voluntas, ab auctore utraque regenda erat, ne in praeceps abiret. Credendorum itaque lege regitur intellectus, dum agendorum lege gubernatur voluntas: unde non vincula, sed alae et robur accedunt. Nam fides divina, aeterna intelligendi atque amandi, quae naturam latent, vias et adiumenta ministrat. Dei magnalia semel ingressi, quam extollimur, quam ardenter veram sapientiam concupiscimus, quo intimius et largius iura et officia perspicimus, atque in ipsis naturalibus qua ampliori et securiori luce collustramur! Hac ratione, fides omnem possibilem tum magnitudinem, tum pulchritudinem, humanis facultatibus conferens, ipsa intelligentiae et virtutis heroes gignit ac perficit. Omnibus pervia et facilis, dum paucorum est scientifica disquisitio, longa, exitus anceps, et perdificilis; illa omnibus se pandit, omnes colligit, erigit, implet. Omnium Pater, si naturalia munera filiis, diversis utique ponderibus elargiebatur, cur non aequali, ad supernaturalia atque aeterna capacitate condecoraret?

XVIII. Imo, cum huc pervenerimus, quoniam moralis ordinis fastigium pertingimus, ex illa auctoritatis sublimitate, tempora sollicitamus, quibus dispertitae gentium familiae, uno auctoritatis iure, atque amoris foedere coniungantur. Vana quippe fraternitas, nisi tandem Pater unus imperet, unus legislator et magister, cui omnes obsequantur et pareant. Sui nationibus erunt codices et utilitates: sed unitatis lex, ex Evangelio defluens, mores informans et corda cordibus inflectens, unico tandem iuri publico, ex sincero naturae et Divinitatis iure desumpto, paratas efficiet. Tunc ut nationes plurimae, et plurimi rerum civilium rectores permanebunt, unum tamen erit ius animarum, auctoritas una, unus pastor in terris, sicut in coelis unus pater et Deus.

XIX. Haec potissima humanitatis perfectio, in tempore cur-

sus et viae: si tamen unquam continget! Sed accessum quis vetat? Accessus autem fiet, quantum ad naturae integritatem accesserimus, deinde ad divini iuris unitatem atque auctoritatem: quod ius divinum, una et sola Catholica religio continet, singulis perfectionem praebens, nullam ipsa substantialiter a creaturis recipiens (*a*).

XX. Ultima haec veluti linea, qua natura humana ad moralem ordinem universim erat instituenda. Mundi moralis, quem dimensi sumus, haec ultima fastigia: *ratio, imperium*. Rationi indita sunt iura, sive rationes rerum patefactae sunt, ipsaque praecessit, ut imperium digne et rationabiliter subsequatur. Inde *auctoritas* ex una parte, iurium molem continens; ex alia, *rationabile obsequium*, officiorum excelsam vim et dignitatem apprime discernens. Auctoritate et obsequio circulus perficitur, et moralis ordo restauratur. Nunc ad ordinem praesertim materialem componendum, sive ad ius proprietatis, quo civilia fere omnia iura innituntur, gradum faciamus.

(*a*) Christianismum, cuius expressio vera unice est Catholicismus, ideo non perfectibilem dicimus, quia perfectus est: homo autem maiorem usque perfectionem acceperunt. Quare ipse Benjaminus Constant, qui perfectibilis cuiusdam Christianismi veluti auctor habetur, ex sua ipsius sententia revincitur. Scribit enim: De toutes les formes, que le sentiment religieux a peut revêtir, le Christianisme est la plus satisfaisante à la fois et la plus pure. Tel que l'enseignait son divin auteur, il apaise toutes les douleurs de l'âme: il respecte toutes les libertés de l'intelligence, en la délivrant néanmoins de l'angoisse du doute; et depuis le palais jusqu'à la chaumière, dans sa sympathie ingénieuse et variée, il offre à tous les consolations dont tous ont besoin. Inaltérable, et cependant flexible, il grave dans les coeurs les vérités essentielles, et il accueille les tributs des siècles et les perfectionnements qu'ils lui apportent. Et que les hommes religieux ne s'offensent pas de ce que nous parlons des perfectionnements du Christianisme. *Dans sa doctrine morale dans ses préceptes, dans toute la portion émanée de son auteur, le Christianisme n'est pas perfectible, car il est parfait* » (*De la Religion etc.*, liv. V, ch. 7.). Satis pro homine protestante: Christianismus prout a Christo traditus est, nec perfectibilis, nec reformabilis est. Homo ipse perficitur, eius dogmata exquirens, doctrinam evolvens, cultum exornans, disciplinarum scientiarumque incrementa in illum conferens. Ipsemet Christianismus, si velis, in parte sua externa, accidentali vel disciplinari perficietur: qualis tamen a Christo substantialiter est institutus, immutabilis permanebit. Quod ni fiet, nec res esset divina, nec ut talis censendus, si vel semel hominum arbitrio reformandus traderetur. Quam immutabilitatem vel ipsi Protestantes nobiscum fatentur, dum se Apostolorum vel apostolicae aetatis vestigia persequi gloriantur. Nos et in eadem versamur sententia, hoc uno discrimine, quod legem viventem adhibemus Ecclesiam a Christo constitutam, ut sincera atque integra assequamur Christianismi initia, Scripturis et Traditionibus comprehensa; interim vero, ut infallibili iudicio ea secernamus quae immutabilia sunt, ab iis quae sunt humanitus perfectibilia. Utcumque igitur, et prima institutio servanda, et magistratus legitimus adhibendus, ut quae licita perficienter quemadmodum omnia etiam civilia, nisi per magistratus, nullam perfectionem accipiunt.

LIBER SECUNDUS

DE RELATIONE HOMINIS AD ENTIA MATERIALIA, SIVE DE PROPRIETATE

TIULUS I.

NOTIO PROPRIETATIS: EIUS HOSTES, COMMUNISMUS ET SOCIALISMUS.

I. Iurium civilium sedes, proprietas. II. Proprietatis notio realis et nominalis. III. Adversarii proprietates, Socialismus et Communismus. IV. Vix erumpet Communismus. V. Iam se extulit Socialismus. VI. Quomodo? VII. Socialismi principia. VIII. Initia a proprietate ecclesiastica. IX. Unus antecedens, alter consequens. X. Agenda in hoc libro.

I. Humanae naturae cum rebus sensibilius relationes, summo *proprietatis* iure innituntur: quo nomine aliquid expressius, fortius ac validius, quam in usitato *dominii* vocabulo continetur.

II. Proprietati tanta est vis, ut quandoque *ius utendi atque abutendi* dicta fuerit: quod plenissimam significat de re nostra statuendi potestatem (*a*). Potestas haec triplici iure continetur: *fruendi, excludendi, disponendi*. Est *fruitio*, ius omnem possibilem utilitatem ex re percipiendi. *Exclusio* est ius aliis interdicendi quidquid dominum turbare possit in rei suae fruitione. *Dispositio*, ius est permutandi, alienandi, vel quomodocumque de re sua disponendi. Ius quod descripsimus, *subiectiva*; res ipsa, *obiectiva* proprietas nuncupatur. Illa a iurisdictione longissime distat: siquidem iurisdictio potissimum ad personas refertur, uti paterna vel politica; nunquam vero ius utendi atque abutendi dici posset. Nam personis praesumus, eas regimus imperio, proprias autem, veluti res, non habemus nec possidemus.

Haec vis realis, proprietati insidens. Si verbum inspicias, quum ex Forcellino proprietas verborum « sit coniunctio illorum

(*a*) Iure *abutendi*, nihil intelligi praeter rei consumptionem, et quidem per oppositionem ad simplicem usum animadversum est a Ioanne XXII (Cap. *ad Conditorem*, III, *de verb. signific.*; inter illius *Extrav.*, tit. 14). atque a Toullier (tom. III, n. 86). Validus in iure, etsi inhonestus atque illicitus, erit rei tuae abusus, usquedum strictum alienum ius violatum non fuerit. Discrimen autem proprietatis a iurisdictione, explanat Gradilius, *de Iustitia*, part. II, d. 1, c. 3; opp. t. XVII, p. 252.

arcta et apta cum rebus ipsis quas significant, » proprietas in nostro casu erit *coniunctio rerum arcta et apta cum earum domino*. Unde rerum propriarum et communium distinctio, qua usus est Cicero: « Ut cum ademerit nobis omnia quae nostra erant *propria*, ne lucem quoque hanc quae *communis* est, eripere cupiat 1). »

1) *Pro Roscio Amer.*, I, 2.

III. Duos nacta est adversarios proprietas: *Socialismum* et *Communismum*. Ambo unam eamdemque ideam prosequuntur: sed indirecte ac velata facie Socialismus; directe vero Communismus. Hic absolute nodum secat, inquiens: *Deus omnia fecit communia; violentia proprietatem fecit;* PROPRIETAS EST LATROCINIUM. Contra, Socialismus Statui sive Imperio quamdam veluti omnipotentiam confert, deinde imperio utitur eiusque legibus, ut proprietatem coërceat, fatiget, ad agonem redigat. Imperii itaque in res hominesque omnipotentia, velum est quo tegitur et fucatur Socialismus.

IV. Legalis vel iuridica Communismi sanctio nunquam erit societati pertimescenda: altis nimis radicibus proprietas in natura defigitur. Quandoque tamen erupit, iterumque forsan erumpet: sed veluti direptor ac depopulator, nunquam ut legislator. Publicae autem depopulationes, quid nisi publica et magna latrocinia? Fuit ergo, iamque iterum minabatur Communismus, sed veluti procella, torrens vel unda fluens: veluti factum, uno verbo, sed nullo unquam tempore vel levissima legalitatis specie honestandus.

V. Ex adverso, eius praecursor Socialismus, qui Imperio blanditur, qui Imperii omnipotentiam confingit, qui hanc omnipotentiam fovet, eamque ad se trahere conatur, pestis est societatem facillime pervasura. Facillime inquam: non enim simul ac semel virus effundit, sed sensim sine sensu doctrinas, institutiones, iura socialia, civilia, politica, serpenti quotidie tabe inficit. Nullibi totus et integer constat vel se prodit Socialismus, sed per quamdam veluti scalam et progressionem extenditur, in cuius ultimo gradu latet Communismus. Quid plura? Iamdiu imperiorum sedem, iurisconsultorum et legumlatorum mentem arripuit. Fere numquam civilis societas ab hac cavit infirmitate; praesens vero, maxima Socialismi lue inficitur. Ad quid enim tandem illa pervenerunt politicorum systemata de *potestatum aequilibrio*, deque *summae auctoritatis delegatione*, nisi ut omnia populorum iura, omnesque libertates in Statum confluant, eoque universa absorbeantur? Quicumque, ex imis licet subselliis, vel tantillam politicae potestatis partem arripuerint, se omnipotentes iactitant, cives legibus coërcent, privatorum libertates ac iura in se ipsos convertentes: liberales propterea dicendi, si aëris et lucis liberam populis usuram relinquant. Hic, qui pro populari effertur libertate, quid nisi inceptus atque in dies excrescens socialismus?

VI. Sed qua via huc ventum est, vel quae populorum simplicitas aut patientia?

Cuiusvis temporis Socialistae, verbis vel factis, ita populos allocuti sunt: « Civilium rerum cedite libertatem et ministerium; nos politicam vobis dabimus libertatem (*sovranità popolare*). » Populi, politica libertate allecti, civilem concesserunt libertatem. Tunc iterum Socialistae: « Politicam libertatem nobis delegate, cuius vel inexpertes vel impares estis; nos vestro nomine agemus. » Annuerunt quandoque populi, vel decepti vel vi adacti: sicque duae libertates, civilis et politica, plus minusve, in Socialistarum manus devenerunt. Qui hoc digni erant nomine, quatenus socialia omnium iura ad se ipsos pertrahere nitebantur.

VII. Duo sunt principia, quorum uno vel altero nititur Socialismus. Primum est omnium societatis membrorum mutua *solidarietas*. Alterum est conflictum ius, sive effrenis quorumdam Imperiorum cupiditas negotiis civium instandi, ut pueris assolent paedagogi.

Aliquid habent veri et aliquid falsi haec principia. Verum est, docuitque s. Paulus, uno membro patiente, omnia compati membra; verum quoque est Imperiorum esse officium in communem niti utilitatem. Sed falsum est membrorum solidarietatem inferre in omnibus proprietatis, doloris vel laetitiae aequalitatem: falsum, demandatum esse reipublicae vel imperantibus, ut aliis subtrahant quod donent aliis. Falsum quoque, ius esse politicis rectoribus proprietates civium administrandi, sacrarium familiae ingrediendi, distincta privatorum iura in unum quasi reipublicae ius conflandi. Humanae familiae solidarietas, quasi in solidum procuratio, charitatis officium est, non politicae gubernationis vel aequalitatis. Sed charitas munus est singulorum, non iura recipit imperantium: charitas autem in dies perficietur, si, faventibus Imperiis, ea in populis excolatur fides ex qua orta est. Abs re igitur Socialismus cum proprietate iustitiam evertit ut charitatem instituat.

VIII. Imo utramque evertebat, iustitiam nempe et charitatem, quum immani sacrilegio ecclesiasticas aggrediebatur proprietates, Deo et pauperibus dicatas. Dicebat enim Socialismus: « Hae sunt publicae vel Status proprietates. Cur vero eiusdem religionis ministri alii plus habent, alii minus? Nonne saltem omnes aequandi? » Succedunt Communistae et aiunt: « Omnium, o divites, sunt quas habe tis proprietates. Cur alii plus habemus, alii minus? Iam hora venit, qua omnes sunt aequandi. »

IX. Socialismus igitur et Communismus non sunt umbra et figmentum: sed ille est argumenti veluti antecedens, hic vero consequens. Ille imperia, et leges civiles, et politicas institutiones minatur, ut ignis latens et absumens: hic plebes commovet, malis aliquando doctrinis et factis ab ipsis imperantibus edoctas (*a*).

(*a*) Dupl x Socialismi et Communismi origo: *haeresis* et *philosophia*. Priorum saeculorum haereticos perstringit s Epiphanius; Dia s: a-

X. Proprietatem communire, errores convellere, societatem ex praesenti gurgite abstrahere, nostra erit mens et officium. In utrumque latus dimicabimus: in privatos qui doctrinis, in Imperia quae legibus vel factis proprietatem aggrediuntur. Socialismum et Communismum, qua peste nunc politica systemata, et nova praesertim excogitata imperia contabescunt, quocumque invenerimus, persequemur. Sed quum proprietas quaesita sit non in res tantum, sed in *homines*; hanc quoque proprietatis speciem perpendemus, de servitute acturi. Tandem, quum ipsa hominis *vita*, tamquam hominis proprietas, aliquando habita sit, quid iuris in eam vel privatis vel principi competat, summi saltem lineis perficiemus. Saepe in huius aevi doctoribus illa occurrent, quae de Graecis, pro Flacco agens luculenter Tullius iiebat: « *Ingenita levitas, et erudita vanitas* 1).

1) Apud s. *Hieron.*, in *Epist. ad Galat.*, lib. I. 3.

postolicos voluerunt, qui et apotacticos, idest *renuntiatores*, seipsos nominant: hoc enim diligenter observant, ne quidquam possideant. » (*Advers. Haereses*, l. II, c. 61). Qui error saeculo XIII revixit. Vide Bergier *Dict.*, v. *Apostoliques* et *Apotactiques*. Hi, non lege naturali, sed evangelica atque apostolica institutione, exclusam proprietatem arbitrabantur.

Omnium haeresum instauratores philosophi; et recte: nam haereses ex ipsa primum philosophia emanaverant. Omissis Platonis, Lycurgi aliorumque sat vanis utopiis, vel absonis aut male intellectis legibus, I. I. Rousseau actum illius qui primus aliquam terrae partem sibi exclusive vindicaverat, ut meram damnat usurpationem, qua omnia sunt genita mala; illaque est ablata felicitas ad quam homo conditus erat, nondum inita societate (Rousseau, *Disc. sur l'orig. et les fondements de l'inégalité parmi les hommes*, part. 2, an. 1755). Hinc eodem labente saeculo, propugnabat Baboeuf, abrogandam privatam proprietatem; et communem instituendam esse administrationem, per quam bona omnia in communi collata ex aequo omnibus distribuerentur. (In Diario *le Tribun du Peuple* p. 187 etc.) Alii, nostris temporibus, vellent ut distributio fieret vel ex *aequo*, vel pro *meritis*, vel pro singulorum *necessitate*. Certe, ipsis iudicibus atque administratoribus.

In consociandà haeretica et philosophica insania, altero quoque saeculo, adlaborarunt Sansimonistae, quorum prima erat lex, haereditatis abolitio, ut respublica in omnium tandem bona succederet. Inde usque ad nos, alia inclaruerunt nomina, Carolus Fourier, Robertus Owen, Petrus Leroux, Proudhon etc.; aliaque systemata, quorum patroni, *Utilitarii*, *Humanitarii*, *Chartistae*, *Proletarii* etc. Omnium communis idea: Socialismus et Communismus.

Lege horum historiam in operibus: *Histoire du Communisme ou réfutation historique des utopies socialistes par* M. Alfred Sudre, 1848. — *Études sur les Reformateurs ou Socialistes modernes par* M. Louis Reybaud, 1841. Quorum etsi non omnia probanda sint, aliqua vero protestantismum sapiant, plurima tamen vere descripta inveniantur. Sed nihil rectius atque uberius evulgatum hactenus fuit, quam eruditum opus Emiliani Della Motta: *Saggio interno al Socialismo, e alle dottrine e tendenze socialistiche*, ubi errores fere omnes, quibus nunc privatae et publicae perturbantur disciplinae acerrima ingenii vi declarantur et proterruntur.

TITULUS II.

PROPRIETATIS ORIGO, VIS ET CONSPECTUS GENERALIS.

I. Acquisitio mundi moralis et physici hominibus proposita. II. Haec Dei voluntas atque hominis capacitas. III. Per factum, ius *capacitatis* vertitur in ius *proprietatis*. IV. Proprietas est a natura *immediate* et *mediate*. V. Proprietatis constantia et perennitas; VI. etiam ex sola occupatione sine labore. VII. Iura proprietatis a legibus firmata, non invecta. VIII. Legitima ac necessaria locatio et conductio. IX. Acta causa mortis reiiciunt Socialistae. X. Sed qui testatur, vivit. XI. Successio familiaris, immanens proprietatis conditio. XII. Hoc natura docet. XIII. Hoc lex societatis confirmat. XIV. Naturam perficiat, non evertat lex. XV. Deficiente familia, viget testatoris libertas. XVI. Imago et iura familiae in corpore morali. XVII. Proprietatis iura et consectaria colliguntur.

I. Quemadmodum communibus intelligentiae, iustitiae ac legis notionibus, rationales animas imbuerat Deus, ea conditione ut quisque spiritualia illa semina excolendo, scientiae ac virtutis quasi patrimonium, veramque sibi proprietatem constitueret; ita quoque in rebus materialibus, suprema Numinis voluntas ordinavit. Nam quaecumque coeli terraeque ambitu continentur, hominibus illa proposuit, lege cordibus indita, ut quae quisque occuparet atque excoleret, ea proprietatis iure sibi acquireret. Vere itaque, hominis constitutionem, Deique munera respicientes, hanc ei referimus laudem: « Minuisti eum paulo minus ab angelis: gloria et honore coronasti eum. » Atque e vestigio, in eius relationem ad res corporeas intendentes: « Constituisti eum super opera manuum tuarum: omnia subiecisti sub pedibus eius; oves et boves universas, insuper et pecora campi; volucres coeli et pisces maris qui perambulant semitas maris 1). »

1) *Psalm.* VIII.

II. Igitur, qui natura rationali angelicam fere aemulabatur excellentiam, corpoream vitam agens, *capacitatem* accepit, ut res corporeas sibi haberet, iisque uteretur ac frueretur. Qui namque vitam dederat eiusque servandae praeceptum, ius quoque seu moralem facultatem conferre debebat, iis utendi sine quibus vita non ducitur; nec utendi solum, sed sibi habendi, excolendi, aliosque ab eorum usu excludendi, ut eorum firma et constans haberetur possessio. Ex Dei itaque voluntate, nobisque addito propriae conservationis et perfectionis officio, ab exordio humanae gentis, ius proprietatis emanavit: unde dominia aliaque minora iura extiterunt.

III. Dei autem voluntati accessit hominis factum, quo homo materialem naturam attingens, propositam sibi ingreditur proprietatem. Nam, si in primigenia naturae innocentis beatitudine, iura ferebant ut quae unusquisque excoluisset, iis dominaretur: a fortiori cum, in sudore vultus, terra foret subigenda. Occupatione igitur et labore, iura *meae capacitatis* transeunt in iura *proprietatis*; quaeque omnibus erant proposita, iura accipiunt definita ac particularia.

IV. Si duo haec ad ineundam proprietatem requiruntur, ius nempe *capacitatis*, sive ius *ad rem*, quod est universale, et *factum occupationis* sive *possessionis*, quod est particulare; sequitur, ius proprietatis dupliciter a natura proficisci: *immediate* quoad ius et capacitatem ea possidendi quae nondum iura proprietatis singularia susceperint; *mediate* vero, scilicet mediante facto particularis occupationis, quo ius capacitatis perficitur in reali et absoluto iure proprietatis.

V. Sed non bruti instar homo. Illud enim fructum quem non seminaverat, decerpit ac transit, nihil in posterum praevidens. Homo e contra terram sudore irrigavit, et aluit feracitatem ac nobiliorem eidem existentiam contulit. Quot sumtus, quot animi corporisque anxietates, ut sata perducantur ad segetem! En, terra quae mortua iacebat, tribulos ac spinas proferens, labore reviviscit, suoque cultori, veluti benefactori ac parenti, copulatur. Ergo eam sibi quodammodo assimilavit et permanenter acquisivit. Imo insumendi labores acuunt ingenium et aemulationem, canente Virgilio:

Pater ipse colendi
Haud facilem esse viam voluit; primusque per artem
Movit agros, curis acuens mortalia corda 1).

1) *Georg.* I, 8, 121-123.

Ergo proprietatis constantiam ac perennitatem duo in tuto constituunt: 1. insumptus labor, terraeque insidens; 2. hominis vita, necnon domestica et civilis consuetudo, quae sine integra et absoluta possessae rei perseverantia, vix consistere, ac certe perfici non possent.

VI. Quid si sola occupatio, nullusque labor intercesserit?

Hoc naturale ius rem occupandi quae ullius nondum susceperit proprietatem, atque indefinite possidendi, etiamsi nullus aliquando labor intercesserit, sentit vel homo in sylvis enutritus, qui aves, pisces, metalla, aliaque nullius adhuc potestati subiecta, statim ut sua sibi habet, ac pro libitu insumit vel distrahit. Sentit infans, qui suo iure fretus, advenientes excludit. Sentiunt ferae in comparata sibi suisque alimenta, atque a locis ubi aliae nidum posuerint, sponte recedentes. A formicae industria usque ad opus Phidiae vel Apellis, haec naturae lex obtinet, ut quae sibi quisque occupatione vel ingenio comparaverit, ut sua sibi habeat.

VII. Sic incipiebat possessio, naturae ductu et cuiusque facto, non humanis legibus invecta. Ipsa autem erat legum civilium, et supervenientium pactorum quibus vel transmittitur vel distrahitur, initium et fundamentum. Hinc commutationes primum, deinde venditiones, locationes, donationes ac successiones. Qui modi aliiqui omnes proprietatem afficientes, si legibus positivis temperantur, earum tamen existentia non a pacto civili, sed a purissimo iuris naturalis fonte defluxit: quod adeo naturae cohaeret, quemadmodum naturalis libertas, aequalitas, nostra-

rumque facultatum activitas. Nam, quum ius proprietatis, sit ius exclusivum, absolutum, a nulla temporis conditione dependens; quumque eo plene ac libere frui liceat ubicumque iustitia viget; sequitur quoque, dominium iure frui, rem utut velit alienandi. Ergo illam donandi, commutandi, vendendi: sine quo iure, nec commercia, nec societas, neque aemulatio, neque hominum industria consisterent; languerent omnia, labor deliceret ac virtus, et sensim homines ad glandes et sylvas redirent.

VIII. Locationem impugnant Communistae. Verum, si ius vendendi, aut quoquo modo alienandi; ergo et locandi: qui enim potest plus, potest minus; quique rei substantiam et usum pecunia tradere poterat, idem legitime solum rei usum tradet. Quod universis utile est. Nam, ad breve tempus, equo vel domo indiges: commodius ergo tibi illa conducere quam emere. Tu arva possides, sed militiam vel magistratum, scientias vel artes exerces; alter vero, iis impar et corpore pollens, agris caret, nec emere valet: ergo tibi et illi utilius illa locare et conducere. Fructuum vero pars altera tibi ratione proprietatis, altera alteri ratione laboris cedet: in qua divisione, iustitia atque publica utilitas consociantur.

IX. Communistis vix generosiores Socialistae, qui alienationes vel quascumque pactiones concederent inter vivos, si, morte possessoris intercedente, eius bona ad communem reipublicae proprietatem reverterentur. Qua ratione, de testamentis et de successionibus actum esset; unaque hominum generatione, vel saltem successiva stirpium extinctione, privatorum bona in communem reipublicae proprietatem conferrentur. Unde in viae exordio, non tamen in fine, Socialismus discrepat a Communismo.

X. Contra vero, si ius donandi alienis, ergo et suis; si inter vivos, et causa mortis: unde fluit testandi libertas et facultas. Nam qui testatur vivit, vivens autem rei suae legem dicit, nempe ut statim vel posthac, ut vitae vel mortis suae tempore, res sua alterius fiat. Quod breviter, sed accurate, XII tabularum lex complectebatur: *Prout quisque rei suae legassit* (legem dixerit) *ita ius esto*. Pupillorum deinde illa societas in qua, universis proprietatibus, in quadam summa et unica reipublicae proprietate absumptis, unus esset omnium non modo rex et imperator, sed universae rei administrator ac distributor. Hanc venditant libertatem Socialistae!

XI. Strictior adhuc ratio tuetur familiarem successionem; quae est proprietatis devolutio ad filios vel coniunctos, quibus paterfamilias vel donavit vivens, vel donasse censetur. Insuper successio haec, potissimum ac necessarium est iuris proprietatis eiusque immanentiae corollarium. Nam familia, una aestimatur persona cum patre: ipsa cum patre possedit, sevit, plantavit, ingenio vel labore auxit. Familiae unus amor, una voluntas, unum ius. Hoc natura docuit, societas firmavit.

XII. Natura docuit. Quum enim familiae constitutio sit ex praecepto et necessitate naturae, ex eodem quoque praecepto ea fluunt quae illam coniunctionem vel fovent vel constituunt. Haec autem duo sunt: communis amor; deinde communitas quaedam bonorum. Qui non sentiat quanta vis ac dulcedo filios ac nepotes liget paternis domibus vel agris, quoque studio et ardore ea colant, servent ac tueantur; iste neque homo videretur, neque esset (*a*). Ergo natura agente ac praecipiente, in uno morali corpore adunantur ii qui in familia sunt atque erunt: una origine, uno sanguine, uno iure, iisdem traditionibus et affectionibus devincti. Ecquid? Pater qui vitam dedit, suique vultus imaginem filiis communicavit, non suos labores ac bona communicet? Arbores plantat pro altera aetate, et pro alienis non pro suis plantasse existimabis? Quis animo adeo levis, ut non respiciat in posterum? Quis familiam instituens, non cogitat se in illa superstitem fore? Quis gaudens de animae immortalitate, non de illa gaudebit fere terrestri immortalitate quae in familiae cursu devolvitur? Quis demum adeo vecors, ut non sentiat se providentiae loco filiis datum esse, ut sua erga eos beneficia in futurum perducat? Ergo impia nimis haec propositio: « Iubet lex naturalis ut parentes filios nutriant, non vero ut haeredes instituant 1). » Auctor pro more suo, rem affirmat, nullomodo probat: quodque peius est, adeo a tramite aberrat, ut imperiorum successionem cum domesticae rei familiaris successione absurdissime confundens, sicut regna haereditaria, ita paternas haereditates, ex hominum libera institutione esse contendat.

1) Montesquieu, *Esprit des Lois* liv. XXXVI, *ch.* 6.

XIII. Quod natura docet, lex societatis confirmat. Nam nulla habetur gens quae testatas vel intestatas successiones non accipiat. Ipsaque tributa quae directam successionem vexant, ut inter parentes et filios, semper exosa habita sunt; et si recte inspicias, communismi vel socialismi sunt initia. Eo enim tendunt illa tributa, ut familiae imminuantur ac debilitentur. Atqui nulla egregia et fortis societas, cui fortia desint elementa: elementa vero quibus coagmentatur societas, sunt familiae. Si familiae roborantur, roboratur societas; si plura habent, plura in societatem conferent; si magna possident, magna adnitentur in commu-

(*a*) Quis loci, quo ortus sit, non perfruitur mira suavitate? Grandaevus iam Cicero et sapientia clarissimus, quam Arpini domo delectabatur, Romae pavimenta marmorea et laqueata tecta contemnens! « Nam, aiebat, illo loco libentissime soleo uti, sive quid mecum ipse cogito, sive aut scribo, aut lego... Hinc enim orti stirpe antiquissima; hic sacra; hic genus, hic maiorum multa vestigia.... Quare inest nescio quid, et latet in animo ac sensu meo, quo me plus hic locus, fortasse delectet: siquidem etiam ille sapientissimus vir, Ithacam ut videret, immortalitatem scribitur repudiasse » (*De Leg.*, II, 1.) Ille autem sapientissimus, ut narrat Homerus, vix domum regressus, quo gaudio vel stipitem cui torus insidebat, oculis et mente recolit? Haec divina pene gaudia, quibus et patris et matris et fratrum sororumque relegimus vestigia, uno verbo, paterna tecta nobis abstrahent communistae?

nem utilitatem; si sua diligunt, et societatem tuebuntur. Quo igitur ingeniosior parentum industria ac sollicitudo in curanda familia ac honeste augenda, eo maiori bonorum copia societas ditescet ac dilatabitur; eoque studiosiores filii, ut cum parentibus adlaborent, iisque obsequantur, sicque coniunctiones domesticae pulchriorem societatem efficient. Qua in re iura non violantur sed exercentur; quod enim licet uni familiae, licet universis: nempe opes augere, auctas vero filiis tradere. Imo id requirit naturalis libertas et aequalitas: unde mirum est, democraticos homines hanc sibi et suis acquirendi et tradendi libertatem, qua nihil habetur magis populare vel democraticum, directo vel per cuniculos impetere.

XIV. Nulla igitur naturalior lex, quam ut ii nobis succedant, quos *alios nosmetipsos* vulgari sermone appellamus. Sive autem eos unum tectum contineat sive non, quacumque sint aetate vel conditione, in iis natura eadem est. Ipsa eos sanguine, necessitudinibus ac iuribus coniunctissimos fecit: legislator vero naturam sequi et perficere, non evertere debet. Naturali autem iure et facto, ut planta radicibus terram complectitur, ita proprietas in familia defigitur; atque inde illa evolvitur et permanet hominum, traditionum ac iurium series, quae societas appellatur.

XV. Quid vero, si nec filii adsint nec parentes, haereditatem accepturi? Respondeo iure proprietatis, quod nunquam deficit, possessor quos velit haeredes scribet. Siquidem eodem iure nostra largimur in vita et in morte; et semper, ut dicitur, *vivens morientem apprehendit*; et legem libertatis humanae, qua homo se suaque possidet, nunquam evertet legislator. Testamentum, ait nobilis iureconsultus, triumphus est animae liberae et immortalis; cuius voluntas, quoties alieno iuri non officiat, adeo sacra permanet, quemadmodum sacra est hominis libertas et natura 1).

1) Troplong, *de la Propriété*, ch. IV.

XVI. Tandem, si in se ipsa inviolabilis est proprietas, si libera atque inviolabilis testatorum voluntas; inviolabilis quoque erit illa proprietas quae a civibus in communi possideretur, uti a pagis, a municipiis, ab Imperio, ab Ecclesia eiusque sodalitatibus. Ubique enim amplioris familiae imago, seu corpus morale, quod ex individuorum colligitur iuribus et voluntatibus. Quapropter haec moralia corpora, sive civilia sive ecclesiastica, non ex imperantium beneplacito, sed ex libera hominum natura constant: qui, libertatis iure, et se quadam vivendi ratione, et res suas ad honestum finem obstringere valent. Honestissimus autem finis, pietas et religio.

XVII. Conspectum proprietatis, eius originem, notionem et immanentia consectaria, summis lineis descripsimus, ut statim pateat quomodo in iure naturali proprietatis omnia coordinentur et fluant. Capacitatem, ius nempe ad possidendum, immediate hausimus a natura; illa, mediante facto particulari, ver-

titur in ius proprietatis. Ius proprietatem figit, eiusque perennitas gignit liberas permutationes, venditiones, locationes, successiones et testamenta. Familia, unam fere personam agens, uno proprietatis iure utitur, unde ipsa et per ipsam societas roboratur et perficitur: velut arbor, cuius rami ex una radice aluntur et efflorescunt. Demum, quum vires coniunctae augeantur, iure suo, qui velint, se suaque in medium conferunt, ea lege, ut quae erunt singulorum, communia fiant, et more familiae perducantur in successores. Haec omnia ita sibi constant, ut unum ex alio fluat, nec proprietas in una ex recensitis speciebus divelli possit, quin corruat in ceteris (*a*).

TITULUS III.

COMMUNISTARUM ARGUMENTA DILUUNTUR.

I. Proprietas armis et cavillationibus concutitur. II. Obiiciunt 1. possessio a natura, proprietas a lege. III. 2. Fructus ab homine, terra autem a Deo. IV. 3. Quam primi vacuam acceperunt, vacuam tradant successoribus. V. 4. Hoc Scripturae clamant. VI. Hoc Patres. VII. 6. Hoc ius romanum edocuit. VIII. Resp. ad primum. IX. Ad secundum. X. Ad tertium XI. Ad quartum. XII. Ad quintum. XIII. Ad sextum.

I. Laudavimus Communismum *voluntarium*, et praesertim religiosum, quo singularis proprietas in communem sociorum utilitatem confertur, ipsa proprietate apud Corpus seu sodalitatem permanente. Si communistae politici, religiosorum more, vellent bona sua facere communia, iure utentur suo: in eo autem quod universae societati vim inferre conantur, quomodo praedonum notam effugient? Ut sententiam evincant, armis et cavillationibus certant. Nos qui armis non delectamur, ratiunculas dissolvemus.

II. Aiunt 1: Possessio quidem est a natura, at proprietas qua possessio permanens fit et personae affigitur, nonnisi a lege positiva seu a communi omnium pacto esse potest: adeo ut possessor sit individuus, proprietarius autem sit omnium communitas vel Status.

III. 2. Revera, ea quae ab homine quodammodo creantur, hominis fiunt; terra autem a Deo creata est; ergo non terra, sed fructus qui exculti sint, hominis proprietati cedere poterunt.

(*a*) Nonnulla quoad ius proprietatis videri possunt apud Puffendorfium, *Ius nat. et gent.* cum notis Barbeyrac, l. IV, c. 4; apud Schwarz, *Instit. iuris publ. univ. nat. et gent.*, part. II, tit. 2. Inter recentiores consulantur: Comte, *Tr. de la propriété*, ch. IV, et seq.: Hennequin, *Tr. de Legislat. et de Jurisprud.*, t. I, tit. 2, p. 175 et seq.; Troplong, *De la propriété, etc.*

IV. 3. Nihil enim iniquius quam ut primae hominum generationes vacuam terram occupent, sibique eam habentes, successoribus praeripiant. Nonne aequales omnes, qui prius et qui posterius geniti sunt? Ergo primi terram occupent et possideant, sed non ut propriam: quaeque illis vacua data est, sequentibus vacuam relinquant.

V. 4. Hoc omnia iura clamant. David, rex et propheta, terram non singulis sed omnibus in commune datam affirmat: « Caelum caeli Domino, terram autem dedit filiis hominum 1). » Christus docuit nos *panem quotidianum* petere, significans ea nostra fieri quae usu quotidiano absumuntur, caetera vero communia habuerunt primi qui eius fidem amplexi sunt.

1) *Psal.* CXIII, 16.

VI. 5. Eamdem doctrinam tenuisse Ecclesiam, decemur a s. Ambrosio, qui officia describens, sic definivit: « Formam iustitiae putaverunt philosophi, ut quis communia, idest publica, pro publicis habeat; privata pro suis. Ne hoc quidem secundum naturam: *natura enim omnia omnibus in commune profudit.* Sic enim Deus generari iussit omnia, ut pastus omnibus communis esset, et *terra foret omnium quaedam communis possessio.* NATURA IGITUR IUS COMMUNE GENERAVIT, USURPATIO IUS FECIT PRIVATUM 2). » Vehementiora habent Cyprianus, Chrysostomus, Basilius aliique plurimi quos Ecclesia doctores ac patres veneratur.

2) *De Offic.* I, 26.

VII. 6. Ergo vere illud sanxit Ulpianus: « Nihil commune habet proprietas cum possessione 3). »

3) L. 12, § 1, ff. *de acq. possess.*

VIII. Respondemus ad 1. — Semper et utique possessio cum firma et libera rerum proprietate fuit consociata. Antiqui recentesque mores explorati sunt: nunquam vero fabulosus ille status apparuit, ubi dominium, exclusa proprietate, ad nudam possessionem redactum fuerit. Facta autem universalia, universalem seu naturalem causam habent. Quis enim, nisi natura, sylvestrem hominem, rudem vel infantem, eos uno verbo qui solam naturam habent, constantissime docere potuit, sua retinere vel distrahere, aequum et honestum esse? Quis, inquam, nisi natura, conscientia haec universalis, leges omnes et hominum statuta antecedens? Ergo possessio et proprietas non duae res, sed duae eiusdem rei formae habendae sunt: proprietas est *ius*, possessio est *factum*. Proprietas enim non in abstractionibus versatur, sed exteriori actu completur. Actus exteriores possessionem constituunt: hi autem proprietatis iure fulciuntur. Utraque igitur, proprietas nimirum et possessio, a natura profecta sunt. Vel saltem, quomodo proprietas quae leges antecessit, ex legibus orta sit, edisserent nobis Communistae. Origines autem mundi ab initio recolentes, nunquam pactum conspicimus, ubique vero factum proprietatis a natura profectum. Sed demus pactum. Nonne pacta servanda sunt, eaque praesertim quibus universa iam societas innititur?

IX. Ad 2. — Negamus ea sola in dominium venire quae a nobis exculta et veluti creata sint. Sylvestres iterum homines

inspiciamus, qui docente Rousseau, pluris valent quam nos. Numquid illi creaverunt aut saltem excoluerunt aves, pisces, pascua et fructus, quae ultro tellus et arbores ferunt? Attamen illis ea cedunt iure naturali et universali, nemine reclamante. Cur vero? Quia quae nullius sunt, occupatione, inventione aut labore nostra fiunt. Pulchre autem agrestis illa simplicitas proprietatem acquireret, quae hominum ingenio ac solertiae neganda esset! Pulchre et perbelle, si propterea quod nec lana, nec tela, nec marmor creata sunt, nec lanae opificium, nec picturae, nec statuae proprietas in artificis dominium veniret! Quodsi marmor, cur non et tellus, occupata primum, dein tot impendiis ac laboribus exculta? Nam, nec raro evenit ut opus agricolae, naturae opus aemuletur: uti solitudines ingredi, terram scindere, sylvas evertere, belluas expellere vel domare, stagna exsiccare, loca et aërem expurgare, arbores conserere, domos aedificare; uno verbo, Creatoris opus perficere. Sed quis tot labores perpessus fuisset, nisi occupationem comitaretur proprietas? Eo vel maxime, quod non unius sed plurium quandoque aetatum labores requirantur. Proprietatem expelle: ubique nunc florens ac fructifera tellus, brevi ad sylvestrem statum reverteretur. Atqui non ad silvas conditus est homo. Ergo naturae vox, finis et publica omnium utilitas, proprietatem confirmant: omnemque dubitationem removit genus humanum, honoribus fere divinis eorum memoriam prosecutus qui primi, labore ac dominio singulorum, terram subigere docuissent.

X. Ad 3.—Si valeret Communistarum lex, praecipiens ut quaelibet generatio terram quam dominio vacuam occupavit, vacuam relinquat; successuri terram ne excultam ac frugiferam, an fere incultam reciperent? Quis enim ignotis successoribus adlaborabit? Contra vero, fructiferam et divitem accipiunt, proprietate constituta. Quae autem praeterit generatio, nonne advenienti omnia sua relinquit? Varia equidem partitione, quae ineluctabilis est praesentis vitae conditio; sed nonne patrum labores atque industriae filiis accedunt? Noone, aucta terrae ubertate, omnes de illa participant? Grato igitur animo eos prosequamur qui nobis paraverunt divitias et commoda; illaque nos augeamus, posteris tradenda simul et augenda. Sic una aetas alteri aetati adlaborat; quod una invenit, alia expolit et perficit. Proprietas acuit ingenium, divitias parat, sed non immobiles facit, nec earum fontem exhaurit. Sicuti Homerus nihil Virgilii ingenio et virtuti praeripuit, imo plurima contulit; ita exactae generationes, succedentibus nihil auferunt, sed magna contulerunt et conferunt. Hinc evolvitur genus humanum, ditatur, perficitur. Ex adverso, absurda et puerilia loquuntur Communistae. Absurda: quia nunquam ita una generatio deficit, ut sequenti terram vacuam relinquat; generationes interseruntur, non simul et semel occumbunt. Puerilia: nam, extincta proprietate, societatem ad perpetuam puerilitam ac paupertatem adducerent.

XI. Ad 4. — Terram dedit Deus *filiis hominum*, ut illam in sudore excolerent: ergo exultam sibi haberent. Vetans explicite ne quid ex re aliena contrectaretur, imo neque concupisceretur: « Non furtum facies. . . Non concupisces domum proximi tui, nec omnia quae illius sunt 1). » Christus autem, dominica oratione, nimiam habendi sollicitudinem, non proprietatem excludit. Quam proprietatem primi fideles integram retinuerunt, dum *sola charitas* quaedam effecerat communia: nam quisque quod vellet offerebat. Petrus enim Ananiam non de iniustitia, sed de mendacio arguebat: « Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, et fraudari de pretio agri? Nonne manens *tibi manebat*, et venundatum *in tua erat potestate*? 2) »

1) *Exod.*, XX, 15, 17.

2) *Act.* V, 3, 4. — Cf. Laurent. Moshemii Comm. *de vera natura communionis bonorum in Ecclesia Hierosolimitana.*

XII. Ad 5. — Ecclesiae Patrum attendenda est mens, atque integra sententia. Labentibus tertio, quarto praesertim et quinto Ecclesiae saeculis, undique concusso vel diruto Romano Imperio, diffidentia et cupiditas, ut in politicis commotionibus contingit, divitum corda in pauperes praecludebant. Tunc Patres et Ecclesiae Doctores in crudeles divitias insurrexerant: et prae ceteris, Cyprianus, Basilius, Chrysostomus, Ambrosius. Condita esse universa ad communem omnium vitam, memorabant; iustitiam a beneficentia, quum *de vita* ageretur, non seiungebant. Quod ex obiecto Ambrosii loco demonstratur. Etenim prosequitur: « Dum augere opes, aggregare pecunias, occupare terras possessionibus, praestare divitiis cupimus; *iustitiae formam* exuimus, *beneficentiam communem* amisimus. Quomodo enim potest iustus esse, qui studet eripere alteri quod sibi quaerat? 3). » Igitur 1. s. Doctor non de stricta iustitia loquitur, sed de illa bonitatis forma quae iustitiam simul et beneficentiam complectitur. 2. Verissimum creationis finem indicat dum ait: « Natura omnia omnibus in commune profudit; natura ius commune generavit. 3. Non proprietatem arguit, sed divitum ingluviem, dum concludit: « Usurpatio ius fecit privatum. » Illa nempe usurpatio quae, ut declaraverat, pecunias pecuniis, possessiones possessionibus sine fine congerens, iustitiae et misericordiae formam exuerat; non vero illa proprietas quae suis providens, superflua miseris elargitur (*a*),

3) *De Off.* I, 28.

Ceterum, mirum est Communistas in Scripturis et Patribus effugium inquirere, a quibus tam luculenter et nervose refelluntur.

(*a*) Quod superest, date eleemosynam » (Luc. XI, 41), non modo consilium evangelicum est, sed praeceptum. Tamen veriam habet latitudinem ex adiunctis dimetiendam, pro *communi*, vel *gravi*, vel *extrema proximorum* necessitate. Mifam autem vel simplicitatem vel ignorantiam profitetur Ahrens, primos Christi fideles atque Ecclesiae Patres pro communistis venditans. (*Corso di diritto nat.*, Appendice, *filosofia della storia della proprietà.*) Adeo suam laudant philosophiam rationalistae, ut communem sensum amittant.

XIII. Ad 6. — Tandem, quo sensu Ulpianus possessionem distinxit a proprietate, et nos illam distinguimus. Evenit enim aliquando ut possidens, facto non iure possideat; et tunc vere affirmatur: « Nihil commune habet proprietas cum possessione. » Sed quum in hac facti specie, nihil conferat possessio nisi ex praesumpta proprietate, usquedum verus dominus inveniatur; ex adducta lege ius proprietatis confirmatur 1). Ius autem Romanum originem et vim proprietatis apprime intellexit, cum res domino expertes, *nullius* potius quam communes appellavit. « Quod ante nullius est, id *naturali ratione* occupanti conceditur 2). » Hoc et superiori titulo, ius proprietatis sub naturali et civili respectu conspeximus: nunc de eius connexione cum iure politico.

1) Vid. Troplong, *de la Prescription*, t. I, n. 219 etc.

2) Instit. *de rerum div.*, § 12.

TITULUS IV.

DE NATURAE AEQUALITATE ET FRATERNITATE CIRCA IUS PROPRIETATIS.

I. Ideis *aequalitatis* et *fraternitatis* obtuuntur Socialistae et Communistae. II. Aequalitas iuris, sive proportionis, servanda in iurium inaequalitate. III. Conditionum aequalitas repugnat ingeniorum et meritorum libertati et inaequalitati. IV. Nulla potior tyrannis materiali aequalitate. V. Inter inaequalia, aequalitas sine proportione, est iniquitas. VI. Extrema inaequalitatis et aequalitatis, regna implent seditionibus. VII. Persona et societas delentur, nimia inducta aequalitate. VIII. Communistarum fraternitas. IX. Civilis et christiana, in uno corpore, cum membrorum varietate. X. Ipsis varietatibus conseruntur omnia et coagmentantur. XI. In societate, in rerum natura, diversa officia et ministeria. XII. A natura quoque diversitas iurium et opum, sicut familiarum, civitatum et populorum. XIII. Si unum ius, ubi distinctio nationum et gentium? XIV, XV. Communistarum doctrina a Luthero orta, et factis expressa. XVI. Anabaptistarum principium et consequentiae. XVII. Nisi Deus adsit, peiora adhuc pertimescenda.

I. Figmenta Socialismi et Communismi nunquam orta essent, vel repente concidissent, nisi potentiori atque ampliori idea sustentarentur. Haec idea est *civilis vel politicae cuiusque eminentiae aequatio sive demolitio*. Duplicem habet partem: *proprietatis* et *imperiorum* eversionem. Finis est, societatem *tabulae rasae* coaequare: quam aequalitatem tuentur iure fraternitatis. Hinc apparet sensus illius formulae: *aequalitas, fraternitas*. Quid verum, quid falsum in hac re, videamus.

II. Circa hominum aequalitatem hoc unum verum est: *Iura aequaliter servanda, etsi qualitate vel quantitate inaequalia*. Nam quum eadem natura habeatur in singulis atque in universis, si *abstracte* illa conspiciatur, abstracte quoque eadem vigebit iurium mensura et aequalitas. At vero, quum in *practica* hominum societate, naturaliter discriminentur illa eadem iura, tum

qualitate, tum quantitate, nisi proportione inducta, nullo modo servarentur ad aequalitatem. Sic, *qualitate* iura patrum a iuribus filiorum; *quantitate* vero, diligentissimorum in re quaque iura, a iuribus diligentium vel etiam indiligentium differre, quis inficias iverit? Igitur, qua ratione in familia, ita in civili vel politica societate iura acquisita et concreta non sunt omnibus aequalia. Licet enim, quoad naturae substantialia, omnes nascantur aequales, nullibi tamen absoluta viget aequalitas. Variant vires et ingenita; et posita eadem capacitate naturali pro libera voluntate adhuc variat virtus et solertia. Unde necessario praemia et stipendia discriminantur. Est tamen aequalitas in varietate, iubens ut omnibus iura sua reddantur ad aequalitatem, re cum iure commensurata. Hinc inaequales cum sint proprietates vel possessae vel in haereditatem relictae, successoribus aequale est ius haereditatem capiendi, suaque omnibus possidendi ac tuendi. Imo ipsa aequalitas moralis, qua merita et iura rebus debent coaequari, necessario materialem inducit inaequalitatem. Haec rationabilia et vera.

III. Cetera de conditionum et proprietatis aequalitate, inania sunt et impossibilia. Etenim decernenda esset ante omnia aequalitas virium et animorum, aequalitas solertiae ac virtutis, aequalitas laborum et meritorum, ut aequalitas responderet praemiorum et stipendiorum. Libertas nimirum et persona ipsa forent delendae. Pulchra autem societas, in qua homines, veluti equi aut boves, eodem premerentur iugo, ut uno eodemque gradu incederent! Pulchra gubernandi ars, quae homines quasi oves ad eadem paseua idemque presepe compelleret! Sed homines sumus. Varias facultates a natura intulimus, ac insuper a natura ius et libertatem hausimus, illas voluntate atque ingenio expoliendi, acuendi, perficiendi: unde praeclarissimus ingeniorum stimulus, aemulatio. En igitur iurium genesim et seriem: 1. aequale ius in communi agone contendendi ad potiora; 2. viribus atque ingeniis aequalis libertas se exerendi; 3. aequale ius praemiis et fructibus virium et ingeniorum, quaecumque sint, utendi ac fruendi.

IV. Ergo cum inaequalitate virium, voluntatum ac laborum, nunquam subsistet materialis aequalitas proprietatum, conditionum atque honorum. Nam, cauente Lucretio,

Omnes,
Foedere naturae certo, *discrimina* servant 1). 1) Lib. 5, v. 922.

Discrimina haec naturalia ad aequalitatem compescere, ut nemo ingenio assurgat, nemo opibus vel honorificentiis extollatur, quid est aliud quam in abiectione et in teterrima omnium tyrannide aequalitatem constituere?

V. Quare Plato, in libro de *Legibus* sapientior quam in *Republica*, optime animadvertit: « Inter inaequalia aequalitatem inducere *sine iusta proportione*, iniquitas fieret. Extrema ae-

qualitatis et inaequalitatis, regna seditionibus implent 1). » Aurea, in utraque parte, haec Platonis sententia. Nam in prima, infert ex rerum essentia, eos quos natura viribus et ingeniis inaequales constituit, ferrea mensura velle ad omnimodam aequalitatem compellere, summam esse inaequalitatem atque iniquitatem. Sic, licet omnia triangula uni et aequali legi subiiciantur, ut eorum areae aequent productum basis in dimidiam altitudinem, vel viceversa; sequitur ne omnia aequalibus areis constare? Minime sane: sed ipsa lex naturalis, arearum inducit inaequalitatem, pro basis et laterum varietate. A pari in hominibus, quorum acquisitiones, dixerim, aequant productum capacitatis in diligentiam. Si demas hanc proportionem, naturam infringes. Ergo iniquitas est, ut Plato affirmat, inter inaequalia inducere aequalitatem *sine iusta proportione*.

1) *De Leg.* VI.

VI. In altera autem parte, quod idem monet Plato, regna seditionibus implevisse aequalitatis et inaequalitatis extrema, factum est omnium saeculorum. Nam, vigente captivitate, qui antiquus erat inaequalitatis excessus, insurrectiones captivorum in dominos erant pertimescendae. Et sane illud obtinuerat truculentum Catonis verbum *tot captivi, tot hostes*. Postremis vero temporibus, oppositum aequalitatis excessum iactantes commentitiae libertatis artifices, illud effecerunt ut una societatis pars in alteram, minus scilicet habentes, in divites impellerentur.

VII. Ergo dum, vera aequalitate, singulorum facultates libere evolvuntur, adeo ut praemia meritis exaequentur, in qua praemiorum inaequalitate civilis viget aequalitas; ex adverso, falsa et agresti alia aequalitate, personalis valor et libertas delentur, societas exscinditur et conteritur.

VIII. Nec feliciori exitu ad *fraternitatis* officia appellant Communistae. Inquiunt: Si omnes fratres nascimur, cur non omnes honoribus, opibus, gradibus et ministeriis civilibus aequaliter potimur? Cur in eadem domo, quae mundus est, alii dignitatibus fulgent, alii despiciuntur; alii abundant, alii esuriunt? Reddant igitur aliquando potentiores saeculi, quae infirmis ac miseris fratribus sublata sunt. Haec illi.

IX. Reponimus. Suavissima vox, fraternitas! Illi igitur nequiores qui eam tamquam flammam in societatem iaculantur. Una omnes iungimur fraternitate, sed magnae familiae membra constituti sumus, in qua consociamur multiplici facultatum et officiorum varietate. Imo, unum corpus sumus, si malint Communistae, in quo omnia membra una coagmentantur unitate, licet officiis dissimilia. Quod optimus exposuit philosophorum: « Nam, ait, et corpus non est unum membrum, sed multa. Si dixerit pes: Quoniam non sum manus, non sum de corpore: num ideo non est de corpore? Et si dixerit auris: Quoniam non sum oculus, non sum de corpore: num ideo non est de corpore? 1) » A pari, in magna hominum familia, omnes fratres, eiusdemque corporis membra

2) S. Paulus, I. *Corinth.*, XII, 14 16.

constituimur, in ipsa munerum et conditionum varietate. Quae varietas requiritur ad totius corporis utilitatem. Prosequitur enim: « Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque in corpore sicut voluit. Quodsi essent omnia unum membrum, ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus 1). » Nec ne a pari expostulari posset: Quid de mundo, quid de sociali compage et textura, si omnes divites, si omnes philosophi, vel magistri, vel reges? Vel si omnes mercatores, ubi agricolae? Et si omnes agricolae, ubi artium liberalium magistri?

1) S. Paulus. *Corinth.*, XII, 17, 20.

Hinc patet, ad constituendam societatem, unde oritur varietas, variam requiri membrorum proportionem, ut omnium una series atque structura. Nam sicut pueris, adolescentibus et senibus conseruntur generationes, ut alii aliis succedant; ita variis et miris vocationibus distinxit et consociavit nos Deus. Et omnes naturam sequimur, manendo in vocatione in qua vocati sumus. Sic qui ingenio pollet subtiliori, naturam sequitur dum intellectualia, scientias et artes sectatur; qui autem valido corpore, sed crassiore sit ingenio, ad materialia societatis officia naturaliter inclinatur. Nimirum, quomodo pater, in eadem familia, diversa diversis impertitur officia; ita pater caelestis in amplissimo populorum gentiumque convictu.

XI. Haec Creatoris lex, ordinis et societatis fundamentum, omnibus servanda est, ne ipsa societas commoveatur et pereat. Quod Paulus iubebat, philosophus et apostolus: « Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis: cum omni humilitate et mansuetudine; cum patientia, supportantes invicem in charitate; solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis... Unus Deus et pater omnium 2). » Ad ecclesiasticam autem societatem, veluti civilis societatis exemplar, se convertens, addit: « Et ipse (Deus) dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores 3). » Quorum distinctione ministeriorum, sicuti non violatur naturalis fraternitas et aequalitas; sic neque civilibus officiis et gradibus. Et quemadmodum non dedignatur infirmus medico subiici, et cliens iureconsulto, et discipulus magistro; ita inferiores iis digne obsequuntur qui experientia, vel consilio, vel auctoritate maiores sunt. Sed ex adverso, quam miserum esset infirmo, vel clienti, vel discipulo, partes usurpare medici, iureconsulti aut magistri; ita cuilibet e suae capacitatis et vocationis officiis egredienti.

2) *Ad Ephes.*, IV, 1-6.

3) Ibid., 11.

XII. Quos variis propensionibus, aptitudinibus, vocationibus natura discreverat, variis quoque opibus ditavit a nativitate, ea lege universim constituta ut filii parentibus succedant. Quod si iniquum putes, cur non simul naturam increpas, quod alias aliis gentibus dederit terrae plagas, foecundas vel steriles, temperatas, torridas vel glaciales? Nempe in universali fraternitate, proximio-

res quasdam atque strictiores unitates constituit Deus, familias, civitates, gentes, quae se peculiari amore complecterentur, et iuribus peculiaribus afficerentur. Cunctas autem nationes, indole, ingenio, animo ac vultu ita diversas effecerat, ipsisque terrae fructibus diversimode comparatas, ut quid unum et diversum se esse intelligerent, in maxima hominum unitate. Ius quoque contulerat sua possidendi, et quod inde immediate sequitur, alios a familia, ab urbe, a natione repellendi.

XIII. Iura igitur familiae, ut se suaque tueatur, cum nationum iuribus coniunguntur, iisque declarantur. Quod ut manibus usurpent Communistae, magni nationalitatum patroni, cedimus exemplis. Finge itaque, fraternitatis iure, Moscovitas aspero ac rigenti solo valedicentes, Gallos vel Italos compellere, ut gentem suam in urbium ac bonorum societatem accipiant. Nam et Moscovitae, imo et quot silvas incolunt, homines sunt, et Gallorum vel Italorum fratres et aequales. Iamvero, quonam alio nisi proprietatis iure, ii a domibus, a finibus repellerentur? Quodsi nobis ingererent, quod divitibus Communistae: *Reddite quod subripuistis;* nonne insaniam miserabimur?

XIV. Tamen, usque huc Luthero licuit insanire, illud efficiens a Platone dictum: « Extrema aequalitatis regna seditionibus implent. » Quod Lutheri factum, quoniam civilium tempestatum initia posuit, quae ad nos pervenerunt, non est silentio praetereundum. Ille itaque redemptis a Christo, absolutae praeviam aequalitatis, triplicem asserebat libertatem; a *papa*, sive a regimine ecclesiastico; a *principe*, sive a regimine politico, et a *proprietate*. Iureconsultos a quibus arguebatur, iniuriis cumulabat, triviorum lingua ipsi familiarissima: *Omnis iurista*, aiebat, *est aut nequista aut ignorista*. Extemplo accensi animi, ad illa se conieceraut horrenda bella ac scelera, quae latissime Germaniam, Galliam alicubi, Helvetiam, Poloniam, fraterno sanguine foedaverunt. Notissimum est *rusticanorum* bellum seu *proletariorum* in *proprietarios*, quod Lutherus excitaverat, et feri Anabaptistae prosecuti sunt, furentissimas plebes ductantibus Stork, Munzero, moraviis fratribus Huttero et Gabriele, omniumque fraudum magistris Mathia et Ioanne a Leyda. Equidem Lutherus primum in ecclesiasticam hierarchiam et clericorum proprietates excanduerat, faventibus principibus qui Ecclesiae auctoritatem adversabantur, eiusque bona ad se trahere nitebantur. Sed brevi, pro dogmate religioso, politico et civili, constituta omnium absolutissima aequalitate et fraternitate, politica quoque hierarchia, et civilis atque domestica libertas, theoretice et practice concussae sunt (*a*).

(*a*) Haec tria, proprietas, principatus civilis et ecclesiasticus, a Luthero simul impetita sunt, iterumque a Communistis impetuntur. Ille reges appellabat: *plebeculum*, *stupidos*, *tyrannos*, *praedones*, *carcerum custodes*, *carnifices*, *rabidos canes*, *quorum sanguine lavandae sunt manus*, *incipiendo a Papa* (*Oper.* LUTH., t. II, p. 288; t. X, p. 426 etc.). Horum plu-

XV. Ecclesia et imperio eversis, ipse naturae pudor evanuit. Primum divortia quae principes expetebant, et clericorum matrimonia propter naturae aequalitatem; polygamia deinde et quaelibet foedissima; demum uxorum communitas. Nam, suam habere uxorem, et hanc dicebant proprietatis speciem, perfectissimo et sanctissimo, ut ipsi decreverant, aequalitatis et fraternitatis principio adversam et expellendam. Sic omnia cohaerent in proprietate, ut, ipsa ablata, nulla familiae vel societatis iura permaneant.

XVI. Interea, quatuordecim annorum spatio, ab ipsis Lutheranismi exordiis, scilicet ab anno 1521 usque ad 1535, secta haec Anabaptistarum, a Luthero eiusque asseclis genita vel restaurata, omnia errorum monstra protulerat. Hoc autem primum: *Christum redemptione sua mundo perfectam fraternitatem et aequalitatem intulisse, ut unusquisque sibi esset rex et sacerdos, nullusque iam haberetur pauper vel dives, dominus vel servus.* Hinc alia inferebantur. 1. Omnium emancipatio a quavis ecclesiastica et civili potestate: quae duo ipsi appellabant, ut nunc quoque appellantur, *tyrannidis capita.* 2. Absoluta *libertas, aequalitas, fraternitas:* quae nunc pariter omnia insurgentium vexilla exornant. 3. Abolitio proprietatis, et bonorum communio: quae nunc in iuribus populorum vel *proletariorum* (nihil habentium) comprehenduntur. 4. Carnis restauratio et familiae destructio: quae nunc clara voce nondum extolluntur, sed inter systematis consequentia vel corollaria reservantur. 5. Proscriptio artium et litterarum, ut omnes fratrum manus eodem pariter labore occallescerent. Hoc saltem reiicitur a pluribus, qui ephemeridum articulis se mundum renovaturos augurantur. Admittebant tamen et facto exequebantur primi Lutheri discipuli, a quibus ecclesiarum ornamenta, ac deinde bibliothecae et artium miracula incendebantur. Et recte: nam et fratrum intelligentiae erant aequandae, quod quum scientiis efflorescentibus non contingeret, saltem aequali omnium ignorantia obtinebatur. Imo nec diu abfuisset sepulchrorum aequalitas: uno enim bello quod in Suabia, Thuringia, Franconia, Alsatia ac Lorena actum est, plusquam centum millia hominum occubuerant. Haec fraternitatis nomine agebantur!

rima, mostri memoria, renovabantur. « Redemptis a Christo, affirmabat, iam neque principem superesse, neque regem vel gladium: pro omnibus enim sufficere Spiritum Sanctum. « Qui ita populo assentabatur, eius opera, ardente in principes rusticanorum bello, versis vicibus, ita principum gratiam aucupabat: « Paradisum meretur princeps, sanguinem iste effundens. Assurgendum pedibus: rustici rebelles ac praedones, gladio vel utcumque confodiendi, iugulandi. Vindictae hora insonuit! Qui pugnando in rusticos moritur, beatus et martyr: qui in reges, est diaboli membrum et inferni mancipium. Perge, fili: rape, occide, incende, nomine Dei, bona conscientia ac fide. Nemini parcito: nec viduis, nec pupillis. » (Cf. Tamm, *Introd. del Protest. in Italia*, p. 48, 51). Haec suaviasima Reformationis aequalitas et fraternitas, cuius surculi nostra aetate excreverant.

XVII. Cum gentes europeae civiliorem periodum ingrederentur, Dei providentia monstra haec passa est; eademque proximis temporibus patiebatur. Forsan ut societatis fundamenta, quae in naturae et religionis cultu sita sunt, evidentius pateant. Sed nostra hac aetate, peiora contigissent. Nam tunc temporis, aliqua animis supererat religionis pars, notio Dei, animarum immortalitas, Evangelii divinitas, aliaque a Luthero, Carlostadio, ceterisque reformatoribus retenta. Nunc vero fere omnia exulaverunt. Quae est Alfridi Sudre, protestantis, animadversio: « Antiquis erroribus, inquit, novissimi reformatores negationem Divinitatis et futurae vitae superaddentes, religione extincta, hominem ad foediorem materialismum impellere festinant. Si enim religio veteres non retinuit a fine, ad quem eos socialium principiorum eversio impellebat, quid a praesentibus non est pertimescendum? Antiqua fratrum saturnalia nostri praetergrederentur 1). »

1) *Hist. du Communisme*, par M.A.Sudre. Paris, 1849.

TITULUS V.

DE OFFICIIS IUSTITIAE ET BENEFICENTIAE QUOAD PROPRIETATEM

I. Iura naturae universalia sunt vel personalia. II. Quemadmodum natura non excludit personalitatem, ita neque iura universalia excludunt particularia. III. Duo officiorum capita: *iustitia* et *beneficentia*. IV. Iustitia servat aequalitatem *rei ad rem*. V. Beneficentia est abundans iustitia, et legis complementum. VI. Res est fori interni, nec legibus subiicienda. VII. Initia Socialismi in charitate legali. VIII. Hanc genuit Protestantismus. IX. Taxa legalis, divitibus et pauperibus noxia. X. Quae publicam vel privatam beneficentiam spectent. XI. Eius inventrix atque altrix, catholica religio. XII. Exemplar Christus; XIII. cuius perenne sacrificium fide et moribus tenent Catholici. XIV. Legalis et divinae charitatis comparatio. XV. Ultima salus publica, religio.

I. Nostra et aliena exposuimus, de iure naturali aequalitatis et fraternitatis erga proprietatem. Illi belluinum instinctum, nos ius morale in homine contemplati sumus. Illi ferream diligunt aequalitatem, sine ulla libertate vel varietate: nos liberam volumus, cum personarum, familiarum et gentium varietate. Sed neque fraternitas, quae nobilissima est omnium coniunctio, singulorum aufert libertatem vel personalitatem. Unde, alia sunt iura universalia, quae pro omnibus eadem sunt, et naturam comitantur: alia vero personalia, quae a se invicem discriminantur. Deinde, alia quidem legibus communienda; alia naturae bonitati et fratrum charitati relinquenda.

II. Iura universalia ea sunt, quae in omnia membra ex eadem corporis unitate proficiscuntur, par iustitia, vindicta vel defensio aequalis, praestitae a legibus civitatis. Omnia enim membra, suo quodlibet modo, confluunt ad communem utilitatem.

Etenim: « Non potest oculus dicere manui: Opera tua non indigeo; aut iterum caput pedibus: Non estis mihi necessarii. Sed multo magis quae videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt: et quae putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circumdamus... Ut non sit schisma in corpore, sed idipsum pro invicem sollicita sint membra 1). » Pedes terram proterunt, iis tamen caput, oculi, manus fulciuntur. Ita in corpore politico, quo omnia membra communibus quibusdam iuribus utuntur. Sed quum corpus morale sit civitas, membris constans, non personae identitate, sed fraterna charitate devinctis; neque fratribus omnia sint communia in eadem familia, propter individuam singulorum personalitatem; sic neque omnia sunt communia in civitate. Iura discreta et particularia iustitia constituit, quae civium respicit proprietates; universalia autem charitas, quae si corde, benevolentia, si opere exercetur, beneficentia appellatur.

1) S. Paulus, I *Corinth.* XII, 21 25.

III. Duo igitur officiorum genera corporis socialis compagem servant: *iustitia* ac *beneficentia;* illa res, haec fratrum personas respiciens; illa ius a iure secernens, haec personas in familiae unitate restaurans et recolligens.

IV. Iustitia proprietatem constituit in iis quae unusquisque inventione, occupatione, labore, ingenio, suarumque facultatum exercitio, sibi copulavit. Quae adeo cuiusque propria sunt, ut propria est persona, proprius labor et ingenium ex quo illa profecta sunt. Hac lege, *ius suum cuique ad aequalitatem* tribuendum est, nulla habita ratione personae, sed *rei ad rem;* et, si laesum fuerit, sarciendum. Ubi autem finem accipit iustitia, illinc incipit charitas et beneficentia, universorum familiam in naturae et amoris unitate complectens.

V. Est beneficentia illa *abundans iustitia*, quae, sine ullo descripto iure, fratrum necessitatibus subvenit, quaeque hominem perfecte honestum constituit, de qua ait Christus: « Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam scribarum et pharisaeorum, non intrabitis in regnum coelorum 2). » Haec amicos et inimicos amplectitur: « Benefacite his qui oderunt vos 3). » Haec illa est *plenitudo legis*, de qua s. Paulus ad Romanos; quam ita Christus descripserat: « Omnia quaecumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis: haec est enim lex et prophetae 4). » Ergo beneficentia, inter officia naturae prima et fundamentalia est recensenda. Unde providentiae ordo commendatur: nam cum Deus alia beneficia per seipsum hominibus conferret, alia in sociali ordine hominibus per homines conferenda praecepit; exempli gratia, egenorum curam divitibus relinquens, suae veluti largitatis executoribus et ministris. Antiquum providentiae genus, quod David expresserat: « Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor 5). » Et Iob, nulla iustitiae et beneficentiae habita distinctione: « Iustitia indutus sum: et vestivi me; sicut vestimento et

2) Matth. V, 20.

3) Ibid., 44.

4) Matth., XII, 2.

5) Ps., X

diademate, iudicio meo. Oculus fui caeco, et pes claudo. Pater
1) Iob. XXIX, 14, 16. eram pauperum 1). » Hinc quos iustitia, iurium disparitate secernit, charitas uno amoris vinculo coniungit.

VI. Maximum tamen iustitiae et beneficentiae discrimen elucet in eo, quod iustitiae fines publicis tabulis ac iudiciis definiri possint: sequitur enim ius strictum et mensuram rei ad rem. Beneficentia autem cum rationem habeat ad personas earumque necessitates, et tot tamque varia officia complectatur, neque definitum ius constituit, neque eam lege publica describere ac dimetiri possibile est. Iustitia certa est, ut certum ius, in quo ipsa pedem figit: beneficentia vero virtus est generalis, animique sensus et forma praeclarissima, adeoque ab interno foro, non externo, sanctionem ac mensuram recipiens. Imo, in una benevolentia nobilissimae omnes affectiones comprehenduntur, quae usque ad sacrificium pertingunt, sed iura civilia proprie dicta non constituunt. Corda emolliunt, homines hominibus inclinant, legibus viam parant, regna efficiunt humaniora; sed legum vim et mensuram semper effugient. Non enim iubetur liberalitas, nec charitas, nec sacrificium. Si beneficentia libera non est, nec virtus est. « Beneficium, ait Seneca, nulli legi subiectum est; pars optima beneficii periit, si actio, sicut certae pecuniae, aut ex
2) *De beneficiis*, VI. conducto aut ex locato ducatur 1). »

VII. Hinc maxime errant quicumque, iustitiam cum beneficentia confundentes, huius officia, quae officia conscientiae sunt, imperii legibus committunt. Quod eminenter et systematice agunt Socialistae, inconsulte vero ii rerum publicarum administri, qui, imposita *pauperum taxa*, vel *taxa legali*, ut aiunt, charitatem tributis aequiparantes, Socialistis viam paraverant. Si enim licet imperanti proprietates imminuere, ut nihil vel minus habentibus consulatur, en Socialistas qui, abrepto principio, tantum subtrahent divitibus, quantum inducendae proprietatum aequalitati sufficiet.

VIII. Hanc quoque plagam, *charitatem legalem*, societati politicae intulit Protestantismus, post direptas catholicorum ecclesiasticas proprietates quibus pauperes alebantur, et fere extincta ab ipso charitate evangelica, quae frustra a legibus, efficaciter vero a religione iubetur atque alitur. Imminutae a Protestantismo charitatis argumenta habes 1. in ipsa pauperum taxa: non enim iubetur quod ultro perficitur. 2. In misera Hiberniae conditione, cuius incolae plurimi fame tabescunt vel occumbunt, dum Britannia mater, Bibliis corrumpendis atque ingerendis volentibus et nolentibus, thesauros effundit. 3. In pauperismo, quo ista prae universis gentibus miserrime obruitur. 4. In natura Protestantismi, qui cum sit individualismus theoretice, practice si perficiatur fit egoismus. Haec recensentes, optimorum gloriam et laudem non imminuimus, sed doctrinae vim expendimus. Interea hanc plagam Catholicos infecturam non mirabimur si ca-

tholici religionem ore potius quam corde proferentes, quodam semiprotestantismo delectarentur, qui alicubi iam legibus et moribus impendet.

IX. Ex effectibus igitur constat, legalem beneficentiam nec pauperibus nec divitibus quidquam boni attulisse: sed neque afferet, renitente natura. Sic enim naturae Auctor constituit, ut divites misericordiam liberaliter exercentes, meritorum segetem amplissimam nanciscrentur; deinde ut divitum et pauperum corda, amoris vicissitudine ac suavitate copularentur. Siquidem, dum divites sua ipsi opera in pauperum inopiam inquirunt, saepius ea tanguntur, et dulcissima beneficentiae gaudia experti, in eam alacrius incumbunt, eamque verbis, ore, omnique humanitatis significatione, suaviorem efficiunt atque efficaciorem. Quae omnia personalis ac liberae beneficentiae emolumenta, legali et coacta charitate amittuntur. Divites nunquam pauperum aerumnas oculis vel manibus usurpantes, vix sciunt miseros esse, vixque fratres arbitrantur; et taxa persoluta, omnia se misericordiae officia persolvisse existimantes, scrinia et viscera claudent. Pauperes vero, ius non largitatem in taxa legibus praescripta censentes, nunquam sistent; de labore remittent, quantum illis per taxam adscribitur; sani devorant, quae infirmis necessaria forent; demum in divites, quorum nunquam vel raro beneficas manus experiuntur, et in legem quae ad omnia eorum desideria non pertingit, exasperantur. Hinc proletariorum et operariorum coniurationes, quos ingeniose excitant, iisque cupide utuntur, frequentes iam ardeliones et societatis eversores. Hinc socialistarum et communistarum systemata, quae in taxa legali radicantur, eamque pro opportunitatibus augendo, propositum sibi finem contingerent; nisi communis sensus libertatis et individuae proprietatis, foedissimum utrorumque imperium repellerent.

X. Sic igitur definiendum: Principes iustitiam administrent, beneficentiam foveant, sed eam privatis non eripiant, quibus collata est a natura. Nam a civibus adhibita benevolentia animos conciliat, ait Cicero, et quod aptissimum est ad quiete vivendum, charitatem; tum, beneficium et gratia, vincula sunt concordiae 1). Animos alliciant ad laborem, commercia et industrias iuvent, agrorum praesertim culturam, qua mentes et corpora roborantur, dum in frequentibus magnarum urbium otiis vel officiis nimium contabescunt. Nova semper donaria, *panem et circenses*, ignavae plebi romani imperatores elargiebantur: ipsa, ut a novis nova consequeretur, veteres obtruncabat. Melius rei publicae consultum fuisset, reluctantem plebem ad virtutem, laborem, et ubique iacentem agrorum culturam instituendo. Si Romanorum *panis*, quo miseri imperatores plausum et mortem mercabantur, taxam pauperum assimilaveris, non longe a veritate abibis: ille enim et ista, pauperismum et publicas adauxerunt aerumnas. De-

1) Cic., *de Finibus*, II.

lectus quoque habendus: quum « liberalitas esse debeat in calamitosos, nisi forte erunt digni calamitate; benefacta enim, ut ait Ennius, male locata, malefacta sunt 1). » Sed ante omnia cavendum est publicis moderatoribus, ut boni mores serantur in civitatibus: vitia enim a tergo sequitur egestas.

1) Cic. *De Offic.* II.

XI. Unum reliquimus, quod maximum est: catholica religio. Cum ea, omnia beneficentiae genera orta sunt ab initio. Christianae charitatis historiam scripserunt multi: novum fere ius gentium, ius pupillorum, viduarum, vel quomodocumque languentium, qui a paganorum societate exhaereditati et despecti, ab Ecclesia colligebantur veluti Christi membra, fovebantur, instituebantur (*a*). Hinc novum accusationis genus: « Vide ut invicem se diligant, et pro alterutro mori sint parati! 2). » Revera, pro unaquaque necessitate, publicas domos instituerat charitas ecclesiastica: pro lactentibus adhuc pueris *brephotrofia;* orbatis uno vel utroque parente aderant *orphanotrophia; nosocomia* infirmis; viatoribus vel extraneis *xenodochia; gerontocomia* senibus; et universis malehabentibus, *ptochotrophia*. Theatra et circos habebant veteres ethnici, sed nihil huiusmodi. Iulia, Messalina, Faustina, turpitudinum sibi haereditatem transmiserant: matronae christianae, clarissimo Scipionum et Fabiorum sanguine genitae, Paula, Fabiola, Melania, tum ipsae imperatrices, Helena, Flaccilla, Pulcheria, pias domos aedificare et infirmis vel pauperibus inservire, gloriosum habebant. Ipse Iulianus imperator, Christianis infensissimus, ad Arsacium pontificem scribens, imitandam proponebat Christianorum charitatem, « qui (conquerebatur) et suos nutriunt pauperes, et nostros a nobis derelictos. » Praeerant hisce institutionibus clerici, Episcopi et prae omnibus Romani Pontifices, inter quos Anastasius I appellatur a s. Hieronymo « vir ditissimae paupertatis et apostolicae sollicitudinis: » quatenus personarum, et bonorum quae indigentium personis impendebantur, curam agere, *sollicitudinis apostolicae* munus erat.

2) Tert., *Apolog.* 39.

XII. Religio sacros divitibus fecerat pauperes et miseros,

(*a*) Conferantur: Thommasinus, *de veteri et nova Ecclesiae disciplina*, tom. III, lib. IV, c. 43 etc. — Ryan, *Bienfaits de la religion chrét.*, ch. 3, n. 29 etc. — Bergier, *Dict. Theol.*, art. *Hôpitaux* — Naudet, *Des changements opérés dans l'administration de l'empire*, tom. I, pag. 118.

Alia vera, alia ad historicam veritatem nequaquam exacta habet Degerando in opere: *De la bienfaisance publique*. Fatetur ille (tom. IV, 3 partie) hospitalia ecclesiasticam referre institutionem, errat vero existimans antiquos publicae utilitati per *hospitalitatem*, *valetudinaria* et *servitutem* consuluisse. Nam 1. hospitalitas fere evanuerat apud cultiores gentes, Graecos et Romanos. 2. Valetudinaria, de quibus Seneca et Columella, raras opulentissimorum domos sequebantur, iisque tantum inserviebant. 3. Servi autem si sani et benevalentes fere pro brutis habebantur, quid aegri et infirmi? Ceterum, concludit auctor: Beneficentiae instituta apud veteres, imperfecte admodum respondebant societatis necessitatibus, qualis tunc aderat » (Tom. III, p. 277). Vide *Pouvoir du Pape au moyen age*, pag. 129. Paris, 1845. Necnon: *Histoire de la Charité, pendant les quatre premiers siècles de l'ère chrétienne*. Paris, 1848.

Christi exemplo qui factus fuerat pauper et miser, unam cum ipsis personam efficiens: « Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis (*a*). » In quem deinde respexerant qui se de eius schola profiterentur: « In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam *(vitam)* pro nobis posuit: et nos debemus pro fratribus animas ponere 1). »

XIII. Quid ad haec humanitatis officia et exemplа, Communistarum furor alienis opibus et vitae minantium? Sed ubinam actuosissimae huius charitatis vestigia apud Protestantes? Certe, cum fidei sacrificio, apud ipsos defecerunt charitatis sacrificia. Haec autem apud catholicos florent in iis fortissimis utriusque sexus fidelibus, qui in humili paupertate, pro infirmis, vel erudiendis pueris, vel barbaris ad fidem adducendis, quotidie vitam impendunt; quique iure illa sibi usurpent Apostoli: « In multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis; in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei; per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, ut seductores et veraces; QUASI MORIENTES, ET ECCE VIVIMUS 2). » Haec scilicet charitatis miracula, ex illa gignuntur quotidiana divini Sacrificii renovatione, quam Catholici fide et moribus tenent.

1) *Ep.* I Ioan., III, 16.

2) II *Corinth.*, VI, 4-9.

XIV. Si mira haec religiosae charitatis munera, cum effectibus comparentur vel legalis charitatis, vel in quos lex civilis, aut politica adnititur oeconomia; quam impallescunt opera hominum ad opera Dei!

XV. Quid tandem si una religio plebis mores delinire valeat, animos autem ea virtute communire, ut paupertatem, dolores atque aerumnas, quae plurimos semper vexabunt, mentem in Deum erigendo, leviora facere ac tolerabiliora? Igitur legislatores et Communistae iustitiam et societatem non evertant, ut pauperibus consulant; proprietatem et commercia non exturbent, miserabiliores extituri; non in summo demum latrocinio, sed in civili disciplina, in laboris frequentia in morum observantia, et maxime in catholicae religionis cultu, quae ultima salus, remedia ac levamina rei publicae conquirant.

(*a*) Legatur Matthaei caput XXV a versiculo 31 ad finem, quo nihil dicetur suavius, efficacius, magnificentius ad excitandam charitatem.

TITULUS VI.

PROPRIETATIS NOTIO HISTORICA APUD ORIENTALES ET GRAECOS.

I. Non aequa iurium civilium et politicorum partitione, regna infirmabantur. II. Proprietas cum personalitate fere evanuerat apud Orientales. III. Graecis, minima libertas civilis. IV. Iuris publici summa, ex Platone et Aristotele. V. Civilis despotismus male politica libertate compensabatur. VI. Platonis politicus pantheismus. VII. Idem sapientior in *Legibus*. VII. Vita proprietate et affectibus alitur. IX. Seditionum fomes, quaestio de proprietate. X. Errat Mablyus scriptor levissimus. XI. Restauratae Graecorum utopiae.

I. Historica quam ingredimur inquisitio, potissima evincet imperiorum mala in eo extitisse: 1. quod vel nulla essent gentis iura, si ius imperantium excipias; vel 2. quod populi nimis ardenter iura *politica* concupiscerent, dum imperantes iura *civilia* et maximum *proprietatis* ius ad se pertrahere nitebantur.

II. Apud Orientales, ubi individuus in familia absorbebatur, familia in imperio, imperium in principe, adeo ut individualis personalitas evanesceret, proprietas quoque evanuerat, uno principe omnia possidente, caeteri autem ex principis, quasi Numinis cuiusdam, libera et revocabili voluntate (*a*).

III. Graeci, omni libertate servis adempta, ipsi corrupta utebantur: nam libertas politica civibus plus aequo maxima aderat: civilis vero, minima. Veterem illam rempublicam, uti nova quaedam regimina, furor omnia legibus regendi ac coërcendi invaserat. Homo, aiebant illi, patriae nascitur; filii prius ad patriam quam ad parentes pertinent. Hinc matribus et filiis alimenta praescribere; infantium fletus legibus coërcere, Aristotele referente, quasi lacrymae heroës futuros dedecerent; domesticam educationem et iura familiaria ad rempublicam pertrahere; omnia in civibus inquirere, numerare gressus, personam delere. Unde mancipiorum duo genera: *servi* qui in civium, *cives* qui in reipublicae servitute morabantur. Haec illa libertas et republicana beatitudo, quam nostri tantopere inhiant.

IV. Quo autem personalis libertas, eo et proprietas coarctabatur. Iuris publici summam expresserat Plato in libro V de Legibus: « Terram et domus sibi cives partiantur, sed quaecum-

(*a*) Iure publico Orientalium, res et personae in principis erant potestate. Eius civilitatis exemplar, statua aurea Nabuchodonosor regis, omnibus adoranda. Contra, iuris et libertatis exemplar, in Anania, Misaële et Azaria: « Ecce Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, et de manibus tuis, o rex, liberare. Quodsi noluerit, notum sit tibi, rex, quia Deos tuos non colimus, et statuam auream, quam erexisti, non adoramus. Tunc Nabuchodonosor repletus est furore » (DAN., III, 17-19). Haec duo historice consociantur: 1. cum proprietate, semper imminutam fuisse personae libertatem; 2. iura quaelibet, realia vel personalia, nunquam a vera religione fuisse divulsa.

que illis pars contigerit, *minus ad se quam ad rempublicam* spectare meminerint. » Et libro XI: « Aio legis nomine, vos et vestra ad familiam, familiam autem *minus ad se quam ad rempublicam* pertinere. » Aristoteles vero qui Leges et Rempublicam Platonis evertere est aggressus, rerum tamen proprietatem non minus reipublicae quam civibus interdum adscribi patiebatur. Quod turpe legum genus, ex obfuscata naturae aequitate, et humanae servitutis exemplo ducebatur. Siquidem graecus civis, qui ceteros sibi captivos detinebat, non dedignabatur se reipublicae captivum detineri.

V. Igitur primus proprietatis fons, Respublica. Non quidem theocratice Athenis ut apud Orientales, sed alio idearum ac verborum ordine, res eadem manet. Effrenata nimirum legumlatorum cupiditas privatam civium libertatem ac proprietatem coërcendi, nec non personarum ac rerum imperium in rempublicam conferendi; populorum denique et familiarum secreta, ac minutissima, ad legem temperandi. Civilis hic despotismus, politicis iuribus male utique compensabatur (*a*).

VI. Platoni, saepe idearum potiusquam terrae mundum incolenti, adeo arriserat communio bonorum, ut sequentium Communistarum parens evaserit. Quum enim in absoluta omnino aequalitate, felicitatis ac perfectionis summam contulisset, quumque illa, positis personae iuribus, nunquam obtinendam conspiceret, in reipublicae imperium personam ipsam absumsit. Proprietate igitur rerum omnium, mulierum quoque ac filiorum deleta, illa delectabatur summa unitate, ex qua proficiscerentur omnia, in quam omnia reverterentur, quaeque vel Status, vel Respublica, vel Imperium appellatur. Nos politicum pantheismum, monstrum hoc appellamus. Quod tamen maximus vir, singulorum activitati et libertati praetulit, ostendens fallibilem nimis illam sententiam: nationes summa potiri felicitate, cum a philosophis regibus, vel a regibus philosophis gubernarentur.

VII. Attamen ipse Plato haec docens in *Republica*, in *Legibus* statuerat: « Iustitia aequalitatem iubet; sed duplex aequalitas: una *materialis*, quae pondere, mensura et numero constat, quamque inexpertus atque adventitius quilibet legislator pro iure diligere vel aestimare valeat; alia *moralis* et vera, quae saepe inaequalitatem postulat, scilicet inter res inaequales, inter virtutem et vitium, sapientiam et ignorantiam, capacitatem et cupiditatem 1). » Quomodo itaque ingeniosa illa mens, adeo libertatis intelligendae capax, homines uti papavera interdum aequabat? Qua nempe aequalitate, homines ultra illam Orientalium

1) Plato, *de Leg.*, V.

(*a*) Orientalium et Graecorum despotismus ex opposito iure gignebatur. Ille, ius divinum absolutissimum transferebat in imperantem: hic, populare imperium rerumque summam, conferebat in Rempublicam. Effectus idem: illic Dei nomine, hic nomine populi, populus in servitutem redigebatur.

barbariem regrederentur, in qua si cetera Imperio absorbebantur, familia tamen supererat; neque illa feliciores aliquando cives, ut Platoni videbatur, sed miserrimi ac pauperrimi evaderent. Nam si quilibet civis, quod Plato gloriabatur, filios et divitias omnium civium, universamque rempublicam aspiciens, sibi affirmandum putabat: *haec omnia mea sunt*; tamen litteraliter et verius illi dicendum foret: *nulla ex his mea sunt*. Siquidem, nulla bonorum pars, nec pater aut mater, neque uxor aut filii aut fratres in sua essent potestate; non levis gutta in tanto oceano ad illum pertingeret; sed omnia ad rempublicam pertinerent (*a*).

VIII. Monstruosum adeo figmentum nec referendum esset, nisi, post bis mille annos, mentes infirmae renovandum susciperent. Paucis illud funditus evellebat Aristoteles, inquiens: « Homini duo sunt vitae, seu sollicitudinis excitamenta: *proprietas* et *affectus*. Nulla autem haec in Platonis Republica 1). » Graecia quoque universaeque gentes somnium Platonis a moribus reiecerunt: si namque somniant philosophi, ne somniet vel desipiat sensus universalis, cautum est a natura. Illius tamen systematis principia, Graecorum mentes, leges, administrationem et politicam oeconomiam inficiendo, fere omnia mala pepererant quibus respublica angi ac divexari caepit. Quod Aristoteli animadversum fuit, qui discordias ac seditiones gentis suae, ad quaestionem de proprietate referebat.

1) Arist., *Politic.*, I.

XI. Revera, cum late pervasisset opinio, bonorum partitionem pendere a Republica, Graeci divitiarum inaequalitatem veluti gubernatorum crimen habebant: inde vero tumultus ac seditiones, ut ad concupitam aequalitatem pervenirent. Hinc se torquere legislatores inter ius proprietatis quod natura clamat, et iniquam bonorum aequalitatem. Est apud Aristotelem: « Legumlatoribus rerum omnium summa illa esse videtur, divitiarum partitio et distributio: seditionum fons, ut ipsi arbitrantur. Phileas Calcedoniensis primus omnium posuit, bonorum aequalitatem inter cives praeteriri non posse 2). » Tum oblique proprietatem impetere aggressi sunt. Unde legum et constitutionum illa turba profluxit, quae luxum contemnendum facerent, laudabilem paupertatem, frugalitatem, simplicitatem, ac fere necessariam commentitiam quam excogitaverant aequalitatem. Sed hominum conatus natura irrisit; permansit bonorum inaequalitas, et Periclis

2) *Politic.*, I.

(*a*) Reipublicae Platonis censuram exhibet Cicero paucis verbis: « Nam princeps ille, quo nemo in scribendo praestantior fuit, aream sibi sumsit in qua civitatem extrueret *arbitratu suo*; praeclaram ille quidem fortasse, sed *a vita hominum abhorrentem et a moribus* » (Cic, *de Rep.*, II, 11). Cum nempe alium a creato hominem sibi mente confixisset Plato, imaginariam quoque edidit rempublicam: quae si actu compleretur, absurdissima foret atque sceleratissima. Quo nunc vitio feer omnes tenentur civilium rerum reformatores: non quales sunt a natura, sed commentitios sibi homines pro libitu effingentes, imaginariam quoque ipsi, irrito conatu, mente praeferunt societatem.

saeculo, artibus omnium florentissimo, ipsa effloruit; potissimum vero inter Lacedaemonios, Lycurgi severitate contempta.

X. Quare, non ad rem Mablyus Licurgum celebrat, quasi omnium praestantissimam constituisset civitatem ac beatissimam proprietatem a civibus transferendo in Rempublicam 1). Scriptor levissimus, leges pro moribus habuit, et more poetarum, non factis felicitatem est dimensus. Certe ipse non adverte- de reali Lacedaemoniorum constitutione et moribus scri- Aristoteles: proprietatum maxima inaequalitas; venalitas natorum corruptio; decrescens civitas, mulierum imperia 2). Haec gaudia et effectus legum, quae natu- Graecorum, quas attulimus, calamitates, nostris revixerunt. Nova enim imperia, ipsaeque monarchiae publicanis laciniis consarcinatae, Graecorum more, 1. vel civilem libertatem, familiam et proprietatem. 2. Dum vacillantur aequalitate, factionibus susdeque iactantur. 3. Quum novi reformatores, factis impossibilia, plebi et suis polliciti fuerint, a novis semper reformatoribus deiicientur, nova et ipsis pollicentibus, donec exhausta dolorum serie, disiecta societatis fundamenta iterum reficiantur. Frustra enim confisi nonnulli politici, se veteres, ut aiebant, Europae monarchias renovaturos, si iis quamdam graecae libertatis auram aspergerent; graecam ipsi communistarum tyrannidem, visceribus attraxerunt: unde nova regimina eadem lue tabescunt, omnibus exosa (*a*). Scilicet, non convalescet europea societas, usquedum, expulsis graecis utopiis, iterum se inter vera iustitiae et proprietatis iura receperit: hoc est, iura a iuribus secernantur, ita ut imperiis sua vis *politica*, populis autem libertas *civilis* apte restituatur.

1) Mably, *de la législation, ou princ. des lois*, liv. I, ch. 2.

2) Arist. *Politic.*, passim.

3) Vid. Troplong, *de la Propriété*, ch. XII-XVI.

(*a*) Sortem hanc, Gallia prae ceteris passa est, nostra et patrum aetate. Ab anno 1789, Graecorum more, nimium illic Status vel reipublicae ius in res et personas civium; sed nimia quoque iura civium politica, in republica. Hinc neque integra libertas civilis, neque integra imperantium potestas ac vis. Hinc imperium iura civium pertrahere ex una parte, cives autem imperii iura aggredi ex altera. Certamina civilia: rara quies publica. Iam Socialismus aderat: nova ubique graecarum seditionum exempla. Nempe, dum ius publicum ad evangelicam componendum foret aequitatem et gravitatem, novi rerum publicarum reformatores adeo profecerunt, ut gentes ad Graecorum garrulitatem, levitatem vel fabellas usque pertraherent.

TITULUS VII.

NOTIO HISTORICA PROPRIETATIS APUD ROMANOS.

I. Proprietas ubique variis nominibus afflicta. II. Aristocraticum Romanorum ius in proprietatem. III. Illud, in bellica apprehensione, et penes rempublicam moratur. IV. Duo pactorum elementa, et duplex dominium. V. Verba *sacramentalia* iniqua et arrogantia. IV. Arrogantissima proprietas *quiritalis*. VII. Hinc iurium pugna, et praetoris aequitas. VIII. Novus iurisprudentiae labor et color. IX. Aequioris scholae dux, Cicero. X. Proprietatis ius, a Republica avertitur. XI. Caesari *potestas*, singulis *proprietas* asseritur. XII. Communistarum praecursor, *eminens* dominium. XIII. Proprietas non systematice impetita apud Romanos: quam exosa lex in domesticas hereditates. XIV. Quid leges agrariae. XV. Imperantis officium in tuenda proprietate; in quam seditionum arma dudum convertebantur.

I. Quocumque pervaserat servitus (universas autem paganas gentes pervaserat), nulla ibi nec libertatis, nec proprietatis sincera notio habebatur. Apud Orientales imperantis dominatio in proprietatem, *theocratica*: princeps enim velut in Divinitatis solio consederat, omnia sibi possidens, res et personas. Graecorum dominatio erat *philosophica, politica, democratica*: non melior tamen, quum, etsi populi nomine, saevissima a philosophis et legumlatoribus in reipublicae praepositos conferretur auctoritas. Demum Romanorum respublica, ex regibus orta, quidquid esset de nomine, *aristocraticum* vim atque ingenium nunquam dimiserat.

II. Nam apud Romanos, victor exercitus collective, ducibus potius quam sibi, terram occupaverat. Deinde vero, Romulo agente, civibus pars aliqua contigerat, quam non suo sed Curiae nomine et communione haberent. Tandem, Numa *viritim* singulis divisit 1). Non populus itaque sed ipse Numa divisit, agros limitibus definivit, hereditarios fecit, singulorumque proprietates sub eminenti Imperii dominio constituit. Hinc ille mos, quo Imperii actione et concessione, singulae dominii translationes confirmabantur, novisque dominis civilis rei possessio conferebatur. Sed Romanorum posterior iurisprudentia, licet in iis quae proprietatis translationem spectant, molesta atque intricatissima; longe tamen in proprietatis iure asserendo, liberior quam graeca. Familiam enim et patriam potestatem dum plus aequo veneratur, minus cupide domestica ad se iura pertrahere conabatur. Ius igitur singulorum processerat, vinculis quae illi Graecia contexuerat, apud Romanos se in dies exsolvens. Longo tamen labore romana iurisprudentia ad naturalem convertebatur: quae conversio breviter nobis est perstringenda, eo vel maxime quod nostri adhuc iureconsulti, romanis legibus plus aequo indulgentes, Imperii vel Status iuribus exaggerandis nimium incubuerint.

1) Cic., *de Rep.*, III, 14.

III. Ius ergo proprietatis cum, scilicet Romanorum ditione, non ex iure vel facto singulorum, sed ex communi bellica apprehensione duceretur, penes rempublicam erat. Sed brevi, naturae sensu invalescente, re et facto proprietas ad singulos accesserat: licet pactorum solemnitates et sacramentalia legum verba, dominiorum translationes molestissime afficerent, nimiamque partem, in sanciendis pactis, reipublicae adscriberent. Sensim vero etiam ille taediosus ac puerilis formulismus naturali aequitate subigebatur.

IV. Duo haec elementa, in antiquo illo iure, secernenda sunt: *sacramentalia verba*, quorum si unum deesset in contrahendo, proprietatis translatio non perficiebatur; et *naturalis aequitas*. Duae pariter dominiorum species: dominium perfectum *ex iure Quiritium;* et imperfectum, quod ex populi romani vel reipublicae concessione putabatur.

V. Sacramentalibus verbis, quasi veste civili, pacta induebantur, ut rei translatio fieret, nulla fere conscientiae vel aequitatis ratione habita. *Ut lingua nuncupassit sic ius esto*, ferebat duodecim *Tabularum* lex (heroicis populis communis appellatio, forsan a Mosaicis tabulis imitata). Lex quae ita statuerat, reclamante natura, nimis arroganter sibi dominiorum translationem adscripserat. Dolus inde et iniquitas, legum praepotentia ac vi sanciebantur: quod C. Canii syracusani, et Pythii equitis romani facto declaratur 1).

1) Cic., *Off.* III.

VI. Ius Quiritium, seu *quiritalis proprietas*, plenissimum erat ius quo solus civis romanus potiebatur. Meminerat enim a bellica acquisitione ius proprietatis ductum esse ab initio. Inde solum provinciarum ad populum romanum, eminentem dominum, civili fictione spectare censebatur. « In solo provinciali, ait Caius, *dominium* populi romani est vel Caesaris; nos autem *possessionem* tantum et *usumfructum* habere videmur 2). « Perpetua quidem et irrevocabilis erat illa possessio, quae venditione, permutatione, donatione et successione transmittebatur. Dominii quoque speciem constituebat, quae suis actionibus et exceptionibus fruebatur: sed mancipationem et usucapionem non admittebat, neque illud erat plenissimum ius, quod romani cives sua quasi omnipotentia conceperant, sibique contulerant.

2 Caius, lib. II. §. 7.

VII. Ex oppositis hisce elementis pugna illa exarserat inter verba legis et naturalem aequitatem, deinde inter ius Quiritium et ius naturale. Sed tunc praetoris auctoritas inventa est, quae naturalem aequitatem contra materialia legum verba; deinde vero ius naturalis proprietatis contra quiritale ius tueretur. Quo factum est ut civilis proprietas ad naturalem accederet, ac paulatim res et personae legum ambagibus et remoris solverentur. Hinc pacta quibus proprietas defertur, levioribus vinculis alligata; successiones ad familiae et sanguinis cognationem redactae; testamenta, quae olim ex reipublicae auctoritate et con-

cessione fiebant, ut lex privata habita sunt, quam quisque rei suae diceret, individualis videlicet libertatis et imperii actus.

VIII. Maximus tunc iurisprudentiae labor efferbuit. Naturali siquidem aequitate prae legum verbis invalescente, praepotens Reipublicae ius ex familia et proprietate in dies recedebat, illaque romanae iurisprudentiae classica vel philosophica aetas exoriebatur, quae Ciceronem pene attigerat, et cuius maxima gloriae pars eidem Ciceroni est referenda.

IX. Hic, Deorum providentia genitus, ut Quintiliano visum, orator, philosophus, clarissimus iureconsultus et politicus, supra hominum instituta mente advolans, legum originem non ex praetoris, vel senatus, vel principis voluntate, sed ex aeterna Dei mente ac ratione eduxerat (*a*). Quo naturali officiorum et iurium fonte clarissime patefacto, pleniori gurgite naturalis aequitas ambages legum romanarum superavit. Ciceronis scholam egregii quique iureconsulti secuti sunt, indeque nobilior et propior ad naturam iurisprudentiae color, a Labeone potissimum, imperante Caesare Augusto, usque ad Caium et Ulpianum: quo tempore lux evangelica naturalem sapientiam altiore lumine collustrare incaeperat.

X. Illa igitur aetate, natura ius proprietatis inniti, potiusquam reipublicae imperio aut concessione, naturalis philosophia evicerat. Celebris enim evaserat illa Ciceronis similitudo, qua ipse terram theatro comparaverat, quod cum vacuum esset, unusquisque suae sedis dominium ingreditur. « Theatrum, inquiebat, cum commune sit, recte tamen dici potest eius esse eum locum quem quisque occuparit 1). » Occupatio itaque, deinde pacta, en modi quibus vacua tellus in dominium transit singulorum. Quicumque autem ius hoc dominii vel proprietatis violari ausus fuerit, *violabit ius humanae naturae* 2).

1) *De Finib.*, III, 20.

2) Cic. *de Off.* I, 7, 21 - *de Finib.* III, 10.

XI. Equidem Reipublicae et Imperii ius in proprietatem, nondum universim et absolutissimis verbis, sed re plenissime a-

(*a*) Non ingenii tantum pulchritudine et sublimitate, sed recto agendorum sensu, quod maximum est in viro politico, Romanorum primum Ciceronem libenter appellavero. Esto, quod coarguit Seneca: « Consulatus Ciceronis non sine causa, sed tantum sine fine ab ipso laudatus » (SENEC., *de brevit. vitae* 5). Quis tamen, ut ille, in libris potissimum *de Officiis*, *de Finibus*, *de Legibus*, *de Republica*, rationis aequitatem, iura, leges, officia, civilem ipsam imperiorum sapientiam, adeo feliciter a natura arripuit, expressit, edocuit? Gentilium philosophorum maximus, a natura genitus, ut humana ratio suas omnes in eo vires experiretur. Neque clarior mentis quam animi virtus. « Roma patrem patriae Ciceronem libere dixit. » (IUVENAL., VIII, 244). Capito apud Senecam: « Romulus horum moenium conditor, et sacratus caelo parens, non tantam urbem fecit, quantam Cicero servavit » (SENEC., *Controv. III*, 17); « Salve itaque, primus omnium, parens patriae appellate! » (PLIN., VII, 30). Quam nemps legem a caelo in civitatem ac gentes detulerat, in patriae perduelles egregie vindicaverat. Ut sibi ipsi iure gratularetur: « Mihi populus romanus universus, illa in con ione, non unius diei gratulationem, sed aeternitatem immortalitatemque donavit » (*In Pis.*, *III.*).

bigebatur: clariora enim verba et absolutiora, legibus impediebantur. Satis ergo visum fuit, proprietatis radicem in naturali iure patefacere, adeo ut inania verba Reipublicae relinquerentur. Quod praestitit Seneca: « Iure civili, inquit, omnia regis sunt: et tamen illa, quorum ad regem pertinet universa possessio, in singulos *dominos descripta sunt, et unaquaeque res habet possessorem* suum 1). « Cumque adiecisset: « Caesar omnia habet; » prosequitur tamen: « ad reges enim *potestas* omnium pertinet, ad singulos *proprietas* 2). » Ubi vides philosophum tribuere singulis *possessionem*, *dominium*, *proprietatem*; aulicum vero assentatorem, *omnia* Caesari ac regibus referre. Quae repugnarent, nisi intelligas, proprietate singulis adscripta, nihil Caesari remansurum, praeter illud quod dicebant *eminens dominium*, nequaquam cum proprietate confundendum.

1) Senec., *de Benef.*, VII, 4.

2) Ibid., 4, 6.

XII. Hanc rerum et verborum pugnam minime assecuti sunt, quovis saeculo, iurisconsultorum quamplurimi, facilem sternentes viam Communistis, dum Caesari seu reipublicae, *eminentis dominii* praetextu, rerum omnium proprietatem adscribere conarentur. Ii tyrannica legum verba; nos sententiam, et erumpentem ubique naturae aequitatem amplectimur, quam et ipsi Romani re et facto amplexi sunt.

XIII. Nam licet eminens rerum dominium sibi respublica expostularet, ius tamen proprietatis nunquam systematice in dubium vocatum est. Tributorum quidem noxium systema obtinuit, quo proprietas conflictabatur, et labente Imperio, fere subvertebatur: sed ille malae administrationis error, non in proprietatem coniuratio. Augustus, *ad ferenda onera imperii*, vicesimam partem in successionibus et legatis fisco adscripserat. Quae lex, tributi specie condecorata, eas tamen senatorum contradictiones passa est, ut ius proprietatis alte invaluisse probaretur. Semper autem Romanis invisa fuit, veluti ius proprietatis imminuens, licet dissitos tantum parentes et extraneos attingeret. Quod vero ad familiares et proximos pertinet, sacrilegium visum esset, tam sacra nomina admixtione fisci et publicanorum contaminare, remque familiarem a legitimis heredibus ac dominis distrahere (*a*). « Nec laturi essent homines distringi aliquid et abradi bonis, quae sanguine, gentilitate, sacrorum denique societate meruissent, quaeque *nunquam ut aliena*

(*a*) Rectus hic naturae sensus, quo antiqui sacrilegium existimabant directas successiones tributis seu fisci nomine commaculare, nunc a pluribus gentibus emigravit. Illinc scilicet, quo seditionum vorax spiritus pedem intulit. Nam, praeterquamquod posteriorum temporum seditiones a Communismo non longe absunt, illa ad litteram resecantes: *res publica*, *res omnium*; publico aere absumpto, ut novo semper populorum aere ipsae vitam agant, necesse est. Seditionibus vero extinctis, ut legitima regimina abyssus impleant, tributis etiam adauctis, nonne ipsa rei postulat necessitas? Utinam populi intelligerent quam caro pretio seditionos emantur, et quam parum referant!

et speranda, sed ut sua, semperque possessa, ac deinceps proximo cuique transmittenda cepissent 1). » Quae Plinii sententia, quum valide ius proprietatis apud Romanos processisset, perstricte evincit. Iustinianus vicesimam hereditatis resecuit.

1) Plinius, in Panegirico, 40.

XIV. Neque ulla ex legibus agrariis difficultas. Duplex enim erat ager: *publicus*, ad rempublicam vel ad romanum municipium spectans, uti apud nos bona municipalia vel demanialia; alter vero *privatus*, ad singulos pertinens.

Ager publicus, populo romano excluso, opulentum iam patritiorum praeda evaserat. Plebs igitur romana agri illius divisionem postulans, in privatas possessiones nihil peccabat. Huc Licinii Stolonis et Gracchorum lex, a Communistis male in sui patrocinium adhibita, referebatur. Nec absurde undequaque. Nam, si patritiorum luxu, et inconditae plebis otio ac paupertate, romanum concidebat imperium; non certe iniqua fuisset illa lex, quae plebem ignavia confectam, parvula adscripta proprietate, a seditionibus ad terrae cultum et laborem converteret. Haec pars legis externa, civilis et pulchra: sed forsan latuisse anguem in herba, non frustra coniicimus ex Sallustio. Qui illa et paulo superiora tempora, post deletam nempe Carthaginem, ita descripserat: « Ex quo tempore maiorum mores, non paulatim ut antea, sed torrentis modo praecipitati: adeo iuventus luxu et avaritia corrupta, ut merito dicatur, genitos esse *qui neque ipsi habere possent res familiares, neque alios pati* 2). » Quum igitur ipsi nihil habere possent, qui nimirum luxu effunderent quaecumque aliis raperent, nec alios habere paterentur; fortasse ab agro publico quaedam latentis communismi initia ducebantur. Contraria itaque Ciceronis praevaluit sententia: adeo communismi quaecumque semina praecavebantur. Non ergo in legibus agrariis, licet fortasse in auctorum mente, communismus delituit. Sed neque in bello *servili* vel *sociali*: quo aliqua laborum remissio postulabatur. Hoc tamen malum, quod vi et armis in dominos vel in rempublicam uterentur, unde rapinae et seditiones, nunquam populorum aequitas vel felicitas extiterunt.

2) Apud S. Aug. de Civ. II, 18.

XV. Ceterum, quaecumque esset legum iactantia, *eminens dominium* reipublicae adscribentium, ius proprietatis firmis adeo radicibus adoleverat apud Romanos, ut scriberet Cicero, in eo servando ac tuendo adlaborandum esse ei qui rempublicam gereret: « In primis autem, inquit, videndum est ei qui rempublicam administrabit, ut suum quisque teneat, neque in bonis privatorum publice deminutio fiat 3). » Doctrina vero de bonorum aequalitate, nullam esse dixit perniciosiorem: « Qua peste, quae potest esse maior? 4) » Verum, si prudentissimorum vox et legum sapientia in dies magis proprietati favebant, tunc potissimum seditionum vorax libido civilibus armis illam aggrediebatur. Alias hostium, sed quum Sylla terras civium mi-

3) Cic., Of. II, 21.

4) Ibid.

litibus fuisset dispertitus, omnis deinde coniuratio in civium res et personas Romae acta fuit (a).

TITULUS VIII.

PROPRIETATIS VICES A ROMANIS USQUE AD NOS.

I. Novae societatis exordia in feudalismo. II. Ius feudorum, eiusque consequentia. III. Fisco feudali proprietas imminuebatur. IV. Municipia et monarchiae initia. V. Nimium monarchiae ius, feudorum exemplo. VI. Iurisconsultorum et principum immodica mens. VII. Peior audacia, nomine libertatis. VIII. Ius proprietatis evertitur e Montesquieu, a quo Communistarum schola. IX. Inde *Contractus Socialis*. X. Eadem doctrina in comitiis gallicis anni 1789; XI. et 1792. XII. Quam doctrinam violenta sequebantur latrocinia, anno 1793. XIII. Virtus republicana a quibusdam in rusticitatem conversa. XIV. Sed Communistarum fluctibus potentior naturae vox. XV. Ergo solum ius *politicum* conceditur imperantibus. XVI. Ex iure politico, iura fluunt tributorum. XVII.° Monitum.

I. Romano imperio exciso, feliciores civium, plurimique Barbarorum duces, tantae molis frusta sibi occupationis titulo habuerunt. Inde castella enata, ad quae, eversis urbibus, plures, sine tecto, sine pane, confugerant. His arma ad defensionem,

(a) Vide LABOULAGE, *Histoire de la propriété chez les Romains.* — TROPLONG, *du Louage*, tom. I, n. 31; *du Prêt*, préface.

Licet, post Riegger, *eminens dominium* concedat Zallinger (§. 171, not. 2), dummodo admittatur principem non posse disponere de bonis privatorum, nisi ob publicam necessitatem vel utilitatem, eo tamen devenimus ut verba pensanda sint, ne rerum limites confundantur. Nullum ergo reipublicae dominium in res sicut neque in personas. Haec alia Senecae placent verba: « Omnia rex *imperio* possidet, singuli *dominio* (*De Benef. VII*, 5). Regis ergo imperium, non dominium. Item s. Thomas: « Verum est quod omnia sunt principum *ad gubernandum*, non ad *retinendum* sibi, vel ad *dandum* aliis » (*Quodlib.* XII, art. 23, in fine). Eodem sensu Cuiaccius, relatis Senecae verbis, addit: « Nec enim quae tua sunt, principis sunt, quoniam dominium in solidum duorum esse non potest, et communia quoque esse inter te et principem dixerit nemo » (*Observat.*, lib. XV, c. 30, Oper. tom. II, part. II, col. 453). Nec aliter, retento *dominii eminentis et supereminentis* nomine, rem explicant Grotius, Pufferdorfius, Wolfius. Nos tamen non dominium sed imperium vel administrationem libentius dicemus cum Portalis et Hennequin. Portalis: « Au citoyen appartient la *propriété*, et au souverain l'*empire*... L'empire qui est le partage du souverain, ne referme aucune idée de domaine proprement dit. Il consiste uniquement dans la puissance de gouverner » (*Code et motifs*, tom. IV.) Hennequin: « Dans la dépossession pour cause d'utilité publique, le souverain n'exerce pas un droit de propriété, mais il fait usage de ce droit suprême d'*administration*, de ce domaine éminant, sans lequel il ne peut pas accomplir ses devoirs envers les gouvernés. Le souverain exproprie, comme il lève les tributs » (*Tr. de Législation et de Jurisprud.* t. I. p. 199).

Hic romanae iurisprudentiae sensus, quidquid verba ferant.

...rgiebatur, veluti servis, eaque con-
...egetes, aliaque, in sua manerent po-
... tua civilis quidem societatis status,
... rium. Quam enim vitam egissent tot in-
...ores, invicem concertantes, sine patria,
... quandoque mores: sed quae supererant
... civilia elementa, in castella sese receperant,
... tempore in orbem proditura. Religio quoque ade-
... sanguine, domini mores ac rudem dominationem emol-
...ua ipsam in fide, in moribus, in litteris, quantum
... acquisset, erudiens (*a*).

... ligatur feudorum ius in universa soli proprietate innite-
... largitiones, concessiones, vel etiam venditiones, ea le-
... esset, ut originalis proprietas nunquam plene e feudorum do-
... segregederetur. Unde venditiones, permutationes et pactiones
... quaecunque inter subditos, nonnisi domini interventu, eius li-
...tata, et censone eidem solvendo, perfici poterant. Morientes ve-
...ro, cum proprietatem in domini manus remissuri intelligerentur,
heredes defunctorum bona non ingrediebantur, nisi ab ipso do-
mino, soluto pretio, et quibusdam solemnitatibus, in eorum pos-
sessionem immitterentur.

III. Fiscus gentilitius seu feudalis, uti patet, in quoque a-
ctu vel hereditate, titulo originalis proprietatis, suam sibi partem
vindicabat. Itaque iura quae in successionibus et pactis, hodier-
nis moribus sibi vindicant imperia, vel ex eminenti Romanorum
dominio unde *vicesima* Augusti extiterat, vel ex feudorum iure,
primum proficiscebantur: nunc vero, non alio nisi tributorum ti-
tulo sustinentur.

IV. Ex castellis pagi, inde castellanorum et pagorum confoede-
rationes, quibus dux unus praeerat: parva primum imperia. Inter
haec, passim municipia assurgebant, libertatis partem vindicatura.
Sed dux feudalis interdum, vicinioribus devictis vel in fidem acce-
ptis, rex constituebatur: unde monarchiae nova sumsere exordia.

V. Quum autem castellanorum sortes in monarchiam verte-
rentur, quae feudorum iura dicebantur, in monarchiam collata
sunt. Malo sane monarchiae fato: nam odium et reprehensiones
civium excitavit. Siquidem cancellarius Ioannes Iuvenalis ex Ur-
sinis, Remensis Archiepiscopus, medio saeculo XV, Carolum VII
Gallorum regem sic alloquebatur: « Quidquid de ordinaria tua
potestate nonnulli dictitent, scito tibi meum arripere non licere:

(*a*) Proprietas, feudorum aevo, non modo civilium, sed et iurium po-
liticorum sedes habita fuit. Res enim et personae absolutissima possidebantur dominatione. Inde exorta monarchia, primum sapienti consilio, subditorum res et personas in feudorum dominos tuendas susceperat; sed improvide postea, quaecumque feudorum iura in monarchiam pertransiisse, palatini autumarunt iurisconsulti. Politicum quoque ius nationalia adeundi comitia, proprietati innitebatur: quum soli fere feudorum possessores, principi tributa et milites suppeditarent.

quod enim meum, non tuum est. In iustitiae administratione te principem fateor: at sicut tibi tuum patrimonium est, ita unicuique suum 1). » Quae deinceps repetebat Loyseau, inquiens: « Regibus aliena possidendi nulla potestas: ius regium, ius est *regendi*, non aliena *rapiendi* 2). »

1) Loisel, *Opuscul.* p. 400.

2) Loyseau, *Seigneuries*, ch. 3, n. 42.

VI. Dolendum tamen immani adeo errori patrocinium contulisse iureconsultos, docentes cum Galland: « Rex est dominus universalis terrarum quae in regno sunt, quaeque a maioribus suis concessa praesumuntur, nisi contrarium demonstretur 3). » Idem ius, regnante Ludovico XIII, invaluerat in Marillicensi Codice anni 1629; et Ludovicus XIV, constitutione anni 1692, illud perfracte asseruerat, scribens insuper in Instructione ad Delphinum: « Quaecumque in regno nostro sita, cuiusque generis, ad nos pertinent. Memento igitur, reges uti absolutos dominos plena ac libera pollere facultate disponendi de bonis quae ab Ecclesia vel a laicis possideantur, ea tamen ratione ut sapientes oeconomi per omnia solent 4). » Ita *eminens dominium* intelligebat rex: quod si plenam universorum proprietatem non amplectebatur, parum aberat.

3) *Du franc alleu*, ch. 7.

4) *Oeuvres, de* Louis XIV, tom. II, p. 93.

VII. Servilis igitur Orientalium, Graecorum, et quadantenus veterum Romanorum iurisprudentia in recentioribus imperiis obtinuerat. Sed hoc mirum, quod popularia regimina eorumque magistri, veterem dominationem libertatis praestigio profligantes, ius proprietatis ad se rapere et nova tyrannide cohibere studuerint. Nam si reges aliqui, cum Ludovico XIV, se rerum Ecclesiae et laicorum oeconomos iactabant, novi dominatores se verbo et facto dominos ac dispensatores constituerunt.

VII. Montesquieu, togatus vir, novaeque philosophiae praecursor, primum iecit lapidem, proprietatem societatis opus, et iuris non naturalis sed civilis emanationem affirmans 5). Unde filiorum primogenituras, substitutiones, necnon ipsas successiones, ad ius politicum et civile, nequaquam ad naturale referebat. Hoc posito, de personalitate ac familia actum erat. Hinc Brissot de Warville, Baboeuf, Mablyus, Morellius, ut avaritiam curent, proprietatem evertunt; ut luxum cohibeant, necessaria subtrahunt; ut societatis perfectionem assequantur, hominem silvestrem efficiunt: mirae aequalitatis, et Solonis seu potius Platonis reipublicae admirandum exemplar 6).

5) *Esprit des lois*, liv. XXIV, ch. 15.

6) Vid. Mably, *de la Legisl.*, liv. I, ch. 4, et passim.

IX. Universus *Contractus Socialis* Ioannis Iacobi Rousseau, hoc germine evolvebatur. Si enim ex hominum pacto et voluntate ius proprietatis, ergo a fortiori cetera iurium genera erunt hominum inventio et factura, cunctique homines aliorum hominum servi et mancipia. *Contractus Socialis*, democratiae Codex appellatus fuit: sed barbarorum erat appellandus. Nam iuris expulsio, familiae subversio, politicus materialismus, societatis dissolutio, hominis ab homine atque a natura recessio, captivitas vel anarchia, vel utraque simul; haec omnia in paradoxali libello continebantur.

X. Num philosophica et democratica insurrectio quae anno 1789 in Galliis contigit, Europam peragravit, omniumque deinde insurrectionum parens extitit, melius de proprietate senserat? Falleris. Attamen quid proprietate democratius, quae liberum hominem comitatur, et laborantem sequitur? Sed mentes illae utopiis delectabantur, non libertatem sed dominationem inhiantes. Hinc illius Conventus (*Assemblée Constituente*) orator, Mirabeau, quovis anteacto despotismo praepotentior, de proprietate disserebat: « Particularis proprietas, dominium est, *legum vi et facultate* acquisitum: *sola lex proprietatem constituit* 1). » In eamdemque sententiam recidens Tronchet: « Sola, ait, societatis constitutio, *leges solae* veram proprietatis originem ac ius effecerunt 2) » Ubique Genevensis sophistae doctrina de contractu sociali, mentes depravans, societatem, libertatis nomine, in servitutem redigens.

1) *Hist. parlement.*, tom. V, p. 325.

2) Ibid. t. IX. p. 302 etc.

XI. Maximilianus Robespierre, democratiae et popularis libertatis, cuius amore deperibat, specimen obtulit in illa declaratione *de Iuribus hominis* 3), quam in constitutionem anni 1792 vertendam proposuerat; « Proprietas, inquiebat, ius est cuique civi competens, utea gaudeat bonorum parte quam lex illi tueatur, *qui lui est garantie par la loi.* » Lex civilis ait, non natura, non aequitas, non labor, non singulorum libertas ac voluntas. Republicano scilicet iure, proprietas ius est re utendi quomodo et quamdiu placeat legi, non vero *disponendi*. Nam a disponendi facultate caverat auctor, quia haec facultatem succedendi, donandi, testandi, simulque proprietatis perpetuitatem et inviolabilitatem complectebatur, a quibus republicanorum libertas abborrebat. Ceterum, testandi ius iam expulerat, inquiens: « Quomodo de hac terra quam incoluit, homo disponere poterit, quando iam ipse in terram conversus fuerit? 4) »

3) *Droits de l'homme*, art. 7, 8.

4) *Hist. parlement.*, tom. IV, p. 300.

XII. Nec mireris, exleges homines legem appellare. Ipsis enim quum una sit lex, populi voluntas, popello eiusque tribunis decernentibus, possessorum expoliatio legitime sanciebatur. Nam, postquam sanguinis aristocratia deleta fuerat, et pecuniae aristocratia, ipso monente Robespierre, delenda erat. Non quidem uno ictu, sed sensim sine sensu: constituendo, ex. gr., ut plebs republicana (*sansculottes*) publica aleretur pecunia, ex censibus divitum conflanda, vel ex coactis praestationibus ac mutuis; vel ex iure ad laborem, ut quotidiana merces praestaretur, etiam cum labor vel laborandi voluntas defuissent; imo, limite constituto, ultra quem nemini possidere liceret, ut Marat autumabat. Nec hic finis. Si enim populi voluntas est aequa lex, aequa erant publica latrocinia peracta ab insanissima plebe, ipso Marat consulente, die 25 februarii anni 1793, turba exclamante: Pereant divites! (*A bas les riches!* (*a*).

(*a*) Falsam libertatis viam, tota alterius saeculi historia commonstrat. Non enim legalem tantum, sed et proprietatis expetebat aequalitatem. At-

XIII. Attamen non omnes forsan scelestissimi qui proprietati invidebant. Nam docti a Montesquieu, respublicas nisi in summa virtute fundari non posse, illam ipsi in summa rusticitate constituebant, societatem ad Minossis et Licurgi tempora retrahentes. Hoc forte cogitabant optimi inter illos, seu mente capti: reliqui vero, sicuti libertatis praetextu dominationem in se transtulerant, iis, qui illa potiebantur e vita vel e patria expulsis; ita, aequalitatis specie, divitum opes in se suosque transferre nitebantur. Nam fere semper evenerat atque eveniet, ut imperium concupiscentes, a divitiis non abhorreant, quamcumque verbis humilitatem ac temperantiam affectent.

XIV. Potentissima cum esset Robespierrii factio, potentior tamen fuit naturae vox in Comitiis gallicis (*Convention*) diei 24 iunii, anni 1793. Articulis enim 16 et 19, iure proprietatis retento, decernebatur: « ne quis minima quaque rei suae parte privari unquam posset, nisi urgente publica necessitate, rite demonstrata atque evidenti, nec sine iusta ac praevia indemnitate 1). » Plenissimum vero proprietas triumphum consequebatur in Declaratione motivorum ad Codicem Napoleonicum, referente Portalis, cuius haec verba: « Nobis insidet hoc iuris principium, non ex hominum pactione vel ex positiva lege profectum; sed ex penitissima naturae constitutione. Frustra namque nonnulli mirantur philosophi, quod homo aliquam in suo dominio accipiat terrae partem, quae nec eius est opus, nec eius regitur voluntate. Verum, nonne illa admiratio evanescit, si advertantur prodigia quae humana adiecit industria? Ita prorsus, Legumlatores! Nostra industria terram conquisivimus in qua sumus, habitabiliorem effecimus, saniorem et iucundiorem. Creationi aliquid addidimus, Creatoris opus perfecimus... A systematibus cavendum quae terram in iure omnium constituunt, *ne ius cuiusquam vereantur* 2). » Hisce argumentis in solemnissimo legumlatorum conventu prolatis, legis imperium in proprietatem e Codice expellebatur, et submota proprietatis fundamenta reficiebantur.

1) *Déclaration des droits de l'homme*, art. 19.

2) Portalis. *Exposé des motifs* etc., apud Fenet, tom. XI, p. 112, 113.

XV. Itaque respublica non proprietatis summa potitur; ut politicis visum est, graeco et orientali despotismo infectis; sed occupatio, labor, liberae pactiones, traditiones et successiones iura singulorum constituunt, proprietates et dominia. E contra, respublica iis tantum iuribus utitur quae *politicum regimen* comitantur; quae sunt tributa vel leges, quibus possidentium acquisita iura, felicitas et securitas promoveantur.

XVI. Tributa igitur Imperia sibi habeant: quod aequum est et necessarium. Nam « neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt 3). » Christus ipse tributa solvit, et solvenda praecepit: « Red-

3) Tac., *Hist.* IV, 74,

qui civilis societatis fundamentum, ius est proprietatis, in quod illius et nostri saeculi Communismus frangebatur. Et frangetur: nam, si factio factionem, nunquam tamen universam confringet societatem.

dite ergo quae sunt Caesaris Caesari 1). » Sed videant Caesares ne proprietatis partes illa aestiment, quibus cum subditis velut[i] coutantur: verum totidem sacrificia ut imperii onera sustententur, hinc[que] mensuram habent (*a*). Leges autem quae proprietatem eiusque transmissionem attingunt, naturam sequantur, aequitatem servent, libertati ne officiant. Quod ideo monemus, quia novi homines novaque regimina, primam omnium libertatem impetunt, proprietatem: quam si non evertunt, undique tamen legibus coangustant et vexant. Vetera ad nauseam refricant: minora ingenia, eadem deliramenta.

1) Matth. XXII, 21.

XVII. Monitum. Romano imperio fatiscente, vectigalium moltitudine, exactorumque improbitate adeo defatigabantur populi, ut, patriae amore in odium converso, vel ad hostes confugerent, vel eos ultro in civitates reciperent 2). Infirma scilicet vel corrupta imperia, dum plurimos semper famulos aut ministros, quibus fulciantur, sibi conquirunt, plurima semper effundunt. Quod ne in sapienti regimine fiat, 1. in rei publicae administratione simplicitas multiplicitati anteponenda est, qua nunc omnia fere imperia onerantur. 2. Tributa necessitatibus sunt commensuranda, neque in angustiis augenda, priusquam possibilia in sumptibus resecentur. 3. Tributa quoque sunt deligenda minus populo odiosa, quorum exactio promptior et facilior habeantur.

2) Cf. Salvian., *de Gubernatione Dei*, lib. V.

(*a*) Systemata quorumdam oeconomistarum, ius tributa imponendi elicientium ex iure quod habeat princeps in quamdam fructuum partem, titulo comproprietatis, ex civium bonis percipiendorum, evolvitur in opere cui titulus: *L'ordre naturel et essentiel des sociétés politiques*, ch. 19, 27. etc., auctore Le Mercier de la Rivière. Contra, aiebat Portalis: « Nous concevons que l'État ne pourrait subsister s'il n'avait les moyens de pourvoir aux frais de son gouvernement; mais en se procurant ces moyens par la levée des subsides, le souverain n'exerce point *un droit de propriété*; il n'exerce qu'un *simple pouvoir d'administration* » (Portalis, *Code et motifs*, t. IV, p. 33).

Quum autem eodem praetextu, in Imperii scilicet potestate esse quaecumque soli ambitu comprehenduntur, Ecclesiae proprietates impeterentur, merito reponebat Chapt de Rastignac: « Non, les membres de la société ne se dépouillent point de leurs biens au moment qu'elle se forme, pour l'en rendre propriétaire; loin de donner à tous les individus réunis ses propriétés, chaque propriétaire ne se met en société que *pour conserver sa propriété individuelle par la protection et par la force de tous* » (*Quest. sur la propriété* etc., p. 100). Hinc societatis finis quoad omnes proprietates.

TITULUS IX.

DE REBUS DEO DICATIS QUOAD IUS NATURAE ET GENTIUM.

I. Societas concutitur, concussa proprietate. II. Proprietas religiosa est mos et ius gentium, a natura profectum. III. Documenta historica quoad Aegyptios, Aethiopes et Persas, Macedones, Graecos et Iudaeos. IV. Mobilia et immobilia possedit Ecclesia sub primis imperatoribus, aequitate inducta. V. Constantini et Licinii edicta. VI. Illa communem Ecclesiae proprietatem spectabant, et ex iure naturali proficiscebantur. VII. Quod leges aliae demonstrant. VIII. Neque leges Valentiniani I et Theodosii, ecclesiasticae officiunt proprietati. IX. Non gratuitae imperatorum largitiones vel restitutiones. X. Leges unde Ecclesiae peculia excreverant. XI. Privatorum donationes, agrorum cultura et parsimonia. XII. Ius naturae et gentium concluditur quoad sacras proprietates.

I. Sequitur ex dictis, ius dominans, et potissimum societatis fundamentum, esse proprietatem. Quod nostris temporibus maxime patuit: nam nunquam concussa fuit societas, quin concuteretur proprietas; et vicissim, nunquam in dubium vocata fuit proprietas, quin politica societatis iura dissolverentur. Hoc vertuntur circulo, qui in societatem conspirant. Ubique autem, a Luthero ad nos, a proprietatibus Deo dicatis exordia ducebantur.

II. A Thomassino recte animadversum: morem adeo antiquum et universalem, templa scilicet eorumque ministros alendi publicis sumptibus, fructibus terrae fixisquae proprietatibus, naturae legem demonstrare, et ius publicum sacrorum a natura profectum 1).

1) Tom. *Vetus et nova Eccl. disc.* part. III, lib. I, c. I.

III. Historica documenta collegit De Burigny, duobus Memorialibus: *Sur les honneurs et les prerogatives accordés aux prêtres dans les religions profanes,* quae extant in Historia Academiae *des Inscriptions et Belles-lettres* 2).

2) Tom. XXXI, in 4, p. 108 etc.

1. De Aegyptiis referunt Diodorus Siculus et Herodotus: « Aegyptiis tellus in tres partes dividebatur, quarum prima ordo sacerdotalis fruebatur ad sacrificia, ad victum sacerdotum eorumque familiarum 3). » Refert Genesis, tempore famis, emisse Ioseph universam terram Aegypti, « praeter terram sacerdotum, quae a rege tradita fuerat eis; quibus et statuta cibaria ex horreis publicis praebebantur, et idcirco non sunt compulsi vendere possessiones suas. » Additur: « In universa terra Aegypti, regibus quinta pars solvitur, et factum est quasi in legem, absque terra sacerdotali, quae libera ab hac conditione fuit 4). »

3) Diodorus, lib. I, sect. 2: Herodotus, lib. II, n. 37.

4) *Gen.* XLVII, 22-26.

2. Apud Aethiopes, Caldaeos, Persas, eadem obtinebant, quorum sacerdotes instar Aegyptiorum instituti fuerant, a tributis et oneribus publicis liberi. Eadem de Druidis apud Gallos, Iulio Caesare referente, 5) et de sacerdotibus Germanorum, de quibus Tacitus 6).

5) *De Bello gall.* VI, 13.

6) *De mor. Germ.* VII, 3.

3. Templorum divitias apud Macedones attingit Cicero 7). Nam cum Archelaus a Mithridate ad Romanos secessisset, eius

7) *Pro lege Manilia,* n. 2.

filius arma in bello asiatico fortiter gerens, a Pompeio sacerdos Comani templi in Ponto constitutus fuit, ei plenissima sexaginta terrae stadiorum iurisdictione attributa. Orientalibus quoque sua erant templa, quorum sacerdotes civili et politica potestate late potiebantur. Sacerdos quidam, apud Athenienses, integrae urbi dominabatur.

4. Ampliora Graecorum documenta. Ditissimum certe erat Paphos sacerdotium, cum illud Cato Ptolemaeo proponeret, a Romanis e regno Cypri iniuste expulso. Templi Delphici divitias nemo ignorat: cum illud diripuissent Phocaei in secundo bello sacro, res direptae pluris quam decem millium talentorum auri aestimatae sunt, monetae nostrae (*lire italiane*) ad minus quinquaginta quatuor miliones. Illius autem divitiae exterior defensio Amphictionibus committebatur, hoc obstrictis iureiurando: « Apollinis opes si impii aggredientur, nos in eos et complices, pedibus, manibus, voce, decertaturos spondemus et iuramus. » Hinc pluries orta bellorum occasio, quae bella sacra dicebantur. De his fusiora apud Valois 1).

1) Vid. *Accad. des Inscrip.*, tom. III in 4. *Hist.* p. 78; *Mém.* p. 103, tom. VII, *Mem.* p. 201; tom IX, *Mèm.* p. 97; tom. XII, *Mèm.* p. 177.

5. Veterum Romanorum laudem contraxerat Sallustius, initio *Belli Catilinarii*: « Domi parci, in suppliciis Deorum magnifici. » Firmiter illi arbitrabantur, ait de Burigny, bona templis dicata, ex iure naturae et gentium praescriptioni non subiici 2). Aggressoribus, ex lege XII tabularum, parricidarum poena infligebatur: « Sacrum, sacrove commendatum qui clepserit rapueritque, parricida esto; » quod recitat Cicero 3). Commendata autem erant ea quae, securitatis gratia, in fanis deponebantur. Refert enim paulo post ipse Cicero, Clisthenem atheniensem, civem egregium, cum rebus timeret suis, filiarum dotes Iunoni Samiae credidisse. Tanta erat paganorum religio!

2) Cf. *Mèm. sur le respect que les Romains avoient pour la religion*, Acad. des Inscript. tom. XXXIV, *Hist.* p. 110-114.

3) *De leg.* II, 9.

6. Apud Iudaeos, Aaron quidem eiusque filiis sacerdotibus mandaverat Deus: « In terra eorum nihil possidebitis. » Sed, ut taceamus oblationes et primitias, aliaque tradenda, « pro officio sacerdotali legitima sempiterna, » filiis Levi dat Dominus omnes decimas Israelis in possessionem, pro ministerio quo serviunt in tabernaculo foederis »; levitis autem praecipitur ut decimam partem decimae ipsi offerant Aaron sacerdoti 4). Deinde praeceperat Deus « filiis Israel ut dent levitis de possessionibus suis urbes ad habitandum, et suburbana eorum per circuitum: ut ipsi in oppidis maneant, et suburbana sint pecoribus et iumentis 5). » Porro varia haec redituum genera enumerans Philo iudaeus, concludit, haec « afferre magnam copiam, ut nemo sacerdos tam pauper sit, quin dives videatur. » Imo, ulterius progrediens: « Ex his rebus liquet, iusta legis iudicium, sacerdotes aequiparari honore ac maiestate regibus 6). » Plurima apud Mamachi, *Del diritto libero della Chiesa di acquistare e di possedere beni temporali*, tom. I, p. 147, 158.

4) *Num.* XVIII 8, 20, 21.

5) Ibid. XXXV, 2.

6) *De praemiis sacerd. et honoribus*, p. 830, 832; Oper. ed. 1640.

Sed haec innuisse sufficiat, quae nobis gradum ad Ecclesiam aperirent.

IV. Ad tertium usque saeculum, quum leges romanae illicitis collegiis accenserent Ecclesiam, nihil ipsam in communi habere patiebantur. Recte quidem ex illa persecutorum iurisprudentia. Nihilominus satis naturali iure suffulti, non destiterunt Christiani a conventibus et a pecuniis in commune conferendis; qui imo et immobilia possedisse, contra iniquas leges quadam aequitate inducta, liquido constat. Nam in Vita Alexandri Severi narrat Lampridius: « Quum Christiani quemdam locum qui publicus fuerat occupassent, contra popinarii dicerent sibi eum deberi, rescripsit: melius esse quomodocumque illic Deus colatur; quam popinariis dedatur 1). » Item Eusebius: « Cum Paulus Samosatenus e domo Ecclesiae nullatenus excedere vellet, interpellatus imperator Aurelianus, rectissime hoc negotium diiudicavit, iis domum tradi praecipiens, quibus Italici christianae religionis Antistites et Romanus episcopus scriberent 2). »

1) Lamprid., n. 49.

2) Euseb., *Hist. Eccl.*, VII, 30.

V. Sed per Constantinum et Licinium edicta christiani cultus libertate, eo ipso transferebantur in Ecclesiam iura collegiorum et societatum, quibus « proprium esset, ad exemplum reipublicae, habere res communes, arcam communem 3). » Ablata quoque ut restituerentur, iusserunt imperatores, anno statim 312: « Atque hoc insuper in persona Christianorum statuendum esse censuimus, quod si *eadem loca, ad quae antea convenire consueverant*,... priori tempore aliqui vel a fisco nostro, vel ab alio quocumque videntur esse mercati, eadem Christianis *sine pecunia*, et *sine ulla pretii petitione*, postposita omni frustratione atque ambiguitate, restituantur... Quae omnia *corpori Christianorum*, protinus ac sine mora, tradi oportebit. Et quoniam iidem Christiani *non ea tantum loca ad quae convenire consueverant, sed etiam alia habuisse noscuntur*, AD IUS CORPORIS EORUM, IDEST ECCLESIARUM, *non hominum singulorum pertinentia;* ea omnia lege quae superius comprehendimus, circa ullam ambiguitatem vel controversiam, iisdem Christianis, idest *corpori et conventiculis* eorum reddi iubebis, supradicta scilicet ratione servata, ut ii qui eadem sine pretio, sicut diximus, restituerunt, indemnitatem de nostra benevolentia sperent 4). » Alia deinde constitutione: « Est hic mos bonitatis nostrae, ut ea quae ad ALIENUM IUS pertinent, non modo nulla inquietudine affici, sed etiam restituti velimus, Anuline carissime... Ergo operam dabis ut sive *horti*, sive *aedes*, seu *quodcumque aliud* ad ius earumdem ecclesiarum pertinuerit, cuncta illis quantocius restituantur 5). » Demum Constantinus solus imperio potitus, et ipse epistolam dedit quam idem refert Eusebius: « Omnia ergo quae ad ecclesias recte visa fuerint pertinere, sive *domus* ac *possessio* sit, sive *agri*, sive *horti*, seu quaecumque alia, *nullo iure quod ad dominium pertinet imminuto*, sic salvis omnibus atque integris manentibus, restitui iubemus 6). »

3) L. I, ff, lib. III, t. 4.

4) Apud Euseb., *Hist. Eccl.*, X, 5; item ap. Lactant. *de Morte persec.*, 48.

5) Apud Euseb., *loc. cit.*

6) Euseb., *Vita Constant.*, II, 34.

VI. Haec probant 1. cuiusvis generis immobilia possessa fuisse ab Ecclesia, sine ulla imperatorum concessione: agitur enim de *corpore*, de *conventiculis*, de iure *hominum* non tantum *singulorum*, uno verbo, de iure *ecclesiarum*. 2. Haec iura ecclesiarum relata fuisse ad ius naturale, tum ex facto restitutionis, tum ex illis verbis: *quae ad alienum ius pertinent* etc.; *nullo iure quod ad dominium pertinet imminuto*.

VII. Ius Ecclesiae possidendi et legata accipiendi, ex natura esse, non ex regia tantum concessione, leges aliae aeque demonstrant. Nam ex Senatusconsulto Divi Marci temporibus edito, « nulla dubitatio est quod si corpori, cui licet coire, legatum sit, debeatur 1). » Lege autem a Costantino lata anno 321: « Habeat unusquisque licentiam, sanctissimo catholico venerabili Concilio (Ecclesiae), decendens, bonorum quod optaverit relinquere; et non sint cassa iudicia (eius). Nihil enim est *quod magis hominibus debeatur*, quam ut supremae voluntatis, postquam iam aliud velle non possunt, liber sit stylus, et licitum quod iterum non redit arbitrium 2). » Cuius legis, ait Gothofridus, non ea fuit causa, ut testamenti factio passiva tunc primum ecclesiis concederetur, sed quia de quibusdam casibus dubitabatur. Si autem quod lex ferebat *hominibus debebatur*, nec libere nec gratis, sed natura iubente, concedebatur. Ipso autem Gothofrido interprete, solemnitates civiles praescribebantur: quibus, sive quoad singulorum, sive quoad Ecclesiae proprietates, iura vel officia imperantium continentur.

1) L. 20, ff. lib. XXXIV, t. 5.

2) *Cod. Theod.* lib. XVI, tit. 2. l. 4; *Cod. Iust.* lib. I, tit. 2, l. 1.

VIII. Postea quidem prohibuit Valentinianus I, anno 270 3), ne ecclesiastici vel qui continentium volunt se nomine nuncupari, aliquid reciperent ex donatione vel testamento a viduis et religiosis feminis. Verum recipere non prohibebatur Ecclesia, cui ideo potius profuit illa lex, ut post Ambrosium et Hieronymum advertit Thomassinus: quatenus illi clerici non raro ad se pertrahebant quae fuerant Ecclesiae destinata. Imo lex non respiciebat quascumque mulieres: de qua lege vide Christiani Lupi dissertationem de monasteriorum simonia, capite XII. Pari consilio Theodosius, anno 390, diaconissis prohibuerat ne quidquam « de monilibus et supellectili, de auro, argento, ceterisque clarae domus insignibus » testamento transmitterent Ecclesiae, aut pauperibus, in praeiudicium liberorum (*a*). Sed, mu-

3) *Cod. Theod.* loc. cit., leg. 20

(*a*) In iure possidendi, nec rationem nec modum respuit Ecclesia. Quum enim Augustinum reprehenderent nonnulli quod hereditates non susciperet, ita apud populum se purgabat humanissimus antistes. « Plane suscipio, profiteor me suscipere oblationes bonas, oblationes sanctas. Si quis autem irascitur in filium suum, et moriens exheredat eum; si viveret, non eum placarem? non ei filium suum reconciliare deberem? Quomodo ergo cum filio suo volo ut habeat pacem, cuius appeto hereditatem?... Quid plura, fratres mei? Quicumque vult, exheredato filio, heredem facere Ecclesiam, quaerat alterum qui suscipiat, non Augustinum: imo, Deo propitio, neminem inveniat » (*Serm.* 355, alias *de diversis* 49). Lau-

tatis adiunctis, anno 455, restrictiones illae abrogabantur Marciani lege, quae extat ad calcem Codicis Theodosiani.

IX. Quum ius naturale, quae vellet quisque Deo dicandi, lege civili libertatem suam recepisset, opes Ecclesiae, propter largitiones principum et leges, mire excreverant. Constantini eiusque successorum magnificentiam prosecuti sunt Eusebius et Theodoretus in Historia ecclesiastica, s. Athanasius in Apologia contra Arianos et in Arianorum historia, Anastasius Bibliothecarius in Vita s. Sylvestri, Thomassinus, Ciampini aliique. Auri plurimum, aedium et agrorum: gratitudinis et iustitiae, potius quam merae beneficentiae opus. Suadebat enim gratitudo, ut praemia ferrent laborum, qui fide et moribus ferocientes plebes instituebant. Iubebat autem iustitia, ut martyrum bona quae fiscus absumserat, ex praesumpta ipsorum voluntate, deficientibus successoribus, Ecclesiae restituerentur.

X. Legibus autem 1. caverat Constantinus, ut bona martyrum et confessorum qui ante sine cognatis ex vita excessissent, ad ecclesiam cuiusque loci pertinerent 1). 2. Anno 412, statuit Honorius ut, haereticis expulsis, eorum ecclesiarum bona possessioni Catholicae Ecclesiae vindicarentur, cui revera a testatoribus relicta fuerant 2). 3. Supponit lex eiusdem Honorii, lata anno 415, quaedam templorum paganorum bona ad Ecclesiam Catholicam pertinuisse 3): iuste igitur ad Ecclesiam revertebantur. 4. Theodosius Iunior statuit anno 434, 4) ut bona episcoporum, clericorum, religiosorum, qui intestati decessissent, ad Ecclesiam vel monasteria devolverentur, nisi propinquos haberent, vel quidquam curiae deberent: sic Ecclesia privilegio potita est, quo iam multa fruebantur sodalitia in imperio admissa, quae in membrorum suorum bona succedebant, prout observat Thomassinus et exponit Gothofridus. 5. Demum in Codice et in Novellis passim decreverat Iustinianus, ut si qui vel clerici vel monachi, Ecclesia vel monasterio relicto, ad saeculum redirent, ipsorum bona Ecclesiae vel monasterio addicerentur. Si quis vero ecclesiam aedificare vellet, redditus assignaret quibus necessariis expensis satisfieret.

1) Euseb., *Vita Const.*, II. 36.

2) *Cod. Theod.* lib. X, tit. 5, leg. 57.

3) Ibid., lib. XVI, tit. 10, leg. 20.

4) Ibid., lib. V, tit. 3, leg. I.

XI. Imperatorum factis vel legibus, in quibus nihil quod iustitiam non maxime deceat, privatorum donationes accesserant. Mos enim erat ut episcopi vel monachi, bona sua Ecclesiae vel monasterio relinquerent: quod de s. Gregorio Nazianzeno legi-

dat deinde factum Aurelii Carthaginensis episcopi: « Quidam cum filios non haberet neque speraret, res suas omnes, retento sibi usufructu, donavit Ecclesiae. Nati sunt illi filii, et reddidit episcopus nec opinanti quae illi donaverat. In potestate habebat episcopus non reddere, sed iure fori, non iure poli. » Quum suprema iustitia sit religio, quomodo ipsa iustitiam non adamaret, non coleret, non prae se ferret? Recte ad Valentinianum scribebat s. Ambrosius: « Malo nos pecunia minores esse, quam gratia » (*Epist.* 18, n. 14).

mus, de s. Ambrosio, de s. Cyrillo Alexandrino, de s. Aredio, de s. Gregorio Turonensi etc. 1). Laicorum primitias, decimas collectas, legata et testamenta, nemo in dubium revocaverit. Sed hoc honorabilius, quod coenobia et religiosi Ordines arva arida et inculta, vel a Barbaris depopulata, et habitatoribus vacua, feris depulsis, primi ingrederentur, sudoribus excolerent, accitis plebibus, iisque ad moralem et civilem vitam institutis 2). Quae omnia, singulorum ingeniis atque parsimoniis augebantur.

1) Thom., par. III, c 1. Bonnaud, *Réclamation contre l'invasion des biens ecclès.*, 1792.

2) Vide Hurter, *Disquisitiones in medium aevum.*

XII. Ex praeiactis, quae fusius videri poterunt apud Carriere 3), necessario concludendum est 1. omnes gentes ius ac debitum sensisse a natura genitum, quaedam e bonis suis in religionis officia perpetuo dicandi: *Sacra privata*, lex erat XII tabularum, *perpetua sunto* 4). 3. Hoc iure semper usi sunt sacerdotes idolorum, accipiendo atque administrando ea quae contulisset populorum voluntas, et qui ea imminuerit, parricidae ac sacrilegi. 3. Nulla unquam paganorum iurisprudentia constituerat, bonorum sacrorum proprietatem ad reges vel ad populos pertinere, sed quicumque quidquam expilassent, sive reges sive privati, in homines atque in Deum rebelles decreti. 4. Hoc ius naturae et gentium Christiana religio ingrediebatur, nisi absurdissime dixeris, falsis religionibus iura inesse quae veram effugiant; vel antiquis Numina licuisse venerari de sua substantia, quod non liceat Christianis. 5. Prae gentilibus, iure potiori ac nobiliori gaudet religio christiana in bona ipsi collata, ut evincit natura fontium unde illa obvenerunt, et patebit ex dicendis.

3 *De Iust. et Iure*, part. I, sect. I, c. 4.

4) Cic., *De Leg.* II, 9.

Honestis ingeniis ista sufficient: obtrectatoribus et pervicacibus, sequentia addimus.

TITULUS X.

IUS ECCLESIAE CATHOLICAE IN FIXAM ET PERMANENTEM PROPRIETATEM.

I. Possidendi ius habet Ecclesia a lege naturali et divina. II. Qui ius habent ad societatem, habent etiam ad religiosam ineundam societatem. III. Ergo ius quoque, sua in Ecclesiae dominium conferendi. IV. Ecclesia societas est sui iuris, licet in statu, exemplo familiae. V. Opibus indiget ad socialem vitam perducendam. VI. Dum in terris agit, terrena sibi et pauperibus possidet Ecclesia. VII. Eius dominium est in suo genere plenum atque perfectum. VIII. Hactenus ex iure naturae. IX. Sed divina institutio, divina infert iura. X. Sacrorum expilatores, fere nunquam in civilibus laudandi. XI. Neque felices ipsi aut nationes. XII. Lutheri aliorumque testimonia. XIII. Henrici VIII effrena ingluvies, et mira paupertas. XIV. Anglicanae direptionis miseranda consectaria. XV. Male parta, male dilabuntur. XVI. Officium pastorum est tuitio bonorum ecclesiasticorum, exemplo s. Ambrosii. XVII. Cui invictus additur martyr, Thomas Cantuariensis. XVIII. In qua defensione, pacem diligunt cum aequitate, fortitudinem exercentes cum mansuetudine. XIX. Tridentini concilii poenae in direptores. XX. Divina adhuc vis in anathemate. XXI. Ergo proprietas ecclesiastica omni possibili iure et sanctione communitur.

I. Ius accipiendi et possidendi habet Ecclesia a natura et speciatim a Deo: a natura, quatenus est hominum societas; a Deo, quatenus est specialis societas ab ipso immediate instituta (*a*).

II. Homines, non imperantium gratia vel concessione, sed ex naturali iure societatem ineunt. Ergo non legum favore, sed ex ingenito cuiusque iure ea habent quae ad societatem constituendam requiruntur. Iamvero, si societas religiosa non est, neque societas est: imo ipsa religio, vera est societas, tum interna tum externa, quum inter homines sit exercenda. Ergo quibus licet societatem inire, licet quoque veram religionem profiteri, atque iura singulorum in commune proferre, ut eadem religio exerceatur, vigeat atque efflorescat.

(*a*) Eorum qui Ecclesiae ius possidendi negant vel minuunt, triplex est classis. Prima est *haereticorum*, contendentium Christum prohibuisse Ecclesiam eiusque ministros, ne bona temporalia possiderent. Quod tenuit Arnaldus a Brixia, circa annum 1139, eo praesertim consilio ut, diruta temporali Romani Pontificis potestate, vetus respublica exurgeret. Deinde Valdenses ante annum 1210; Marsilius Paduanus, anno 1327; et prae ceteris Wiclephus, cuius haec erat propositio cum aliis damnata in concilio Constantiensi, an. 1415: « Contra scripturam sacram est, quod viri ecclesiastici habeant possessiones. » Altera est plurium *iurisperitorum*, statum quasi idolum venerantium, a quo omnia Ecclesiae iura in temporalibus dependeant, adeoque principum nutu revocentur. Quibus theologi iansenistae addendi sunt, vario quidem gradu et proportione. Tertia est recentium *philosophorum*, qui, simul conflatis iansenistarum, iurisconsultorum et haereticorum erroribus, implacabili addito religionis catholicae odio, illam expoliare atque atterere conati sunt. Horum varia argumenta refert Merlin, *Répert. de Jurisprud.*, v. *Clergé*, §. 2, t. 3, p. 7. et seq.

III. Posito itaque naturali et divino hominum iure in religiosam societatem coëundi, sequitur ius et officium singulorum, aliqua ex suis in communem Corporis utilitatem conferendi; quorum proprietas ex dominio singulorum egressa, transfertur in Corpus, eorumque dominationi atque adminstrationi subiacet qui Corpori legitime praesunt. Atqui societati religiosae praeest Ecclesia: Ecclesia, inquam, non quatenus est societas omnium fidelium, sed Ecclesia docens, regens atque gubernans.

IV. Igitur dominium illorum bonorum, ex singulorum iuribus et voluntatibus profectum, remanet apud Ecclesiam: quemadmodum apud praesidentes auctoritates remanent dominia collegiorum, universitatum, corporumque moralium, quae unum quid constituunt ab universali vel bationali societate distinctum. Si dixeris haec dominia transire in rempublicam, quia Ecclesia et corpora moralia sunt in republica sive in Statu, ut illiberales recitant iurisperiti; dicendum quoque foret, familiarum dominia ad Statum pertinere, quia familiae sunt in Statu: sicque monstrum esset Status, quod sibi omnia deglutiret.

V. Proprietas religiosa quum enascatur ex iure singulorum in dando, et Corporis in accipiendo, est quoque ius necessarium ad societatis constitutionem. Consulto enim Ecclesiam dicebamus societatem internam atque externam: quo utroque respectu, proprietatibus indiget. Adsunt ministri, homines quidem, et nutriendi: aedes sacrae, clericorum instructio atque educatio, cultus instrumenta, solemnitates, sacrificia. Dei cultui, pauperum omniumque miseriarum cultum sola adiunxit christiana religio. Ecclesiae divitias, quinto ineunte saeculo, iam carpentibus nonnullis respondebat Chrysostomus: « Cum facultatum Ecclesiae magnitudinem perspicis, cogita etiam inscriptorum pauperum turbam, infirmorum multitudinem, innumerarum expensarum necessitates. Curiose inquire et scrutare: nemo impedit. Ecclesia impendere necesse habet viduarum coetibus, virginum choris, hospitum adventibus, peregrinantium aerumnis, victorum calamitatibus, infirmorum et mutilorum necessitatibus etc. 1).

1) Hom. XXI in *I Corinth.*

VI. Haec Chrysostomus. Universis autem subvenire indigentiis et calamitatibus, perpetua fuit Ecclesiae consuetudo. Laurentii martyris factum neminem latet. Iis qui obiiciunt ex s. Ambrosio: *Nihil Ecclesia sibi, nisi fidem possidet,* integram reponimus sententiam: « Nihil Ecclesia sibi, nisi fidem possidet: hos redditus praebet, hos fructus: POSSESSIO ECCLESIAE SUMPTUS EST EGENORUM. » Nihil *sibi* Ecclesia possidet, quod praedonum manus semper effugiat, nisi divinam fidem, spem, charitatem; possidet tamen terrena dum terrena est, dum peregrina est; haec possidet, ait s. Augustinus *quia socialis est.* Sed eius possessio *patrimonium est pauperum, sumptus egenorum:* quia o-

mnium mater est. Ergo si Ecclesiae et egenis una et communis est possessio, nihil Ecclesiae subripitur, quod simul pauperum et infirmorum calamitatibus crudeliter non subtrahatur. Insuper Ecclesiae possessio non deleretur, nisi, quoad hominibus licet, externa eius constitutio evertatur.

VII. Si ius donandi et possidendi, Ecclesiae membris et corpori inest a natura, eique necessarium est ad propositos sibi fines consequendos; ergo est ius stabile, permanens, perfectum in suo genere, hoc est, rerum usum, proprietatem et perennitatem amplectens. Nam si permanens est proprietas in familia et in societate politica, quia utraque, succedentibus sibi personis, societas est permanens et fixa; a pari proprietas religiosa, cum religioni nullus sit finis. Esto, solvi possint societates aliquae civiles, quarum desierit finis, salvis tamen membrorum iuribus et proprietatibus: at cum religiosae societatis nunquam cesset finis, cumque eius institutio et iura a natura sint vel a Deo, non a principibus; ius possidendi nunquam dissolvetur a Statu eiusque rectoribus. Neque obiiciant, modum et solemnitates ecclesiasticae possessionis a republica impertiri, sine quibus concidunt dominia. Nam et laicis possessionibus impertiuntur, et tamen dominia sunt singulorum. Solemnitates dominia supponunt, non ea constituunt.

VIII. Exposita argumenta ecclesiasticam proprietatem vel in ethnicos tuerentur: sunt enim ex naturae penu desumpta, in eoque recidunt quod licet singulis res suas Deo dicare et pauperibus, quo iure nisi ab immanissimis humanitatis tortoribus expoliari non possunt. Reliqua fluunt ex hoc principio. Nunc Catholicos alloquamur, quorum mentis puerilitas vel perversitas ethnicos superavit, quando *bona nationalia* dixere proprietates ecclesiasticas.

IX. Ut plura breviter contrahamus, Ecclesia divina est societas, a Deo immediate instituta, non ut in cryptis agat, sed ut libera luce utatur, cultum et vires exerat, iisque utatur rationibus, conventibus et sodalitiis, quibus propositum finem contingat. Ecclesia hanc a Deo habet existentiam, a Statu atque a principibus independentem: quam existentiam ei Status non contulit, neque auferre poterit. Est ergo Ecclesia, catholice sentientibus, societas sui iuris, spiritualis et externa, externis substantiis utens quidem non inhaerens, ea prope ratione qua immortalis anima suum habet corpus, quo vitam agat sibi a Deo praestitutam. Ita sane. Quemadmodum anima membris corporeis spirituales exerit facultates, iisque adolescit, firmatur, scientias atque artes parat; sic Ecclesia quae constat hominibus, hominibus praeficitur, hominum opera utitur ut verbum Dei evangelizetur, rebus temporalibus quasi membris corporeis reficiatur necesse est. Haec Catholicorum mens, communistis et praedonibus exceptis. Christus nihil fixum possederat, qui nec seipsum possedit,

qui vitam carnificibus tradidit: at loculos habebat ex oblationibus fidelium, quos eius aevi scribae et pharisaei nondum nationales loculos appellare didicerant. Sed contra, ex catholico sensu, statim ipso persecutionum tempore, didicerant fideles mobilia et immobilia in perennem Ecclesiae proprietatem conferre. Una saeculorum vox: ius esse fidelibus dandi, Ecclesiae accipiendi, et sic data et accepta in Ecclesiae manere *ditione, proprietate, potestate, patrimonio, dominatione;* invasores vero *furti* et *sacrilegii* arguere: quod in Capitularibus regum Francorum, et perpetua habetur historia. « Scimus (fert *Petitio populi ad imperatorem Carolum Magnum*) res Ecclesiae Deo esse sacratas, scimus eas esse oblationes fidelium et pretia peccatorum. Quapropter si quis eas ab ecclesiis, quibus a fidelibus collatae Deoque sacratae sunt, aufert, sacrilegium procul dubio committit: caecus enim est qui ista non videt 1). » Expressius alia lex Baiuvaiorum: « Nullus eum (qui res suas Ecclesiae offerre velit) prohibeat, non rex, non dux, nec ulla persona habeat potestatem prohibendi ei 2). » Ergo Ecclesiae institutio, quae existentiam et modum existendi immediate habet a lege divina, non a lege civili; eius natura et finis; catholicus deinde populorum sensus, voluntas, libertas; uno verbo, ius naturae, ius gentium, atque summi ipsius Dei, ecclesiasticam firmant proprietatem (*a*).

1) *Capitul. Reg. Franc.* t. I, col. 406.

2) Ibid. col. 95.

X. Invasores non defuerunt, etiam regia fulgentes dignitate. Sed a facto ad ius non tenet illatio: nec fere unquam laudandi in civilibus, qui in Ecclesiam fuere sacrilegi. Sic Chilpericus rex « testamenta quae in Ecclesiam conscripta erant, plerumque disrupit 3): qui ob sua vitia et facta, dictus fuit Nero et Herodes sui saeculi. At paulo post Gutramnus rex « testamenta defunctorum, qui ecclesias haeredes instituerant, et a Chilperico compressa fuerant, restauravit 4) » Pipinus quoque « quantumcumque de rebus ecclesiasticis, quas pater suus abstulerat, potuit, ecclesiis reddere procuravit 5). » Latrocinium fatetur restitutio. Cuius quidem latrocinii, nec populis nec principibus spernendi sunt effectus.

3) Greg. Turon., *Hist. Franc.*, VI, 46.

4) Ibid. VII, 7.

5) *Capitul. Reg. Franc*, tom II, col. 109.

XI. Iam Carolus Magnus in responsione ad *Petitionem po-*

(*a*) Recte igitur, expleta gallica depraedatione quae incaeperat anno 1789, iusto percitus dolore, conquerebatur Bonnaud: « Ainsi fu dépouillée de tous ses domaines, et de toutes ses possessions, sans exception, le clergé de France, malgré une proprieté sanctionée par toutes les puissances de l' univers, par le sacerdoce et l' empire; propriété acquise depuis près de quatorze siècles, et en faveur de laquelle, à défaut de titres, s' ils n' eussent pas existé, militait la prescription la plus autentique dont les annales de la justice fassent mention. Ainsi, après quatorze cents ans de titres et de jouissance, fut pilliée et dévastée l'Eglise Gallicane, contre tous les droits admis par les hommes réunis en société, contre le droit naturel, civil, divin et humain, par une nation qui se disait amie de l' humanité, et qui se glorifiait de son siècle comme du plus éclairé qui ait jamais lui sur les mortels » (Bonnaud, *Rèclamation* etc., 1792).

puli, in generali Wormatiae conventu, anni 803, animadverterat: « Novimus multa regna et reges eorum propterea cecidisse, quia Ecclesias spoliaverunt, resque earum vastaverunt, abstulerunt, alienaverunt, vel diripuerunt, episcopis et sacerdotibus, atque, quod magis est, ecclesiis eorum abstulerunt, et pugnantibus dederunt. Quapropter nec fortes in bello, nec in fide stabiles fuerunt, nec victores extiterunt... Quae omnia vitantes, nec talia facere, nec consentire, nec infantibus aut successoribus nostris exemplum dare volumus, sed quantum valemus et possumus... prohibemus contestamurque ne talia faciant, vel facere volentibus consentiant 1). »

1) *Capitul. Reg. Franc.*, tom. I, col. 411.

XII. Lutherus ipse qui, bonorum ecclesiasticorum depraedatione, principes allexerat, tandem confitebatur: « Comprobat experientia, eos qui ecclesiastica bona ad se traxerunt ob ea tandem depauperari et mendicos fieri. » Aquilae fabulam deinde allegabat, quae ex ara Iovis carnes ipsi immolatas auferens, simul abstulit et carbonem, qui ipsius nidum comsumpsit. Revera, aiebat quidam consiliarius electoris Saxoniae, ad seram poenitentiam adductus: « Nos nobiles coenobiorum opes ad nos traximus: hae autem opes nostras comederunt et consumpserunt, ut neque coenobiales neque nostras amplius habeamus. »

XIII. Iniquissimas Henrici VIII expilationes, et sequentem inde totius regni paupertatem quis ignoret? De illo Sanderus: « Cum tot ac tanti monasteriorum in Anglia thesauri essent, ut eorum vel decima pars etiam avarissimi regis mentem explere potuisset, tamen Henricus cum thesauros ubique omnes, cum omnia sacra vasa, cum omnia praedia, iura et actiones in suam potestatem redegisset; cum praeterea decimas et annatas omnium beneficiorum per universam Angliam exigeret; et adeo cum ipsum plumbum ligna atque lapides monasteriorum ubique venderet; ex eoque debuisset in aeternum omnia civibus suis tributa et vectigalia remississe (id quod se facturum simulabat, ut cives eo libentius in monasteriis evertendis ipsius libidini assensum praeberent), imo cum debuerit quocumque christiani orbis rege, argento praesertim et auro ditior extitisse; tamen adeo in contrarium ea res ex Dei iustissima voluntate cessit, ut multo pauperior intra paucos annos post expilationem istam fuerit, quam unquam ante aut ipse aut maiores eius fuerint: quin ille solus *plura tributa et vectigalia civibus suis imposuit; quam omnes simul reges per quingentos ante annos fecerant* 2). »

2) Sanderus, *de orig. et progressu Schism. Anglic.*, par. I, ad an. 1543.

XIV. Hac ratione, divina agente vel patiente iustitia, regum scelera in populos convertebantur. Nam piae et religiosae proprietates ut fumus evanuerant: interim vero, civium aere, templis et sacerdotibus necessaria solvenda erant. Quid de pauperibus? Ipsorum quoque angustiae et necessitates novo civium aere sublevandae: sed, frigescente charitate, pauperismus tunc primum miserrime ac latissime erupit. Nam cum Henrici VIII

immanitate direptae essent ecclesiae, et religiosae domus deletae, pauperes qui earum pane et pietate nutriebantur, nudi ac famelici plateas urbis impleverant: deinde, pro pane, virgis caedebantur, vel earum domuum ruinis inclusi, ubi antea religiosorum charitas eos fovebat ac solabatur, fame et inedia conficiebantur. Bona scilicet ecclesiastica quae rex usurpaverat, opulentissimorum divitiis nullo vel vilissimo pretio accesserant, indeque bonorum inaequalitate maxime aucta, duplex in regno hominum classis extitit: opulentissimi et pauci; pauperrimi vero et plurimi, quibus quod olim erat charitatis perfugium ademptum fuerat.

XV. Lege Davanzati pressam et efficacissimam schismatis anglicani narrationem; Cobetti Epistolas de Reformatione; necnon Spelmanni Historiam sacrilegiorum. Numquam verius quam in ecclesiarum direptionibus, illa patuit naturae lex: *Male parta, male dilabuntur* (a).

XVI. Si hoc ius Ecclesiae, si haec mala in direptores iaculatur Numen offensum, ergo bona illa tueri pastorum est officium. Qua in re s. Ambrosii agendi rationem eo libentius exponimus, quod magnificos habuerit imitatores. Itaque cum Valentiniani imperatoris nomine ab eo peteretur basilica: « Respondi, inquit, quod erat ordinis: templum Dei a sacerdote tradi non posse... Convenior a comitibus et tribunis dicentibus imperatorem iure suo uti, *eo quod in potestate eius essent omnia*. Respondi, si a me peteret quod meum esset, idest fundum meum, argentum meum; quidvis huiusmodi meum (*bona patrimonialia*), me non refragaturum, quamquam omnia quae mei sunt, essent pauperum: verum ea quae sunt divina (*omnia Deo dicata*) imperatoriae potestati non esse subiecta. Si patrimonium (*meum, non Ecclesiae*) petitur, invadite: si corpus, occurram. Vultis in vincula rapere? vultis in mortem? Voluptati mihi est. Non ego vallabor circumfusione populorum, nec altaria tenebo vitam obsecrans, sed pro altaribus gratius immolabor... Mandatur denique: trade basilicam. Respondeo: Nec mihi fas est tradere; nec tibi accipere, imperator, expedit. Domum privati nullo potes iure temerare; domum Dei existimas auferendam? Allegatur *imperatori licere omnia, ipsius esse universa*. Respondeo: Noli te gravare, imperator, ut putes te in ea quae divina sunt (*quaecumque sacra*) imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere, *sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus*. Scriptum est: Quae Dei Deo, quae

(a) Sacrilegae huius direptionis consectaria generatim perstringebat « De Rastignac; 1. « L'anéantissement ou l'affaiblissement déplorable de la religion: 2. de grands préjudices pour la vertu, les moeurs, les sciences, les belles-lettres et les arts; 3. l'incertitude dans toutes les propriétés; 4. la diminution de la confiance due aux décrets de l'Assemblée nationale; 5. des malheurs réels pour les provinces, une foule de villes, et presque toutes les campagnes » (*Questions* etc., p. 143, an. 1789). Vera nimis! Sed quid praedoni ad victimam?

Caesaris Caesari. Ad imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem ecclesiae. Publicorum tibi moenium ius commissum est, non sacrorum. » Quoniam vero pro Arianis basilica expetebatur, regerit Ambrosius: « Iterum dicitur mandasse imperatorem: Debeo et ego unam basilicam habere. Respondi: Non tibi licet illam habere. Quid tibi cum adultera? Adultera est enim, quae non est legitimo Christi coniugio copulata (*Arianorum societas* 1). »

1) *Epist.* XX, n. 2, 8, 19. Vide *Ser. contra Auxentium*, *de Basilicis*, n. 1, 5, 17, 18, 33.

XVII. Secernit diligenter sanctus Mediolanensium episcopus, quae sua sunt, *fundum meum*, *argentum meum*, corpus ipsum, quae invasoribus permittit, *invadite*; ab iis quae divina sunt, templa, cum de illis ageretur, et sacra illis quoquomodo inservientia. Pro universis enim tuendis, invictus martyr, sub Henrico II Angliae rege, occubuit Thomas Cantuariensis episcopus, cuius egregiam efferens animi fortitudinem Bossuetus exclamat: « Mira iniquitas, quae exuvias fert de Ecclesia, regum Regi desponsata, quia inermis et peregrina. Deus causam eius suscipiet, inexorabilis vindex in eos qui in arcam eius foederis manum audent inferre... O reges, omnia Deo dicata, vestra sint tuta patrocinio: non solum *personae*, sed *loca* et *bona*, eius, impendenda servitio. Tuemini Ecclesiae bona, quae pauperum sunt patrimonia. Heliodori mementote, et brachii quo attritus ille fuit, qui attriverat bona templo commendata. Quanto ergo magis bona observanda sunt, non solum Ecclesiis commendata sed tradita? 2). »

2) *Panegyr. de s. Thom. de Cantorb.*, I par. *Politiq.* lib. VII a. 3, prop. 8.

XVIII. Si regibus assentiantur sacerdotes, dicuntur in tyrannide colligati; rebelles autem, si pro veritate reluctantur, eosque, ut s. Thomas Cantuariensis, in regnum et publicam quietem moliri. Falsum utrumque. Pacem diligunt cum aequitate, venerantur auctoritatem, nemini assentantur, Deo et politicis rectoribus parent; verum Deo potius quam hominibus obsequuntur; tuentur quae Dei sunt, neminem aggrediuntur, nunquam alienum, sed, si necesse sit, suum sanguinem fundunt. Utinam sacerdotum accusatores hanc discerent fortitudinem cum mansuetudine!

XIX. Quum efficax atque iuridica defensio modos omnes amplectatur, quos tutor in sua habeat potestate; sacrorum autem bonorum tutores sint Ecclesiae praesules; hi suo deesseut officio, nisi ea spiritualibus poenis tuerentur. Hinc Tridentinum: « Si quem clericorum vel laicorum, quacumque is dignitate etiam imperiali aut regali praefulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicuius Ecclesiae, seu cuiusvis saecularis vel regularis beneficii, Montium pietatis, aliorumque piorum locorum iurisdictiones, bona, census ac iura, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones, quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, per se vel alios, vi vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas clericorum aut laicorum, seu quacumque arte, aut quocumque quae-

sito colore in proprios usus convertere, illosque usurpare praesumpserit, seu impedire ne ab iis ad quos iure pertinent, percipiantur; is anathemati tamdiu subiaceat, quamdiu iurisdictiones, bona, res, iura, fructus et reditus quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione suppositae personae, pervenerint, Ecclesiae cuiusque administratori, sive beneficiato integre restituerit; ac deinde a Romano Pontifice absolutionem obtinuerit 1). »

1) Sess. XXII, c. II, *de Ref.*

XX. Antiquitatis vocem repetebant Tridentini Patres, quae apud universas catholicas gentes insonuerat : *poenis sacrilegii subiaceat; Dei iudicium incurrat et excommunicationem Sanctae Ecclesiae* etc., ut videre est in Capitularibus aliisque legibus. Nihil aequius, quam ut perfecta quaelibet societas, se inditis sibi viribus tueatur: nervus autem Ecclesiae est excommunicatio, seu a fidelium corpore et iuribus abscissio. Rident aliqui, non Napoleone fortiores, neque forte feliciores. Qui cum amare subridens dixisset : « Non mihi excommunicatio arma deiiciet e manibus »; arma e militum brachiis, frigore rigescentibus, deiecta, seque e trono deiectum aspexit. Divina adhuc latet vis in anathemate, quam gentes iure contremiscunt (*a*).

XXI. Igitur nihil est quod in proprietate ecclesiastica iureconsultus vel legislator ultra desideret. Naturali quidem iure omnes religiosam societatem ineunt: ergo naturali quoque iure necessaria ad eius finem in commune conferunt; atque adeo in perpetuum eius peculium, quum perpetua sit eius institutio. Divinitus autem instituta religio, non eo privatur iure necessaria sibi providendi, quo naturalis ipsa religio potitur. Quum discretae sint potestantes ecclesiastica et civilis, qui dixerit bona ecclesiastica esse bona nationalia, hic sane non minus desipiet quam

(*a*) Neque inclemens Ecclesia, quae necessitate minatur et ferit, ut sacrilegia amoveantur ; deinde vero sanat, cedens iuri suo. Hinc Concordatum Pii VII, anno 1801 initum cum Galliae imperatore; et aliud Pii IX, anni 1851 cum Hispaniarum gubernio. Quid enim aget quispiam cum peiora timenda sint, nisi abrepta dimittantur ? « Nous avons appris d'une personne respectable, qui le tient de la bouche même de ce vénérable Pontife (Pie VII) que la menace de séparer la France du St. Siège lui étoit faite par celui qui alors gouvernait despotiquement ce pays et presque l'Europe entière, s'il ne consentait à renoncer, au nom de l' Eglise aux biens ecclésiastiques aliénés a cette époque » (*Journ. his. et litt.* de Liége, 1. août 1834). Quid deinde de tot animarum salute, quas certe temporalibus divitiis praefert Ecclesia ? Videant tamen direptionum auctores qui hanc Ecclesiae necessitatem imponunt. Interim vero certum est, antequam Ecclesia suo cedat iuri, Pontificum nomine et auctoritate, ementes bona pia, non magis eorum dominium acquirere, quam si bona direpta a furibus emissent.

Hae cessiones a Romanis Pontificibus peractae per concordata, probant iure publico Catholicorum ratum firmumque esse, utcumque dominium rerum ecclesiasticarum penes particulares ecclesias vel sodalitates maneat, irritas tamen esse earumdem alienationes sine praevia Pontificis auctoritate. Quod sacrarum rerum postulat natura, ecclesiasticus ordo, testatorumque ius atque securitas.

si dixerit mea esse sua. Si catholicus sis, Ecclesiae et Numinis fulmina pavebis; si saltem homo, pauperum misereberis; si rapax et sacrilegus, invade, sed Antiochi et Heliodori crimina, et forte poenas non effugies.

TITULUS XI.

COMMUNISMI LEGALIS ET POLITICI INSTITUTIO.

I. Napoleonis sententia. II. Violata in uno proprietas, corruit in universis. III. Communismus legalis apud Gallos atque Italos. IV. Inde popularis communismus theoretice, V. et in factis. VI. Stipendiorum iniusta promissio et fraudulenta. VII. Comitis de Mirabeau sophistica argumentatio. VIII. Principum donationes, nec gratuitae, nec rescindendae. IX. Corpora moralia in plena esse legis potestate dictitant rabulae. X. Favet veterum despotismus et Protestantismus. XI. Sed collectiva proprietas iura refert singulorum. XII. In corpora moralia nihil ultra ius politicum. XIII. Ecclesiae divinum ius existendi et possidendi. XIV. Servilis admodum, nec plene catholica iurisconsultorum doctrina. XV. Monstrum fiscus, bona vacantia sibi devorans. XVI. Suam Protestantes Ecclesiam opibus fulcire, Catholici diripere ac denundare student. XVII. Catholicorum et Protestantium comparatio. XVIII. Obiecta. XIX. Bona sacra, ex iure divino et naturali, frustra alienantur a laica potestate. XX. Ipsa tuta sunt Ecclesiae patrocinio, iure naturae et populorum. XXI. Nec commercia deficient. XXII. Conclusio.

I. Aiebat gallicus imperator: « Sacra res et inviolabilis est proprietas. Ipse ego Napoleo, invictis praecinctus exercitibus, agellum ad me trahere nequirem: nam QUI IUS PROPRIETATIS IN UNO VIOLAT, IN OMNIBUS VIOLAT 1). » Verissime: idem enim ius in uno, quod in omnibus; eoque semel publica lege subverso, in omnibus subvertetur. Haec ille imperator qui non traxit agellum sed regna, aequitatem in dictis proferens, iniustitiam in factis.

1) *Séance du conseil d'État*, 18 Sept. 1809.

II. Revera, quum omnes proprietates unius sint generis, unoque naturali iure nitantur, ea die universalis proprietas interibit, qua respublica domum vel agrum, cuiusque sit, iure dominii sibi adscripserit. Illa die, Babylonica vel Aegyptiaca instaurabitur captivitas, vel servilis Graecorum doctrina de supremo imperii in res civium dominio. Aliis verbis, hic est legalis ille et politicus communismus, quem novi populorum dominatores, postquam in Ecclesiae auctoritatem protestati fuerant, in universam protestantes societatem, instituere aggressi sunt. Primum ecclesiastica, deinde civilis societas in iudicium vocabatur.

III. Fulmine hoc tacta primum Gallia, anno 1789; Italia vero, anno 1849: ubique in Ecclesiam et in societatem, eadem

inita coniuratione. Aliquo tamen discrimine: nam in comitiis gallicis diei 2 novembris anni 1789, communi quodam horrore, reiecta sententia, quae *bona Ecclesiae ad Statum pertinere* dictaverat; tunc, Mirabeau agente, *ad nutum Status*, affirmabantur: verba mitiora, res eadem. Audentius autem, die 10 februarii anni 1849, quidam in Romanis disserebat comitiis: *Considerando che il possesso dei beni stabili nelle mani morte è dannoso alla prosperità dello stato; Considerando che il profitto dei beni suddetti in alcune corporazioni, non più serve (per variare dei tempi) al fine speciale cui fu destinato* ecc. Statimque, die 21 eiusdem mensis, lex ferebatur: *Tutti i beni ecclesiastici dello Stato Romano sono dichiarati* PROPRIETÀ DELLO STATO. *La Republica Romana doterà convenientemente i ministri del culto* (a). Quid mirum, si regiam usurpantes auctoritatem, privatorum quoque iura pertraherent? Haec omnium seditionum initia et finis: primo auctoritatem rapere, deinde proprietatem. Lege coniurationem Catilinae apud Sallustium, in qua omnium habes coniuratorum ingenium et exemplar. Aliis Italiae plagis cum similia aliqua peragerentur, Communismus legibus instituebatur.

IV. Finge enim populum, cuius nomine et imperio, ut illi aiebant, proprietas ecclesiastica abradebatur, quadam die, initis per seipsum comitiis, decrevisse: *Nos, maior populi pars, Considerantes* MANUS MORTUAS *in societate esse manus divitum, quae ut nostrae non occallescunt; Considerantes, bona immobilia his manibus coacervata, Status prosperitati esse nocitura; Considerantes, fructus huiusmodi bonorum non amplius inservire hominum aequalitati, ad quem finem omnia natura instituta sunt;* DECERNIMUS UT INTER OMNES AEQUALITER DIVIDANTUR. Quid ad haec? Tam horrendo plebiscito nec deesset auctoritas, populari imperio constituto; nec logica vis, posito coniuratorum principio.

V. Scilicet, proprietate ecclesiastica in tanta societatis parte e naturali sede revulsa, ius proprietatis in tota ruebat societate. Communismi ius, legis nomine et auctoritate instituebatur. Neque illogica plebs: rapinas atque atrocissima scelera, quae legem gallicam sequebantur, annis praesertim 1792 et 1793, nullus ignorat; a nobis, Dei providentia avertit. Recte igitur, anno 1849, Proudhon, sincerissimus Communistarum dux, ita ar-

(a) Viri *manus mortuae* sunt omnes congregationes quae quum sibi perpetuo constent, nulla in earum bonis fit dominii translatio, mortis causa: uti ecclesiae, hospitalia, collegia, universitates etc. Ecclesiasticis tamen viris, non sine ignominiae cuiusdam specie, nomen illud infligitur quasi societati mortui sint, nihilque boni agant. Qua ratione, et Communistae nunc divites *manus mortuas* appellant: nec, posito principio, male ratiocinantur.

Irruente gallica alterius saeculi perturbatione, bona hospitalium, quorum reditus fere triginta libellarum miliones attigerant, declarata fuerunt nationalia, hocque titulo divendita. Praecellens hic *populi amor*, quo seditionum magistri pariter et ubique glorianturl

guebat gallicos iureconsultos, philosophos et legumlatores: « Parentes vestri templa et religiosas domus depeculati sunt; vos doctrinis vestris confirmastis, factum in ius transtulistis. Et tamen ea bona Deo et pauperibus impendebantur. Ergo a fortiori eidem populo ius conscribite in bona vestra, o divites. Nec dicite, sacerdotes quos expilastis, suis quondam bonis male usos esse: nam argumenti acies in vos ipsos retorquetur. » Cum, quos perdere vult Deus, prius dementet, alienorum deliramenta non pauci in Italiae finibus excitaverant.

VI. Aiebat quidem lex: *La Republica Romana doterà convenientemente i ministri del culto.* Esto. Sed patitur ne iustitia ut quis re sua privetur, ut inde aere publico alatur? Imo hic totum Socialistarum systema continetur, qui omnium divitias in imperium conferendas decernunt, ut omnes deinde cives, sicut Lacedaemonum pueri, in dies accipiant quo alantur et tegantur. Sed verba sunt, quaeque habenda sit fides aliena diripientibus, facta prodiderunt. Pro pensionibus, in Gallia, schismatico oblato iureiurando, carcere vel exilio vel morte ipsa, renuentes multabantur (*a*). Ceterum, stipendia accepturi, Ecclesiae ministri Statui manciparentur, populus vero novis adhuc vectigalibus premeretur. Sed exadverso maiores nostri, ne Caesarum mancipiis pro fidei ministris uterentur, fixas Ecclesiae proprietates adscripserant; eoque pariter consilio, et pauperibus providerent, se suosque sacrorum impensis levarent. Iamvero quae truculenta iustitia est, templa et pauperes denudare, perfringere testatorum voluntates, eorumque successores novis impendiis onerare?

VII. Sunt tamen sua his barbaris sophismata, ab Honorato Gabriele de Mirabeau hoc dilemmate comprehensa: « Bona haec vel a regibus vel a privatis largita sunt. Si a regibus, ergo ad

(*a*) Neque hoc solum, sed cum pluries constitutum fuisset, ut die 2 novembris 1789, et 27 iunii 1793: *le traitement des ecclésiastiques fait partie de la dette publique*; die 22 augusti 1795, constituebatur: *Nul ne peut être forcé de contribuer aux dépenses d'aucun culte.* Est, praedonum versutia; pensiones pro bonis promittere; schismaticum addere iusiurandum, ne accipiantur; deinde ipsas pensiones denegare. His veluti gradibus magnum illud implebatur latrocinium, quod nulla aetas Barbarorum viderat. A quibus vero? A corruptissimis, quos sic mitissimus Affre, charitatis martyr, descripserat; « Ces hommes étaient les plus ardents, les plus inquiets, les plus audacieux, les plus corrumpus d'esprit et de coeur que possédât la France a cette premiére époque de sa fermentation et de son délire. Au-dessus d'eux planait un Mirabeau, un évêque apostat, les deux instigateurs de la spoliation, ses deux auteurs réels, puisque l'un la proposa, et l'autre la fit adopter par son talent; deux hommes que nous n'avons pas besoin de juger » (*De la proprieté* etc. c. 2, §. 6, p. 66). Deinde foediora adhuc nomina: Robespierre, Couthon, Saint-Juste etc. Eos nimirum adversarios habuit proprietas ecclesiastica, quibus nihil sacrum in societate, neque homo, neque Deus. Causas quibus permovebantur affert D. Affre (Ibid. p. 68, 69). Potissima, cleri odium et Ecclesiae: *Il importait de satisfaire notre haine philosophique contre le clergé*; hanc decreti gallici causam indicabat Bergasse, qui contra illud vehementer protestatus est.

nationem pertinent, sive ad populum qui tandem regiae dignitati successit. Si a privatis, scire ii tenebantur, entia moralia possidere nihil posse, nisi publica auctoritate, eoque modo vel tempore quod reipublicae placitum foret. Undecumque autem, abrogatis iis corporibus, et eorum iura abrogantur 1). »

1) Vide: *Acount Monitour*, p. CXLIV, CLIII.

VIII. Prima dilemmatis pars multiplici vitio laborat. Nam 1. regibus absurdam donandi simul et rapiendi facultatem impertitur, qua admissa, et privati cives rite expoliari possent, si quid olim a principibus quocumque remunerationis titulo accepissent. Imo ex eodem principio illa prodierat iureconsultorum schola, quae cum Galland regibus universorum quae in Statu sunt dominium asseruerat, quod a regibus concessa praesumantur, nisi possessores contrarium evincant. Egregiae nimirum rabularum et communistarum deliciae!

2. Supponit totam regum potestatem, nec modo absolutam sed tyrannicam, in populares dominationes transfusam iri. Quae perpetua est novorum arrogantia et contradictio. Ad quid enim popularia regimina, si eorum gubernatores se regum heredes, eiusdemque potestatis successores iactitant?

3. Si quae a regibus, a maiori scilicet potestate peracta sunt, nunc irrita iacent, quid erit validum aut firmum in societate?

4. Plures regum largitiones, licet ex bonis publicis, non erant gratuitae, et consequenter nec revocandae.

5. Saepius adhuc erant ex bonis privatis; ut historica testantur diplomata, ideoque iis titulis suffultae quibus privatorum pacta firmantur.

IX. Speciosior altera dilemmatis pars, quippe forensium rabularum suffragiis innixa: Corpora moralia, et consequenter Ecclesiae coetus vel pia loca, nonnisi ex reipublicae concessione ius habere existendi et possidendi; ideoque reipublicae nutu solvenda, eorumque bona, nulla obstante privatorum voluntate, in rempublicam devolvenda.

X. Huius opinionis duplex origo. Prima, ex antiqua Orientalium, Graecorum et Romanorum doctrina, qui res, homines, hominumque aggregationes, in imperantium quasi domesticam proprietatem redigebant. Altera est ius Protestantium, ex quo cum unum sit Ecclesiae et Imperii caput, sive vir sive foemina; eidem capiti, levissima cavillatione, Ecclesiae res et dogmata subiiciebantur. Quod ius, cum catholicos alliceret imperantes, in iurisperitorum placita facillime irrepserat.

XI. Sed contra, 1. naturale ius res nostras possidendi, distrahendi, testandi, vel in commune conferendi, iam demonstravimus. Si negas, proprietatem contra naturam coarctas vel scindis: communis enim proprietas constat ex iuribus singulorum; neque illam aggrederis, quin singulorum pariter iura extirpes qui rem suam communem effecerant.

XII. 2. Habeat homines a natura ut, coniunctis viribus et proprietatibus, in bonum finem nitantur. Ergo corpora moralia cum suis proprietatibus, vim existendi primo hauriunt, a naturali hominum libertate. Incauti illi iurisperiti, contendentes corpora moralia nullam nisi a lege existentiam habere, ius *politicum* cum naturali proprietatis iure confundunt. Ius politicum, hac in re, est ius inspectionis et vigilantiae, ne quid detrimenti capiat respublica: nihil ultra. Nam corpora moralia dum instituuntur, non a republica instituuntur sed ab iisdem membris quae aggregationem illam constituunt, quaeque nihil aliud postulant nisi ut communi protectionis iure, quo gaudent omnes cives, et ipsi utantur. Quod non privilegii sed iuris communis loco habendum est: quibusque enim licitum, communi suffragio, in communem finem incumbere.

XIII. 3. Dum Ecclesiae coetus et aggregationes, imperantium arbitrio subdunt iurisperiti, angustam nimis, et protestantium more iniquam Ecclesiae aestimationem praeseferunt. Nam, ut vidimus, posita divina Ecclesiae institutione, e vestigio sequitur plena se regendi independentia, docendi nimirum, evangelizandi, mores componendi, conscientias gubernandi, consilia evangelica expromendi. Haec omnia aggregationes, militiam spiritualem, leges, disciplinam expostulant. Quis praecidebit? Ille certo, cui religionis summa demandata sit, pontifex non imperator. Nam, discreta religione ab imperio, et iura discreta censentur. Auctoritas duplex: spiritualia uni, alteri temporalia ac civilia concredita sunt. Ergo religiosos conventus facere, legibus aut votis ligare, necessaria ad temporalem vitam providere, sine qua nec est vita spiritualis, aliaque perficere quae religiosam populorum respiciant utilitatem; haec omnia ecclesiastico iure continentur.

XIV. 4. Non miramur haec Protestantibus invisa fuisse, qui spiritualem suae gentis libertatem imperantium arbitrio subegerant. Miramur autem catholicos magistratus, exosam Protestantium tyrannidem in Ecclesiam, in vota religiosa, in pias proprietates, imitari non puduisse. Quae tyrannis in cives exercetur, quum et cives sint quorum religiosa vitae consuetudo vel vetatur vel solvitur, qui torquentur et diripiuntur. Miramur tyrannidem, libertatis nomine invectam, dumque fraternitatis et tolerantiae nomina ubique resonant, Catholicae Ecclesiae, suis disciplinis, moribus, legibus et proprietatibus interdici. Sed miramur maxime ac dolemus, latam iureconsultorum scholam, modo regum modo plebis despotismo faventem, tantum libertatis excidium suis tuitam esse doctrinis et patrocinio.

XV. 5. Quae etsi ingenuae libertatis amatoribus lugenda sint, miserabilius adhuc quod rabulae addunt cum Mirabeau: Dissolutis Ecclesiae coetibus, eorum bona, veluti *vacantia*, fi-

immanitate direptae essent ecclesiae, et religiosae domus deletae, pauperes qui earum pane et pietate nutriebantur, nudi ac famelici plateas urbis impleverant: deinde, pro pane, virgis caedebantur, vel earum domuum ruinis inclusi, ubi antea religiosorum charitas eos fovebat ac solabatur, fame et inedia conficiebantur. Bona scilicet ecclesiastica quae rex usurpaverat, opulentissimorum divitiis nullo vel vilissimo pretio accesserant, indeque bonorum inaequalitate maxime aucta, duplex in regno hominum classis extitit: opulentissimi et pauci; pauperrimi vero et plurimi, quibus quod olim erat charitatis perfugium ademptum fuerat.

XV. Lege Davanzati pressam et efficacissimam schismatis anglicani narrationem; Cobetti Epistolas de Reformatione; necnon Spelmanni Historiam sacrilegiorum. Numquam verius quam in ecclesiarum direptionibus, illa patuit naturae lex: *Male parta, male dilabuntur* (a).

XVI. Si hoc ius Ecclesiae, si haec mala in direptores iaculatur Numen offensum, ergo bona illa tueri pastorum est officium. Qua in re s. Ambrosii agendi rationem eo libentius exponimus, quod magnificos habuerit imitatores. Itaque cum Valentiniani imperatoris nomine ab eo peteretur basilica: « Respondi, inquit, quod erat ordinis: templum Dei a sacerdote tradi non posse... Convenior a comitibus et tribunis dicentibus imperatorem iure suo uti, *eo quod in potestate eius essent omnia*. Respondi, si a me peteret quod meum esset, idest fundum meum, argentum meum; quidvis huiusmodi meum (*bona patrimonialia*), me non refragaturum, quamquam omnia quae mei sunt, essent pauperum: verum ea quae sunt divina (*omnia Deo dicata*) imperatoriae potestati non esse subiecta. Si patrimonium (*meum, non Ecclesiae*) petitur, invadite: si corpus, occurram. Vultis in vincula rapere? vultis in mortem? Voluptati mihi est. Non ego vallabor circumfusione populorum, nec altaria tenebo vitam obsecrans, sed pro altaribus gratius immolabor... Mandatur denique: trade basilicam. Respondeo: Nec mihi fas est tradere; nec tibi accipere, imperator, expedit. Domum privati nullo potes iure temerare; domum Dei existimas auferendam? Allegatur *imperatori licere omnia, ipsius esse universa*. Respondeo: Noli te gravare, imperator, ut putes te in ea quae divina sunt (*quaecumque sacra*) imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere, *sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus*. Scriptum est: Quae Dei Deo, quae

(a) Sacrilegae huius direptionis consectaria generatim perstringebat De Rastignac; 1. « L'anéantissement ou l'affaiblissement deplorable de la religion: 2. de grands préjudices pour la vertu, les moeurs, les sciences, les belles-lettres et les arts; 3. l'incertitude dans toutes les propriétés; 4. la diminution de la confiance due aux décrets de l'Assemblée nationale; 5. des malheurs réels pour les provinces, une foule de villes, et presque toutes les campagnes » (*Questions* etc., p. 143, an. 1789). Vera nimis! Sed quid praedoni ad victimam?

que moderatores, eam opibus minuere atque ad incitas redigere satagentes.

XVII. Hactenus in uno omnia expilatorum sophismata revulsa sunt. Superest, quandoque Ecclesiae bona neque regum neque privatorum esse dona, sed laborum fructus, interdum longa et ardua parsimonia congestos vel adauctos. Si enim licet Protestantium pastoribus ingentes beneficiorum fructus filiis scribere vel uxoribus; Catholicis sacerdotibus non licet, ipsis Ecclesiam pro sponsa, pauperes pro filiis habentibus; ad hoc quoque sapientissima, simulque humanissima caelibatus lege constituta (*a*). Hinc, Ecclesiae viris a saeculi ludis et sumptibus exsolutis, magnum, ut Tullius inquiebat, vectigal est parsimonia. Sed, en coniuratorum turbinem, qui ut seditionem alant, sociorumque cupido ori offam iniiciant, fidelium voluntates et cineres turbant, privata et publica iura excindunt, unoque die plurium saeculorum labores absumunt. Si haec humanitas est, nec ineunda erat societas, nec Barbarorum tenebrae unquam erant expellendae.

XVI. Tandem, ne quid in gravissima quaestione intactum relinquamus, nobis reponunt oeconomistae: Est modus in rebus: ergo si bona exuberent ecclesiastica, nonne erunt civili auctoritate minuenda? Vel si communis urgeat necessitas, nonne ex iis reipublicae succurrendum? Vel demum si iaceant commercia, nonne in commercium erunt revocanda?

XIX. Respondemus ad 1. - Pagani ipsi intellexerunt, bona Numini consecrata, sine Numinis vel sacerdotum interventu, nunquam esse alienanda, vel in communem usum reversura: cuius rei insigne argumentum habet Cicero 1); aliud au-

1) *Pro domo sua.*

(*a*) « Dum haec conscribimus, ait Martin-Doisy, publice relatum invenimus: - Quindecim annorum spatio, tres in Anglia defuncti sunt episcopi, filiis relinquentes summam libellarum septemdecim milionum cum dimidio (libella est fere quinta pars scuti romani). Eiusdem regionis pauperibus officialia documenta comprobaverant, vigintiquatuor episcopos, viginti annorum spatio vita functos, hereditatem quadraginta milionum, in bonis immobilibus, ideoque mobilibus exceptis, filiis demandasse! » (MARTIN-DOISY, *Hist. de la charité, pendant les quatre premiers siècles de l'ère chrét.*, tit. I. ch. 4, n. 3). Nemo tamen ex catholicis, protestantium ecclesiarum divitias carpit, sed Ecclesiae catholicae. Quid est hoc? Sed *crescit eundo.* Vide *Tablet*, diarium anglicanum, sub die 6 dec. 1851: ubi a decem episcopis protestantibus infelicissimae Hiberniae, hereditates successoribus filiis vel coniugibus relictae conspiciuntur, ad summam fere quinquaginta milionum. Interim Hiberniae Catholici frequentissime emigrant, vel fame miserrime occumbunt. Ne haec inter Catholicos fiant, vetat 1. bonorum ecclesiasticorum parcitas; 2. lex caelibatus sanctissima; 3. lex Ecclesiae et testatorum voluntas, quibus bona ecclesiastica *Christi et pauperum patrimonia* constituuntur. Quum vero bona protestantium ecclesiarum, a Catholicis quoque, cum nondum exorti essent Protestantes, relicta sint; certissime eadem lege afficiuntur, ut non in uxores vel filios, sed quae supersunt in pauperes conferantur. Quod si factum esset, neque tam ingenti pauperismo Britannia ipsa, neque Hibernia tam diris cruciatibus et funeribus vastaretur.

tem est argumentum, quod, quibus gratificari vellent Romani, non templorum redditus, sed sacerdotia simul et redditus conferrent 1). Ergo bona sacra, ex commercio et ex reipublicae voluntate atque imperio excesserant. Ex quo principio apud omnes christianas gentes ius invaluerat, ut sine Ecclesiae assensu bona pia vel a regibus frustra alienarentur: non ex gratuita legum benignitate, sed naturali et divino iure ita dictante. Nec refert, principes moderatores esse rerum temporalium: sunt enim non indefinite, sed limitibus ab ipsa rerum natura praescriptis; neque ipsi humanam condidere societatem, sed a Deo conditam acceperunt, praefinitis conditionibus et legibus regendam. Itaque si minuendae sint res Deo sacrae, vel fines immutandi, non sine sacerdotali perficiendum est auctoritate.

1) Hnips lib. tit. VII, §. XII.

XX. Hinc responsio patet ad 2. - Sapiens antiquitas, Dei et pauperum bona, in imperantium vel Status exaggeratas necessitates, Ecclesiae auctoritate communiverat. Quod, si iure naturali divino provisum non esset, inveniendum fuisset iure populorum. Certe hoc ius obtinuisse non suspecta probant testimonia. Nam, dum reges Galliae impensius quam ceteri, coronae iura, uti appellabant, Pontificibus disputarent; bona tamen ecclesiastica, nequidem urgente publica necessitate, inconsulta Sancta Sede, alienaverant. Quod iuris publici fundamentum, utraque iurisprudentia civili et canonica, tum historicis constat documentis (*a*). Publica enim expropriatio, contra testatorum voluntatem et ius acquisitum, nonnisi competenti fieri potest auctoritate: quae, ex iure naturae et gentium, in rebus sacris, est sacris ipsis praesidens auctoritas, seu religiosa et ecclesiastica. Non ergo absolute inalienabilia ea bona, sed Ecclesiae fidei et auctoritati a testatoribus commendata, ne praedonum unguibus pateant, quacumque ipsi fulgeant dignitate. Ecclesiae autem humanitatis sive in concedendo sive in sanando,

(*a*) Pro iurisprudentia civili habes D' Héricourt : « Les subventions que l' Eglise a accordées à nos rois dans les besoins pressant de l' État ont quelquefois donné lieu à des aliénations de biens ecclesiastiques *que les Souverains Pontifes ont autorisées* » D' Héric. , *Lois ecclésiastiques*, par. IV, c. 7.).

Pro iurisprudentia canonica habes Fleury· « Les aliénations générales qui se firent dans le XVI siècle pour les necessités de l'État *se firent toutes [par autorité du Pape* , et eurent des formalités particulières que l'on peut voir dans les Memoires du Clergé » (Fleury, *Instit. au Droit eccles.*, part. II, c. 12).

Pro historicis sufficiat Garnier, loquens de Carolo IX, ad annum 1563: « Instruit qu' un ancien usage exigeait qu' il commençât par s' assurer du consentement du Pape et du Clergé, il avait adressé des ambassadeurs à Rome et à Trente, où il ne faisait aucun doute que sa demande ne fût favorablement accueillie » (Garnier, *Hist. de France contin. de Velly*, t. XXX. p. 368).

Deinde Concordata adsunt catholicarum gentium cum Sancta Sede , sacrorum alienationem vel conversionem permittente : quorum vim nemo infringet, quin primo religionem cum naturali honestate non abiecerit.

plenissimae sunt populorum historiae. Et sane, quae argentea et aurea vasa confregerat ut pauperum adesset necessitatibus, quomodo populis immisericors foret ? Hoc unum postulat : ne imperantium luxui vel coniuratorum nequitiis, ipsa ex pauperum patrimonio impensas facere cogatur.

XXI. Ad 3. — Petimus ab adversariis, num commercia defecerint apud Anglos, quorum opulentissimae sunt ecclesiae. Itaque pueriliter obiicitur quod tanta facilitate diluitur. Nonne bona Ecclesiae excoluntur, fructusque ferunt, qui in hominum et praesertim in pauperum usum impenduntur? Nonne in tam modica sunt quantitate, ut acquirendi et paciscendi industria in aliis liberrime exerceatur? Dumque in humanis vicissitudinibus ingens semper miserorum erit numerus, nonne aequum et pium est ut ipsis stabile pateat effugium ? Quis adeo iniquus ut iis patrimonium praeripiat, quod christiana charitas iis cum Christo fecerat commune? Demum, eadem cavillatio, nempe ut possidendi libertas et commercia ad plures extendantur, nonne eo impellet ut divitum firma et opulenta patrimonia scindantur, et in magnum latrocinium societas convertatur?

XXII. Rem breviter conficiamus. Mali olim reges, et peiores deinde populares regnorum administratores, vitiis et cupiditatibus absumpto aere publico, sacras proprietates iis cavillationibus aggressi sunt, quibus nunc Communistae divitum proprietates aggrediuntur. Verissima itaque recurrit sententia: vel ubique constat, vel ubique corruit. Distinctio inter corpora moralia, ideoque licite expilanda, et privatos divites, ideoque non expilandos, sophistica est, nec amplius divites tuetur aut iuvat. Nam et familiae moralia corpora constituunt; et divites, aiunt Communistae, extra plebem sunt, et in societate corpus quoddam vel classem constituunt. Iniqui in naturam et societatem, fateor: sed insontes ne qui doctrinis et factis, eorum iniquitati et vesaniae praecurrerunt? (*a*)

(*a*) Ecclesiasticae proprietati, variis temporibus, sui non defuerunt defensores. 1. Altero saeculo, Italiam pervadentibus iansenisticis et gallicanis opinionibus, eruditissimum opus evulgabat MAMACHI *Del diritto libero della Chiesa di acquistare e di possedere beni temporali, si mobili che stabili*, libri III, 5 vol. in 8, 1769-70. 2. Irrumpente gallica perturbatione anni 1789, inter alia prodierunt: *Questions sur la Proprieté des biens fonds ecclesiastiques en France par l'abbé* DE CHAPT DE RASTIGNAC, 1789; *Rèclamation pour l'Eglise Gallicane contre l'invasion des biens ecclesiastiques*, 1792, auctore BONNAUD. 3. Anno 1817, cum alienanda essent bona ecclesiastica quae supererant, prodiit: *Rèclamation en faveur de l'Eglise de France*, auctore CLAUSEL DE MONTALT. 4. Cum ageretur de palatio archiepiscopali Parisiensi, universam questionem amplexus est AFFRE, postea parisiensis archiepiscopus et martyr: *Traitè de la Proprietè des biens ecclesiastiques*, 1837, cum epigraphe: « Res clamat domino suo. » Hoc nempe erat ius. Sed quodnam servat ius philosophia tenens sceptra ?

TITULUS XII.

DE IURE NATURALI ET CIVILI IN DOMINIO ACQUIRENDO VEL RETINENDO.

I. Quid dominium. II. Imperanti, non dominium, sed *ius politicum* asseritur. III. Hinc leges quae proprietatem et pacta tueantur. IV. Divisio dominii. V. Eius modi. VI. Iniqua occupatio bellica apud Romanos VII. Novum belli ius, ad restauratae naturae aequitatem. VIII. Corollaria. IX. Grotii laus. X. Ex iure naturae rerum *occupatio*, earumque *traditio* per pacta. XI. Pacta naturalia civili iure firmantur; XII. ex gentium utilitate et aequitate. XIII. Formularum ferrea et iniqua vis apud Romanos: XIV. quae in sequentem irrepsit iurisprudentiam. XV. Lex irritans, civilem ne et naturalem aufert obligationem? XVI. Negant aliqui, ubi nulla fraus intercesserit. XVII. Contra, plena irritandi facultate recte utitur potestas civilis et ecclesiastica. XVIII. Quid de testamentis? XIX. A nimio formulismo caveat legislator; iureconsulti et magistratus cum legis littera adhibeant aequitatem. XX. Naturalis aequitas suffragare videtur, usquedum pars altera civili iure sibi consulat.

I. Ex proprietate dominium, quo proprietatis iura exercentur. Definitur: *Plena vel semiplena de re disponendi facultas.* Addunt: *nisi lex obsistat.* Limitatio haec non displicet Communistis, qui dominium ex legis concessione repetentes, sua quoque lege illud minuerent vel auferrent.

II. Prima dominii divisio fit a iureconsultis in *eminens* sive *altum*, quod summo imperanti adscribunt in partes et res partium, scilicet in persona et res subditorum; et *vulgare* sive *humile* (praeclara verba!), quod privato cuivis in sua bona convenit. Hanc divisionem, socialismi et communismi minime expertem, reiiciemus 1). Nam, quum dominium ex naturali proprietatis iure proficiscatur, quumque nullum *proprietatis ius* summis imperantibus competat neque in personas neque in res subditorum, nullum quoque dominium. Quid ergo illis competet? *Imperium*, diximus, sive *ius politicum*, quod a proprietate seu dominio summopere discriminatur. Hoc iure princeps subditos gubernat, regit, non possidet: ad publica officia, puta ad militiam, homines vocat; tributa vel vectigalia exercet. Ea pariter quae omnium incolumitas vel utilitas efflagitent, decernet: uti alienum murum disiicere, in aliena domo propugnacula extruere, per alienum fundum flumen derivare; dominio interim abunde compensato, ne eum scilicet tum charissima fortassis re orbari, tum maiorem quam reliqui cives civilium onerum partem ferre contingat,

1) Huins lib. tit. VII, §. XII.

III. Hoc ipso politico seu civili iure, leges condet quibus proprietas tueatur, vel pacta quibusdam conditionibus exerceantur: ex gr. ne pupillis, tutoris vel magistratus iniussu, propria bona alienare possit, nec uxor dotalia; vel ne contractus, donationes aut testamenta, sine adhibitis solemnitatibus pro va-

lidis habeantur. Quae, aliaque similia, non iure proprietatis sed regiminis ac publicae utilitatis, pie ac sancte perficiet imperator.

IV. Vera divisio dominii est in *plenum*, quod rei proprietatem simul et usum complectitur; et in *semiplenum*, quod alterutro finitur. Semiplenum iterum duplex: *directum*, quod sola rei proprietate; *utile*, quod usu concluditur. Apte iureconsulti a dominiis *obligationes* secernunt: de quibus vide *Instit.* lib. III, tit. XVI etc.

V. Modi dominii acquirendi, alii *naturales* sunt, qui etiam *iuris gentium* dicuntur, eo quod, natura duce, iis omnes gentes usae fuerint; alii vero *civiles*, nempe civili lege inducti. Naturales vel *originarii* sunt vel *derivativi*. Originariis tunc primum proprietas in rem introducitur, quae vel nunquam dominum habuit vel habere desiit, puta examen apum liberrime silvam circumvolans. Derivativis, invecta iam in rem proprietas, ex alio in alium transfertur, ut si examen apum, alveari iam inclusum, donatione, venditione aliove titulo adquisiveris. Tituli originarii sunt *occupatio*, *accessio*: derivativi ad unam *traditionem* referuntur, quocumque modo fiat. Haec omnia ex naturali iure proficiscuntur, quod *cum ipso genere humano rerum natura prodidit*, ait Iustinianus. Lex civilis, ea qua dicemus ratione, unam *praescriptionem* attulit. De singulis acquirendi titulis qui a natura sunt, distincte Iustinianus, *Instit.* lib. II, tit. I. Ea tamen quae habet de bellica occupatione, adnotatione indigent atque emendatione.

VI. Inquit enim: Ea quae ex hostibus capimus, iure gentium statim nostra fiunt 1). » Neque templis exceptis, ex Pomponio: « Cum loca capta sunt ab hostibus, omnia desinunt esse sacra 2). » Quod arbitrabantur, ea pervagante opinione, Deos aras et fana captarum urbium dereliquisse:

1) *Instit.*, lib. II, tit. I, §. 17.

2) L. *Cum loca*, ff, de relig.

> Excessere omnes adytis, arisque relictis,
> Di quibus Imperium hoc steterat 3).

3) *Æneid.*, II.

Saevissimum adeo belli ius apud antiquos obtinuerat ex eo, quod hostium personae, res atque urbes, non solum ut *nullius*, sed ad extremum fatum damnatae haberentur. A qua gentium non aequitate sed feritate, non valde absunt e recentioribus aliqui, docentes cum Puffendorfio: « Per statum hostilem, effectum dominii adversus hostem abrumpi hactenus, ut non amplius quis teneatur ab istius rebus manus abstinere, nisi qua humanitas suaserit. In bello ergo res hostium, in ordine ad alium hostem, redduntur velut *domino vacuae:* non quod hostes per bellum, ipso iure, rerum suarum domini esse desinant, sed quia illorum dominium non obstat hosti, quominus eas res auferre, sibique habere possit 4). » Puffendorfii dicta, res nempe *Domino vacuae*,

4) Pufp., *I. N. et G.*, lib. IV, c. 6, §. 4.

talibus formulis pacta unice perficerentur. Quod Canii et Pithii exemplo ostenditur, ut est apud Ciceronem 1). Deceptus iniquissime Canius: « Sed quid faceret? inquit Cicero: nondum enim Aquilius collega et familiaris meus protulerat de dolo malo formulas 2). « Ergo usque ad ipsam Tullii aetatem, quae iuxta sacramentalia legum verba inita fuissent pacta, valida censebantur; quae vero sine illis vel contra illa, absolute irrita, nullo habito respectu ad naturalem aequitatem. Unde ipse Cicero conquerebatur: « Sed nos veri iuris germanaeque iustitiae solidam et expressam effigiem nullam tenemus: umbra et imaginibus utimur 3). » Idem vero aliique iurisconsulti, aequitate adducta, leges emollire nitebantur; et, Tacito animadvertente, « ex horrida illa antiquitate ad praesentem usum quaedam Augustus flexerat 4). »

1) *De Off.*, III, 9.

2) Ibid.

3) Ibid., 12.

4) *Annal.*, IV.

XIV. Adeo tamen praepotens Reipublicae dominatio ius romanum invaserat, ut neque christiani imperatores, Constantinus, Theodosius, Iustinianus, licet ubique leges ad naturalem aequitatem flecterentur, nunquam perfecte illam expresserint. Indeque contigit, ut sicut ex romano iure quaeque recentiora iura orta sunt, ita in omnes fere iureconsultos strictius forsan quam par sit legalibus formulis inhaerendi consuetudo irrepserit. Quo forensi materialismo seu formulismo saepe nimis obruimur.

XV. Verum tanta ne legum vis ut, aliqua deficiente solemnitate, quamcumque tum civilem tum naturalem obligationem auferat?

XVI. Gravissima haec questio in utramque partem disputatur. Putant nonnulli, ubi fraudulenter nihil actum sit, et nulla contrahentium culpa solemnitas defuerit, pactiones irritas quidem esse iure civili, naturali tamen iure sustineri: eo quod finis legis sit fraudibes obviam ire; et ubi nulla est culpa, nulla poena esse debeat. Quod in ultimis praesertim voluntatibus vigere censent; estque Plinii iunioris sententia scribentis ad Annianum: « Propriam quamdam legem mihi dixi, ut defunctorum voluntates, etiamsi iure deficerentur, quasi perfectas tuerer. » Ad Calvisium autem, de cuiusdam Saturnini testamento loquens addebat: « Hoc, si ius adspicias, irritum; si defuncti voluntatem (vereor quam in partem iurisconsulti quod sum dicturus accipient), illa mihi antiquior iure est 5). » Haec, inquiunt, qui non approbet, adeo a natura recedit, ut iuris umbram vel figmentum pro iure amplectatur.

5) *Epist.*, II, 16; V, 8.

XVII. Contra vero, hoc irritandi iure utraque potestas usa est, ecclesiastica et civilis: utque uteretur publica utilitas requirebat. Sic clandestina matrimonia Tridentinum fecit irrita 6); et Iustinianus donationes quae quingentorum solidorum summam superarent, nisi in publicas tabulas essent relatae 7); imo quaelibet pacta in leges inita, Theodosius et Valentinianus 8). Hanc legem memorans s. Gregorius Magnus: « Imperiali ait,

6) Sess. XXIV *de Ref.* c. 1.

7) L. 27 et 36 C., lib. 8, t. 54.

8) L. 5 C., lib. I.

constitutione aperte sancitum est, ut ea quae contra leges fiant, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint 1). » Ratio est, quod constituta societate, duo in contractibus requirantur: *materia* quae honesta sit; *forma*, ut constet de consensu, et fraudes amoveantur. Posita autem contractus rescissione, ut pro utroque foro rescindatur, publica suadet utilitas, animadvertente Cardinali Delugo: « Ad bonum commune, praesertim spirituale magis expedit, quod contractus vel non annullentur, vel certe annullentur pro utroque foro, ut subditorum conscientiis consulatur 2). » Revera si valida essent iure naturali quae civili irritantur, qui conscientia tangitur, se legatum sentiet, improbus vero solutum se profitebitur: unde felicior improborum sors, optimorum autem pessima.

1) Lib. VII, tit. dict. II, cap. 7.

2) *De Contract.*, disput. XXII, n. 252.

XVIII. Quae cum ita sint, illa tamen vehementer nos permovent sanctissima Plinii verba: « Mihi autem defuncti voluntas, antiquior iure est. » Pacta inter vivos irritentur: iis nec tempus nec voluntas deest, quo sibi consulant. At omnia deerunt defuncto, qui nulla sui voluntate, nulla culpa, ob minutissimum tabellionis errorem, vel latentem testis defectum, poena omnium gravissima plectitur, ut nimirum intestatus decedat. Nonne inhumana lex quae hoc sanxerit, atque in ipsam naturam inclemens iudex qui sacratissimam morientis voluntatem fregerit?

XIX. Si in hac iurium pugna quaedam subiicimus, parcant legislatores. Postulamus itaque ut contractus regant, non ut pedicis coërceant; ut fraudibus occurrant, non ut sine extrema necessitate honestas civium voluntates frangant; ut formam curent, sed ut a veteribus ad nos delapsum formulismum aliquando emendent. A iurisconsultis et magistratibus praesertim petimus ut leges servent, sed ne immodice et materialiter apicibus inhaereant, cum de naturali constat aequitate: littera enim occidit. Amor autem aequitatis, eiusque servandae labor qui Ciceronis tempore efferbuerat, nunc quoque commendatur, tunc maxime cum de defunctorum agitur voluntate.

XX. Interim vero, usquedum aequitas naturalis maiores exerat vires, iuri irritanti hanc censemus valde probabiliter apponi posse humanitatem: ut quotiescumque in pactis et vel maxime *in defunctorum* voluntatibus naturalis aequitas constet, hanc sequi liceat, usquedum pars altera remedio iuris civilis sibi consulat. *Finge* ex. gr. scriptum heredem, vi testamenti cui solemnitas substantialis non testatoris culpa defecerit, cepisse haereditatem. Tenebitur ne hic sponte hereditatem renuntiare, atque heredi ab intestato deferre? Tenebitur ne qui fundum aequo pretio emerit, sed invalido chirographo, ultro contractum rescindere? Quum in utroque casu, naturalis, ut ponimus, honestas vigeat, in hac tuto quiescere quemquam posse arbitramur, quoadusque alter urgeat actus nullitatem. Quid si ignoret? Tenebiturne sciens,

cum ignoranti declarare? Qui hoc praecipiunt nimis ardua sequi videntur. Sed iudicialis ne an extraiudicialis petitio requiritur? Extraiudicialis sed firma petitio sufficere videtur. Ad quid enim expensae et lites, cum indubius sit rei exitus? Demum, si cui haec solutio non plenissima videatur, meminerit ille nos inter duo iura coarctari, quorum uno ligatur quod altero solvitur. Hisce in angustiis constituti, legumlatorum prudentiam expectamus.

TITULUS XIII.

DE CONCORDIA AEQUITATIS NATURALIS ET CIVILIS SERVANDA IN PACTIS.

I. Pactorum elementa: aequitas, lex; sive *personae, res et leges.* II. Pacti definitio. III. Obligationis effectus et necessitas. IV. Personae sui iuris sint, liberae ab errore, dolo, metu et violentia. V. Error et dolus substantiam afficiens, vel conditionem in pactum deductam, irritant contractum. VI. Metum passus, in sua reponendus libertate. VII. Res sit existens, propria, possibilis et honesta, aequalis rei alteri datae vel acceptae. VIII. Promissio et variae contractuum species. IX. Legum vis et necessitas in pactis. X. Legi naturalis aequitas aemulanda. XI. Concordiae romani iuris cum naturali exempla. XII. Alia. XIII. Senatusconsultum Macedonianum. XIV. Velleianum. XV. Generatim, contrahentium intellectui et libertati prospiciat legislator. XVI. Valet ne contractus, quem gravis metus extorserit? XVII. Affirmantium argumenta. XVIII. Negantium. XIX. Sponsiones simplices a iuratis, tum a pactis bilateralibus secernendae. XX. Iuramenti relaxatio eius est potestatis, cuius iura in sacra. XXI. Praescriptionis antiquitas, utilitas, eiusque triplex finis. XXII. Illa ex iure naturae et civium voluntate. XXIII. Eius conditiones. XVIV. Servanda naturae simplicitas, deinde legalitatis religio, non superstitio.

I. Igitur, pactorum necessitate et aequitate a natura constitutis, modi quibus illa exerceantur, et solemnitates quibus regantur, iuri civili vel gentium relicta sunt: adeo ut duplici substantiali elemento pacta coalescant, naturali scilicet aequitate, et legum regimine ac firmitate. Quum vero naturalis aequitas fiat ex personis et rebus, tria haec spectanda erunt in pactis ad naturae et civitatis regulam constitutis: *personae, res et leges.* Nobis non plene de pactis, sed de iuris naturalis aequitate et concordia disserentibus, haec paucula erunt delibanda.

II. Quae nullo adhuc legis titulo, simpliciter *pacta;* quae civilem obligandi causam haberent, *contractus* a romanis iureconsultis appellantur. Nunc, missa hac nimia subtilitate, pactum, vel conventio, vel contractus definitur: *Duorum vel plu-*

rium in idem placitum de re danda vel facienda consensus, naturalem tantum, vel civilem quoque obligationem pariens.

III. Obligatio est iuris vinculum, quo ex lege naturali semper, etiam in minimis; in peculiaribus vero casibus, societatem valde afficientibus, ex lege etiam civili, ad servandam fidem adstringimur. Quum enim non omnis ferret omnia tellus, neque omnibus singuli artibus uti vellent aut valerent; sed nec ulla omnium societas, sine mutuis relationibus atque sponsionibus coalesceret; pacta, quibus iam ferme tota versatur et stat hominum societas, ex naturali iure descripta sunt, cuius vinculo paciscentes revincirentur. Pacta igitur, eorumque obligatio ex naturae magisterio profecta, apertioribus deinde civilium statutorum documentis declarata ac firmata, cives cum civibus, gentes cum gentibus, imperantes cum imperantibus, utramque deinde potestatem, Ecclesiam et Imperium, in mixtis quandoque disciplinis, pulcherrima vitae consuetudine, ordine, et mutuo omnium adiutorio consociaverunt. Adeo ut, ex Aristotele, sublata pactorum obligatione, iam societas et usus hominum auferatur; « et perfidiosum et nefarium est fidem frangere, quae continet vitam 1); » et sapienter, ex Dionysio Halicarnasseo, iussum a Numa, ut omnes Fidei arae litarent. Tamque magna res, data semel fides, ut maiestate imperantis digna habeatur illa Caroli V vox: « Si fides exclusa popelli casis magnorumque aedibus, tota terra exulet, regum palatiis excipi oportere, servarique incolumem, ibique suo veluti in templo locari. » Fides itaque servanda sive in pactis vel tractatibus, vel conventionibus, vel concordatis imperantium, aeque ac in contractibus privatorum.

1) Cic., *pro Roscio amer.*

VI. Aequitas, ut inquiebamus, contrahentium *personis* et *rebus* continetur.

Haec in personis requiruntur. 1. Sui iuris sint quoad pacti materiam, ne illicitus vel irritus fiat contractus. Illicita atque infirma sunt igitur iure naturali filiorum sponsalia, contra parentum voluntatem, in quorum illi potestate constituuntur, quoad reverentiae officia eis adhibenda; sunt vero illicita, sed valida matrimonia, cum suorum corporum habeant potestatem. 2. Quum dominia rationabilibus animis insideant, nec sine animi decreto transferantur; consensus requiritur, liber ex parte intellectus ab *errore* et *dolo*, ex parte voluntatis a *metu* et *violentia*. Quatuor haec vel circa *substantialia* versantur, quae nempe rei pactae substantiam constituunt, vel circa *accidentalia*.

V. Quilibet error *substantiam rei afficiens*, sive ex propria ignoratione vel simplicitate, sive alterius cuiusque dolo ingestus, irritum facit contractum: errantis enim nullus est consensus. Quare si ego Cornelianum emere fundum, tu Sempronianum vendere putasti; vel si vitrum pro gemma; vel corruptum frumentum pro sano; quum in rei substantia erratum

sit; nulla erit venditio. Nullam dico, sive dolus ab altero paciscentium, sive a tertio profectus sit: nulla enim res sine substantialibus constat. Ex adversa ratione error vel dolus *in accidentalibus*, ipso facto contractum non dirimit. Quodsi error ex paciscentis dolo profectus, contractui causam dederit, contractus erit rescindibilis ad nutum eius qui dolum passus est; si a tertio, actio in illum datur ad id quod interest; dolum enim passus, in ea est reponendus libertate vel aequitate, ac si dolus non intercesserit. Si vero accidentaria rei qualitas in pactum deducta fuerit, ea non existente, contractus non fit, cuius tota ratio in illa qualitate innitebatur. Demum, cum melior sit conditio dolum passi, alter vero nullam ex dolo suo referre debeat utilitatem, in illius semper erit potestate, vel contractum habere pro valido, vel, laesa naturali aequalitate, reposcere ut tantumdem de pretio detrahatur. Haec de errore et dolo.

VI. Metus vere levis, nulla habetur ratio, cum nec consensum auferat nec libertatem. Si ad gravem accedat, illum passus, etsi contractus vigeat, in sua reponendus est libertate. De gravi, morali scilicet violentia, agemus postea.

VII. Alterum erat caput res quae in contractum venit. 1. Sit *existens:* quare si equus ante venditionem perierit, nulla est venditio; si segetum spes vendita sit, et grandine conterantur, venditio tenet, quia spes aderat, quae vendita est. 2. Sit *propria:* unde rei alienae vel furtivae nulla est venditio, malae interim fidei venditor damna reficiet. 3. Sit *possibilis* et *honesta*. Physice impossibilium nulla obligatio. Si gravis occurrat mutatio vel difficultas in re aut persona, puta si, locata opera tua, pater infirmus assistentia tua indigeat, contractus ille suspenditur vel abrumpitur: est enim implicita conditio, *si potero*, vel rebus *sic stantibus*. Item quae extra commercia sunt, ut res sacrae, vel quae in mores peccant, pro impossibilibus deputantur. Adeo, ut quae promissa sint, pretium ex. gr. pro homicidio vel periurio, re infecta, non debeatur: sed neque, re peracta, quum actio nulla ab initio, nunquam convalescat; neque naturali congruat aequitati, ut obligatio subsistat, ex qua alter, propter ius acquirendum, ad malum alliciatur. Re autem confecta, solutum pretium summo iure retinetur: donatio enim, sola donantis voluntate perficitur, cum iam nullum immineat perpetrandi sceleris periculum. Probe tamen a iudice tantumdem multabitur recipiens ne malis fructibus laetetur. 4. Tandem *aequalitas* sit rei cum re, *dati* generatim et *accepti;* quae ante contractum quaerenda, et si post contractum laesa deprehendatur, resarcienda. Cum autem triplex sit gradus in pretii rerumque aestimatione, *maximus, medius* et *infimus*, qui ex honestorum usu computantur, rite in hac latitudine commercia exercentur, ut industriae sit locus; fraus vero absit. Imo si scias cras viliora futura esse pretia,

hodie tua vendes currenti pretio, salva aequitate, nisi vir publicus sis et ex officio scias. Nam vera rei aestimatio, ea habetur quae hodie, non quae aliquando futura est. Sed non semper charitas patitur, quod stricta non vetat iustitia. Unde inscium vilioris iam iam futuri pretii, rei tuae venditione non obrues; quo sensu dixit Cicero, fructum facere ex aliorum ignorantia « non aperti, non simplicis est, non ingenui, non iusti, non viri boni; versuti potius, obscuri, astuti, fallacis, malitiosi, callidi, veteratoris, vafri 1). »

1) *De Off.* III, 12.

VIII. Quaerentibus num promissio, per se, obligationem inducat, *imperfectam* a *perfecta* obligatione distinguit Puffendorfius 2). Imperfecta, humanitatis non iustitiae debitum inirpe volumus; perfecta, strictum ius in alium conferimus. Haec sola, cum acceptata fuerit, contractum constituit, ex iis qui *benefici* vel *unilaterales* appellantur, ut a *bilateralibus* vel *permutatoriis* discriminentur, qui in utriusque partis commodum initi, aliquo utrinque dato et accepto conflantur. Primae speciei sunt, v. gr., mandatum, depositum, commodatum, mutuum (quae gratis fiunt); secundae, venditio, locatio, societas. Sunt etiam qui *innominati* dicantur: namque « rerum natura conditum est, ut plura sint negotia quam vocabula 3); » illaque formula apte concluduntur: *do ut des, facio ut facias, facio ut des, do ut facias.* In omnibus illa aequitas servanda, quoad res et personas, quam natura constituit, et pro rei nostrae instituto satis descripsimus: nec enim tractatio hic conficienda est de pactis, nec « fragmenta tradere utile est 4). »

2) *De Off. hom. et civ.*, lib. I, c. 9. §. 6.

3) L. 4. ff, lib. 19, t. 5.

4) Warnkoenig, *Doctrina iuris philosoph.*, p. 158.

IX. Sed legibus quoque civilibus, in sociali ordine, subiici pacta, huius tituli initio commemoravimus. Civilis potestas tanta visa est Augustino ut exclamaverit: « Unde quisque possidet quod possidet? Nonne iure humano? Nam iure divino, Domini est terra et plenitudo eius: pauperes et divites Deus de uno limo fecit, et pauperes et divites una terra supportat. Iure tamen humano dicit: Haec villa mea est, haec domus mea est... Noli dicere: Quid mihi et regi? Quid tibi ergo et possessioni? Per iura regum possidentur possessiones 5). » Quae adeo vehementiora sunt, ut ius humanum divino vel naturali praeferri videatur. Hoc tamen dumtaxat innuunt, iura naturalia ad legum formam esse exigenda. Sicuti enim non immediate a Deo, sed facto humano possessiones et dominia discreta sunt; ita quoque lege humana, in omnium securitatem, per principes regenda sunt atque servanda. Quo sensu pergebat ipse Augustinus: « Ipsa iura humana per imperatores et reges seculi Deus distribuit generi humano. » Distribuit, hoc est externa sanctione communivit, ut dicere quis possit non solum ut homo, sed ut civis: Mea est haec villa, haec domus (*a*).

5) *Tract. IV in I Ioann.* 25, 26.

(*a*, Huc illae Ciceronis spectant de iure civili commendationes: « Ma-

X. Quae cum tanta sit potestas, adeoque iura civilia naturalibus interserantur, inde summa colligitur qua principes tenentur necessitas, ut divinam ipsi aequitatem legibus imitentur: aequa scilicet pacta confirment, iniqua dissolvant.

XI. Hoc a romano iure tunc praestitutum fuit, cum summis imperantibus placuit se iurium privatorum custodes, non dominos profiteri. Tunc civilis potestatis origo et limites vere patuerunt. Tunc Dei omniumque debilium causa suscepta est. Res et loca sacra e commercio exempta, etsi adiecta conditione, si profana quandoque fiant, quod mali ominis videbatur. Irrita declarata sunt pacta de futura successione, quasi captandae mortis incitamenta « nisi ipse forte, de cuius hereditate pactum est, voluntatem suam eis accommodaverit 1), » Item, ne dolus praestetur, ne furti aut iniuriarum agatur: « Pacta quae turpem causam continent, non sunt observanda: veluti si paciscar ne furti agam vel iniuriarum, si feceris: expedit enim timere furti vel iniuriarum poenam 2). » Item, constitutum flagitioso pretium ut a malis facinoribus abstineat: « Si ob maleficium, ne fiat, promissum sit; nulla est obligatio ex hac conventione 3). » Item, largiora medicis promissa, facta ab homine periculose aegrotante; « Ea patimur accipere quae sani offerunt pro obsequiis, non ea quae periclitantes pro salute promittunt 4). Insuper inita pacta, procuratorem inter et clientem, de eventu vel de quota litis: « Sumptus quidem prorogare litiganti, honestum est: pacisci autem ut non quantitas eo nomine expensa cum usuris licitis restituatur, sed pars dimidia eius, quod ex ea lite datum erit, non licet 5). » Vetitum quoque *lites redimere*, quod contra bonos mores dicitur 6). Est autem *lites redimere*, eas pretio mercari, suoque periculo a procuratoribus peragendas suscipi, quaestus causa: verendum enim ne malis artibus sibi curent adiudicari. In his aliisque similibus, iuris naturalis et civilis concordia perspecta est.

1) L. 30 C., lib. 2. t. 3 Cf. l. 4, ibid., lib. 8, t. 39.

2) L. 27, §. 4. ff. lib. 2, t. 14.

3) L. 7, §. 3, ff, lib. 2, t. 14.

4) L. 9, C., lib. 10 t. 52.

5) L. 52, ff, lib. 2, t. 14.

6) L. 7, ff, lib. 17, t. 14.

XII. Imperator quoque, ut pater, eos suo tutos fecit patrocinio, quibus vel nulla esset consentiendi ratio, vel non satis firma. Uti amentes dum in amentia versantur, prodigi *iure*, seu declarati a iudice, quibus qui tales sint *facto*, ob paritatem rationis, addendi sunt; sub diverso autem respectu, pueri, impuberes,

ior hereditas venit unicuique nostrum a iure et legibus, quam ab iis, a quibus illa bona relicta sunt. Nam ut perveniat ad nos fundus, testamento alicuius fieri potest: ut retineamus quod nostrum factum est, sine iure civili non potest » (*Pro Cecin.*) Item: « Nihil est in civitate tam diligenter retinendum, quam ius civile. Etenim, hoc sublato, nihil est quare exploratum cuique possit esse quid suum, aut quid alienum sit. Nihil est, quod aequabile inter omnes, atque unum omnibus esse possit » (Ibid.). Itemque: « Ius civile eiusmodi esse debet, quod neque inflecti gratia, neque perfringi potentia, neque adulterari pecunia possit. Quod si non modo oppressum, sed etiam desertum, aut negligentius adservatum erit, nihil est quod quisquam se habere certum, aut a patre accepturum, aut relicturum liberis arbitretur. » (Ibid.). Aliis verbis, eamdem doctrinam Augustinus complectebatur.

minores, filiifamilias, foeminae et uxores. Quorum aliqui, adeo eorum infirmitati legibus consultum, ut alios sibi, non se aliis obligatos habeant.

VIII. Insuper filiisfamilias, ut coërceretur tum invenum licentia, tum foeneratorum cupiditas, opportunissima lege provisum est. Nam cum filius quidam familias aere alieno obrutus ac pene in desperationem actus, vel patrem occidisset, vel eius saltem vitae insidias struxisset, senatui placuit: « Ne cui, qui filiofamilias mutuam *pecuniam* dedisset, etiam post mortem parentis eius, cuius in potestate fuisset, *actio petitioque daretur* 1). » Sive filius sive foenerator Macedo appellaretur, sanctissima haec lex senatusconsultum Macedonianum dicta fuit. Eius autem exceptione non solum mutuatario filio eiusque patri, sed tum utriusque haeredibus, tum fideiussori succurritur. Filii autem nomine, nepotes etiam et pronepotes intelliguntur 2). Qua legis severitate, nihil patrum vitae et familiarum tranquillitati et naturali aequitati optabilius. Prudenter quoque solam *pecuniam* hoc privilegio contineri placuit: in qua enim validiora essent ad quidlibet audendum incitamenta atque praesidia, eam legislatores incautae aetati diligentius subtrahendam duxerunt. Excipe tamen nisi in fraudem legis actum fuerit, ex. gr. mercem vendendo vel mutuando, illamque statim numerata pecunia retrahendo: plus namque valet quod agitur, quam quod simulate concipitur. Inde tamen quum *actio* et *petitio* tantum denegatae sint, vel *exceptio* data ut infirmentur, solutum repeti non poterit.

1) L. 1, ff, lib. 14, t. 6.

2) L. 6, C., hoc tit.

XIV. Pari humanitate, altero, quod Velleianum vocant, Senatusconsulto, mulieribus prospiciebatur. Quum enim mulieres affectibus, minus autem experientia et consilio abundent, earum ut levitati aut inconsultae bonitati succurreretur, Sillano et Velleio consulibus, cautum fuit ne, si quae pro aliis « intercederent (fideiuberent), ulla eo nomine ab his petitio, neve in eas actio daretur 3). »

3) L. 2, §. 1, ff, lib. 16, t. 1.

XV. Plura de his persequi non licet: quae ceteroqui ad ostendendam sufficiunt quam ex iuris naturalis et civilis concordia, societas defensionem accipiat. Generatim vero nitendum est iuri civili, ne intellectui *error* et *dolus*, voluntati ne *metus* aut *violentia* officiant. Quum enim dominia rationalibus animis insideant, nec sine animi consensu et libero voluntatis decreto transferantur; oportet omnino ut intellectus recte perspiciat quid sit in re et actione, voluntas autem libere decernat.

XVI. De vi et metu haec haeret quaestio: Validius ne sit contractus, gravi iniustoque metu cum eo initus, qui illum nobis terrorem incussit: puta, si vi metuque compulsus, redemptionis pretium sicario promiseris.

XVII. Affirmant Gundlingus, Grotius, uterque Cocceius, ac

ferox ipse Hobbesius, qui omnia ex vi, nihil ex iure metitur. Aît posterior Cocceius: Duo hic sunt: aliena vis, et tua promisso. Illa iniquum est facinus, ex quo obligatio ad poenam et ad reparandam iniuriam. Promissio autem honestus hominis actus de re sua statuentis, adeoque sui iuris in alium translatio, et implendae sponsionis vera ac legitima obligatio. Quae duo distinxisse videtur Iulius Caesar, testantibus Svetonio et Plutarcho. A piratis namque ad Pharmacusam insulam captus, et quinquaginta talenta pro libertate pollicitus, pactam iis pecuniam solvit, deinde eos cruci suffixit. Suam videlicet promissionem a vi illata discernens, illam sanctam esse voluit, huius meritàs poenas exegit. Ergo, cum minae ac metus voluntarium non perimant, et coacta voluntas, voluntas adhuc sit, ex iure naturali solvenda sunt promissa, ac demum de iniuria agendum. Quod iuri quoque civili congruum affirmant, cum Praetor promissiones illas non actu infirmas, sed infirmandas edixerit: « Quod metus causa gestum erit, ratum non habebo 1). »

1) L. 1, ff, lib. 4, t. 2.

XVIII. Negant vero philosophorum et iuris peritorum quamplurimi (*a*), hisce rationibus ducti: 1. Ad contractus substantiam requiritur voluntarium liberum undequaque, quo deficiente, non transferuntur dominia. 2. Debitum solvendi supponit ius accipiendi: atqui nullum ius in iniusto aggressore, quum ius non fiat ex iniuria. 3. Neminem teneri ad iniquam cooperationem: atqui inique accipit cogens. 4. Fatentibus adversariis, hic tenetur omnino spondentem a data fide liberare, vel solutum restituere: ergo frustra exigitur quod statim solvendum sit. Clarius: nihil solvendum est. Haec naturae simplicitas: cetera, hominum cavillationes et commenta. Quod Gaius advertit: Non videtur quisquam id capere quod ei necesse est alteri restituere 2). »

2) L. 51, ff, lib. 50, t. 17.

XIX. Nos, ut inter utrosque nostram afferamus sententiam sponsiones unilaterales a pactis bilateralibus, tum simplices sponsiones a iuratis secernimus.

(*a*) Inter philosophos negant: Plato, *de Leg.*, VII; Tullius, *de Off.*, I, 16; Antonius Genuensis, *de Iure et Off.*, I, 16. Inter iureconsultos: Pothier, *Traité des obligations*, par. 1, ch. 1, sect. 1, art. 3; Domat, *Lois civiles*, lib. I, tit. 18, sect. 2; Thomasius, *Iurisprud. divin.*, II, 7. §. 53; Puffendorffius, *de iure Naturae et Gent.*, III, 6; Heineccius, *I. N. et G.*, I, 14, §. 395; Lampredi, *Iuris publ.* par. 1, c. 10, § 7; Romagnosi, *Introd. allo studio del diritto publico universale*, part. II, lib. I, §. 336. Hic, uno adducto theologo, Antoine, omnes carpit vehementer: a qua censura sane abstinuisset, si eamdem quaestionem a iureconsultis et philosophis agitatam conspexisset, atque magnam theologorum partem in negantem sententiam abiisse. Neque erat quod vir clarissimus theologis succenseret, iuris naturalis praecepta evolventibus, « erigendosi in precettori di naturale dritto » (Ibid.). Egregia enim a theologis prolata sunt, quod solus evincet tractatus Suarezii de legibus; ipsis autem naturalia ac rationabilia cum divinis coniungere, semper in officio fuit atque erit; nec nobiliorem certe naturalis rationis explanatorem offerent quam theologorum ac philosophorum magistrum s. Thomam. Omnium opibus, sincere et sine invidia, communiter uti, nonne fas et honestum?

Quum in pactionibus bilateralibus illud interveniat quod Graeci *synallagma* vocant, quodque Ulpianus *ultro citroque obligationem* interpretatus est 1); idest, contractus materia ponatur ex utraque parte, ut in venditionibus et permutationibus: quumque pactio violenta ab initio, postea vim passo convenieus possit deprehendi; eam ad huius nutum rescindendam censemus. Contra quando contractus materia ponitur ex una tantum parte, ut si mortem minitanti centum promiseris, quum hic nihil ponat in pacto, nec adsit libertas in promittente, nec ius in extorquente, non perficitur contractus, qui est libera duorum vel plurium in idem placitum consensio. Quare lusit Caesar dum praedonibus mercedem solvit, quos cruci affixit. Iuratas sponsiones excipimus: tum ob Numinis reverentiam, tum ne pereat hoc fidei vinculum et societatis fundamentum, ubicumque nihil inhonestum promissum fuerit. Quod spendidissimo Reguli exemplo, ne datam fidem falleret, ad certam mortem redeuntis, confirmat Cicero 2), et graphice descripsit Horatius (*a*).

1) L. 19. ff. lib. 50, t. 13.

2) *De Off.*, III, 26.

(*a*) Horret animus, cadit e manibus liber haec legentibus:

Fertur, pudicae coniugis osculum
Parvosque natos, ut capitis minor,
A se removisse, et virilem
Torvus humi posuisse vultum. (Hor., lib. III, od. 5).

Nescio tamen an in Reguli exemplo plus sit virtutis quam rigiditatis. Agebatur enim fortasse de auferenda victis in bello omnis spes salutis, ut ad extremam usque mortem decertaretur. Haec veterum populorum asperitas a nostris moribus exulavit. Utcumque magnifice de Attilio Vates Caesareus: cum enim reditum ad Carthaginem maturanti, ea obiicerentur a Licinio, act. III, scen. ult.

A' perfidi giurasti:
Giurasti in ceppi, e gli Auguri...

Haec magnanimus reponebat:

Eh lasciamo
All'Arabo ed al Moro
Questi d'infedeltà pretesti indegni.
Roma a' mortali a serbar fede insegni.

Et vero quidem, servandam mortalibus atque immortalibus fidem, aliquando Roma docuerat. Hoc ex Plutarcho desumsisse sufficiat. Quum Veios peteret Camillus, decimam praedae partem, si urbe potiretur, Apollini vovit. Urbe capta, voti immemor, universam praedam militibus permisit. Aliquanto autem post, quum religione stimulatus, ea de re ad senatum retulisset; ut praedae, quam quisque miles habuisset, decimam partem in:atus in medium afferret, senatus censuit. Grave id quidem militibus, nam et egeni plerique, et quidquid ceperant, absumserant; iureiurando tamen adstricti, suam quisque partem religiose attulerunt. Neque illud praetermittendum. Quum aurcam inde efficiendam crateram, Delphumque mittendam decretum esset, summaque tunc Romae esset auri inopia; consultantibus magistratibus unde eam compararent; romanae matronae

XX. Sed cum congruum sit aliquam in societate esse potestatem qua haec solvantur iuramenta, haec spiritualis est, seu Ecclesia, cui licet quod alia in re licuit Praetori: *Quod metus causa gestum fuerit, ratum non habebo.* Recte quidem pro utroque iure, ut timoris gravitas expendatur: quia inanis timoris nulla excusatio est.

XXI. Quam hactenus iurium congruentiam perspeximus, eadem in usucapione vel praescriptione elucescit, quae *civilis acquirendi titulus* a iureconsultis appellatur. Omni discrimine inter utramque sublato a Iustiniano, definitur a Modestino: « Adiectio (ex Ulpiano adeptio) dominii per continuationem possessionis temporis a lege praescripti 1). » Per hanc itaque, veteris domini, etsi inscii aut inviti, patrimonio quidpiam detrahitur, atque in novam dominum transfertur. Quem adquirendi modum, licet duriusculus prima fronte videatur, tamen et sacrae litterae innuunt 2), et publica commoda comprobant, et ecclesiastica civilisque potestas consecravit 3). Triplex eius finis et utilitas: civium solertia in possidendo, litium finis, dominiorum stabilitas et certitudo.

1) L. 3. ff, hoc tit.

2) *Iudic.*, XI.

3) *Decret.* lib. II. tit. 26 etc. lib. 41, ff, tit. 3.

XXII. De praescriptionis iustitia acriter disputatum est, eo quod ex una parte nullo naturali iure fulciri videatur, quod tenuit Lampredi; ex alia vero, eo quod eminens imperii dominium non eo usque pertingat, ut proprietatem ex uno in alium transferat.

Nos aliam inimus viam, usucapionem nec poenam nec vindictam arbitrantes, nec purum principis vel legislatoris imperium. Illam itaque partim ex iure naturae, partim ex civium voluntate et implicita pactione proficisci arbitramur. Etenim omnes pactiones quae aliquid publicae utilitatis conferant, naturali iure sustinentur. Quum autem omnibus optata contingerent et possessionum securitas, et possidentium tranquillitas, et controversiarum terminus; omnium consensu, moribus primum, deinde legibus, introducta est praescriptio. Quae omnium posita voluntate, iam nihil iniqui continebit. Cuique enim rei suae renuntiare vel modum dicere fas est: omnibus autem honestum, quoddam veluti sortis pactum instituere, quo hic vel ille, pari quidem conditione, beatior esse possit. Natura igitur consulente, atque ex dominorum potius quam ex

aurea quaeque suorum corporum ornamenta ad sacrum illud donum ultro contulerunt (Vide PLUT. in *Vita Camilli et Catonis*). Sed tunc temporis, gravissime monet Livius, « nondum haec, quae nunc tenet saeculum, negligentia in Deum venerat; nec interpretando sibi quisque iusiurandum et leges aptas faciebat; sed suos potius mores ad eas accommodabat » (LIV., *lib. III, c. 20*). Disrupta nimirum fide in homines atque in Deos, Roma dissoluta fuit. Nunc vero, si pactis nullam ex iureiurando accedere maiorem vim, docent rationalistae, quibus accensendus Ahrens, ideo fit quia divini iuris dissolutio, humanitatis explicatio et progressus appellatur (AHRENS, *Corso di diritto nat.*, p. 252).

imperantium voluntate, lex condita est, quae nobis noxia aliquando esse potest, versis autem vicibus, utilis fiet.

XXIII. Praescriptionis aequitas magis magisque elucescet, si conditiones advertantur quibus eam lex communivit:

Pura fides, iustus titulus, res non vitiosa,
Legitimum tempus, possessio continuata.

Pura seu bona *fides*, prudens nempe iudicium quo quis credit rem quam possidet suam esse, toto ad usucapiendum praefinito temporis spatio, requiritur ex iure canonico et naturali aequitate; licet ius civile solum temporis initium commemoret. *Iustus titulus* ille est, qui *coloratus* dicitur, seu qui bona quidem fide idoneus putatur, non est tamen ob latens aliquod vitium. *Res non vitiosa* est ea quae usucapi non prohibeatur, vel suapte natura, vel ex legis odio aut favore. *Legitimum tempus:* ne domini maturius suis rebus privarentur. Tandem *possessio continuata:* quae non mera detentio sit, sed civilis possessio, quae nempe dominii titulo et animo fulciatur. Haec si omnia occurrant, nihil erit in praescriptione quod iuri naturali non maxime congruat.

XXIV. Utinam iura naturalia et civilia semper adeo amice conspirassent, sicut in iis quae hactenus attigimus! Certe naturam sequi, prima est legumlatorum sapientia et officium. Conditis autem ad naturam legibus, officium erit iurisconsultorum, legalitatis *religionem*, non *superstitionem* sectari. Societas enim alicubi hoc quasi in gurgite laborat, ut, dimissa hominis et societatis simplicitate, imperiorum et regiminum venatores, libertatis praetextu, leges pro libitu condant, deinde populos legalitatis pondere et versutiis conterant, usquedum restaurata humani generis familia, antiqua paganorum servitute iterum coërceatur.

TITULUS XIV.

DE IURE HOMINIS IN HOMINEM, SEU DE SERVITUTE.

I. Quaestio de facto et de iure. II. Polytheismus et servitus coniunguntur; III. iisque divina et humana iura turbantur. IV. Servorum numerus et pericula apud Graecos; V. apud Romanos. VI. Ingeniosa et frigida dominorum crudelitas. VII. Morte peiora. VIII. Nullum legis adiumentum; domino occiso, indiscriminatim caedebantur. IX. Nec suavior sexus qui a pietate nuncupatur. X. Hoc ius philosophia et leges attulerant. XI. Graecis duplex hominum genus a natura: *liberi et servi*. XII. Romae iurisprudentia saevior, quia excogitatior et doctior. XIII. Cuius superstitione capiuntur plurimi. XIV. Et bello capti, homines sunt. XV. Servitus *mercenaria*, licita et laudabilis. XVI. *Obnoxia*, naturali unitate et aequalitate reprobatur. XVII. Sola tandem naturae restauratione consanabatur.

I. Duplex questionis pars; *factum* et *ius*. Facto historice exposito, in ius deinde inquiremus.

II. In deterius versam hominum et gentium naturam, haec prae omnibus commostrant: 1. *polytheismus*, quo creaturae earumque vitia pro Numine colebantur; 2. *servitus*, qua homines ad bestiarum infima detrudebantur. Quae duo coniunctissima sunt: nam sicuti humani generis unitas, aequalitas et fraternitas, a Dei creatoris unitate et paternitate proficiscuntur; ita hac evulsa paternitatis unitate, hominum pariter unitas et fraternitas convellebantur. A quibusnam vero? A philosophis, a legumlatoribus, a politissimis gentium quae libertatis atque humanitatis amore deperibant, scientiarum vero et artium culmina attigerant.

III. Itaque dum iniquissimi mortalium inter caelites efferebantur, maxima hominum pars e iuribus, e vita civili, hominumque dignitate depellebatur. Qua universali humani generis iniquitate, iura omnia naturalia, civilia, oeconomica, politica, socialia pessumdabantur. Nam polytheismus ius divinum, servitus humanum ius abstulerat.

IV. Apud Graecos, quorum omnis fere urbanitas ad Romanos commigravit, quodam Athenarum censu, civium viginti millia, servorum quadraginta millia descripti sunt. Summatim vero, in urbe et extra urbem, tres quartae hominum partes, mancipiorum nomine et censura vexabantur. Thucydide referente, in bello Peloponnesiaco viginti servorum millia ad hostes defecerant: contra vero, ex insula Chios tot in Atheniensium castra incesserant, ut Chienses ad extrema adigerentur. Penestium apud Thessalonicenses, et Hilotarum (a)

(a) Penestes et Hilotae, servorum nomina. Hilotae dicti ab urbe Helos, in captivitatem redacta: quo nomine iam servorum infimi designantur.

apud Lacedaemonas tumultus ac seditiones commemorat Plato 1). Suavitate insolescunt, ait Aristoteles; duritie autem, in dominos exasperantur. Frustra quoque Aristoteles, et Plato 2), monebant ne plures eiusdem regionis et linguae simul coadunarentur: semper enim aequalis natura, violata aequaliter iura ulciscebatur. Infirma propterea et moerens ubique tam sibi discrepans societas (a).

1) *Politic.*, II, 7.

2) Arist., *Oeconomic.*, I, 5 - *Politic.*, II, 7.

V. Non meliora neque humaniora apud Romanos. Quum propositum esset, ut tessera servi distinguerentur, vetuit Senatus, ne propriam vim ex multitudine dignoscerent. Servorum commotiones, quibus Italia tota contremuerat, attingit Plato 3); et sequiora ostendunt Spartaci facta, in quem nec iners nec nimia fuit romani exercitus vis. Communis non erat interpellatio: Quot domus vel armenta possidet? sed: *Quot pascit servos?* 4).

3) Loc. cit.

4) Iuven..*Satyr.* III, v. 140.

VI. Horret animus ea referre quae a Lacedaemonis Hilotae, atque a Romanis ipsis servi patiebantur. Aliqua saltem attingenda, ut urbanitatis et culturae quam nos suspicimus, depravatio innotescat.

Est in effatis: doctrinae mores informant. Romanis autem haec inerant quasi iuris principia: *in servos nihil domino non licere;* imo, quod ex Festo discimus, *quot servi tot hostes.* Ergo cum iis durissime agendum; quod adamussim exequebantur. Nam refert Leonidas ex Plauto, quomodo suspenderentur, centum librarum pondere pedibus alligato, et crudeliter flagellarentur:

> At pol ego qui te suspendi scio;
> Nudus vinctus centum pondo es, quando pendes per pedes:
> Ad pedes quando alligatus es, centumpondium 5).

5) Plautus, *Asinar.*, act. 2, sc. 2, v. 34...

Paulo infra, idem Leonidas instrumenta enumerat quibus miserorum corpora dilaniabantur:

> Stimulos, laminas, cruces, compedesque,
> Nervos, catenas, carceres, numellas, pedicas, bolas,
> Indoctoresque acerrimos, gnarosque nostri tergi...

VII. Quintus Flaminius, senator, extemplo servum obtruncari iubet, ut complaceat amico qui numquam hominem interficividerat. Pollio, Augusto familiaris, muraenas ingentis magnitudinis, servorum carnibus pascebat in vivariis. Omni dominorum cupiditati vel libidini inserviebant. Dum epulis ventre distento, dominus in conviviis accumbit, adstat ieiuna servorum turba: alter iussus tergere convivarum sputa, alter vomitus colligere, alii deteriora pati. Vae miseris, si incompositum capitis, labiorum vel corporis motum ederent! Tussis, sternutamenta,

(a) Vid. *Recherches sur l' histoire et l' esclavage des Hilotes*, par M. Capperonnier, Mém. de l' Acad. des Inscript., t. XXIII, in 4, p. 271 etc.

singultus, virga compescebantur. De quibus Seneca vehementer conquerebatur: « At infelicibus servis movere labra, ne in hoc quidem, ut loquantur, licet: virga murmur omne compescitur; et ne fortuita quidem verberibus excepta sunt, tussis, sternutamentum, singultus: magno malo ulla voce interpellatum silentium luitur: nocte tota, ieiuni mutique perstant 1). » Haec cum romana urbanitate et politica libertate consociabantur! Sed neque hic finis.

1) Senec., ep. 47.

VIII. Dominorum crudelitati adscribenda, sicut reliquae omnes, celebris illa coniuratio quae in Sicilia contigit. Vestibus et pane carentes, durissimis quotidie laboribus frangebantur. Quidam vexabantur diu, nocte alligabantur, ferro incandescente in facie signabantur. Nullum legis adiumentum vel favor aderat: extra legem positi, extra humanitatem. « Servo tribuni non possunt succurrere, » ait Seneca pater; « servi appellare non possunt » Marcellus docet iurisconsultus (*a*). Sed prae aliis durissima illa lex, qua, occiso familiae domino, omnes servi, licet centeni ac milleni, sine ullo iudicio necabantur; etiamsi nec eadem domo caperentur, si nimirum tantum aberant, ut occisi clamor audiri potuerit, ait Ulpianus 2). Quam legem, Neronis tempore in Pedanei morte, cum quadringentorum servorum nece impletam scimus. Fugientes, ignitis laminis subiiciebantur: unde illis nomina *stigmatiae* vel *subverbusti*, quasi verubus usti. Cum feris pugnare, iis familiare erat, ut voluptuosissimi hominum caedibus quoque et sanguine oblectarentur: quod servi a leone agniti historia testatur 3). Non sane expetenda aetas, qua homines humanitate a leonibus superabantur (*b*).

2) L. ff, lib. 29, tit. 5.

3) A. Gellius, V, c. 14.

(*a*) « Il y avait donc chez les Grecs et chez les Romains des hommes qui n'étaint pas protégés par le pouvoir publique, contre l'excès du pouvoir domestique; il y avait donc des hommes *hors de la loix publique*, hors de la société par consequent, ce qui est pour l'être naturellement sociable le plus haut degré possible d'oppression » (De Bonald, *Spectateur Francais au XIX siécle*, t. I, p. 265).

(*b*) Plurima videantur apud de Burigny, *Première mémoire sur les esclaves romains*, Mém. de l'Acad. (des Inscrip. t. XXXV, in 4, p. 328).

De Pedanii morte refert Tacitus: « Praefectum urbis Pedanium Secundum servus ipsius interfecit. Cum veteri ex more familiam omnem, quae sub eodem tecto mansitaverat, ad supplicium agi oporteret, concursu plebis, quae tot innoxios protegebat, usque ad seditionem ventum est; Senatuque in ipso erant studia nimiam severitatem aspernantium. » In quos, sententiae loco, concludebat C. Cassius: « Suspecta maioribus nostris fuere ingenia servorum, etiam cum in agris aut domibus iisdem nascerentur, charitatemque dominorum statim acciperent. Postquam vero NATIONES in familiis habemus, quibus diversi ritus, externa sacra, aut nulla sunt; COLLUVIEM istam nonnisi metu coërcueris. At quidam insontes peribunt. Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos, utilitate publica rependitur. » Tristis societas, quae nonnisi ingenti insontium caede servabatur! « Sententiae Cassii ut nemo unus contraire ausus est, ita dissonae voces respondebant: numerum, aut aetatem, aut sexum, aut plurimorum, indubiam innocentiam miserantium. Praevaluit tamen pars, quae supplicium decernebat: sed obtemperari non poterat, conglobata multitudine, saxa, ac faces minitante. Tum Caesar populum edicto

IX. Neque vero in servos facile placabilis erat ille sexus qui a pietate nomen tulit. Romanae namque matronae, quum ab unguiculis servorum cruciatibus et cruentis gladiatorum pugnis, domi et in amphitheatro insuevissent, adeo in ancillas animum obduruerant, ut in eas impetus et cupiditates quae muliebre ingenium vexant, ulciscerentur. Non Gratiarum dexteritas aut venustas effecissent ut malam quandoque despoticae dominatricis voluntatem, lacrymis et sanguine miserrimae non solverent. Si in comis aut vestibus componendis quid minimum displicuisset, domina aciculas in ancillae carnes, in brachiis, in pectore, suis ipsa manibus infigebat. Alias, capillis suspensa, tamdiu caedebatur, donec aspicientis et gaudentis dominae vox audiretur: *Bene est; satis* 1).

1) Vide: *Sabine, ou matinée d'une dame romaine*, par C. A. Boettiger.

X. Hi ne cives an barbari? Imo, aureo quod appellant artium ac litterarum saeculo, haec contingebant. Adeo humanitas ab humanitate recesserat! Haec, atrox illa philosophia et iurisprudentia praestiterant, quae naturali unitate et aequalitate hominum despecta, proprietatem hominis in hominem constituebant, servos autem non inter homines sed inter res et vilissima quaeque animalia accensuerant. Declarato itaque servitutis facto, in ius inquiramus, seu in doctrinam et in leges unde tam exitiosum in gentibus factum extiterat. Nam ex ideis mores: corruptus autem mos in societate, errorem arguit in doctrinis quibus societas informatur.

XI. Duplex igitur veluti hominum genus philosophia vetus effinxerat: *servos* et *liberos*. Viles illi, et a Iove ipso damnati. Animae dimidium servis abstulit Iupiter, ait Homerus 2). Homerum appellans Plato: « Nihil in servis integri, nihil sani 3). » Aristoteles: « Ea ratione qua a natura imperium asseritur viro in mulierem, animo in corpus, homini in belluas, artifici in instrumentum; ita liberis in servos. » Docebat enim, homines ab hominibus adeo differre, ut ab animo corpus, ab homine bellua, ab artifice instrumentum quo ipse utitur. Adeoque alios ad imperium, alios ad servitutem naturaliter genitos 4). » Sunt qui Aristotelem excusent: sed frustra. Si imperii capaces alios, alios incapaces dixisset, recte quidem: hoc enim in militia, in artibus, in scientiis evenit. Sed aliud efferunt philosophi verba et contextus: naturale scilicet ius servitutis, quale habebatur in factis 5). Posito autem hoc iuris principio, quibus legibus in servos Graeci uterentur, facile colligitur, etsi facta gentis delitescerent.

2) *Odyss.* XVI.

3) *De Leg.*, VIII.

4) *Politic.*, I, 1, 3.

5) Cf. Balmes. *Il Protest. comparato col Cattol.*, c. XVI. Roma, 1846.

XII. Romanorum iura nimis perspecta sunt: quorum licet iurisprudentia *ratio scripta* appellata sit, quum tamen servorum natura pecoribus aliisque rebus fructiferis accenseretur, pro aequis

increpuit : atque omne iter quo damnati ad poenam ducebantur, militaribus praesidiis sepsit » (Tac., *Annal.*, XIV, 42-45). Naturae vox a populo, non a legibus exaudiebatur!

sequentia habebantur iuris capita, quae collegit et disposuit Cocceius. 1. Servus, tamquam criminis reus, occidi, vendi, donari, legari, vel noxae dari potest. 2. Hoc sensu, rerum et bestiarum loco habetur. 3. Servile caput nullum ius habet, nullius iuris est capax, imo nullam personam habet, adeoque mortuis comparatur. 4. Nec iungi in matrimonio, nec filios habet in potestate. 5. Nulla iniuria fieri potest servo, sed soli domino; et quidquid acquirit servus, domino acquirit, etiam ignoranti, invito vel prohibenti: qui enim in alterius potestate est, nihil proprii habere potest. 7. Filii quoque, utpote portiones corporis servilis, fortunam parentum sequuntur. Adductis legibus, haec omnia iure romano demonstrat Cocceius; aeque nos referentes, pro patribus nostris, ceteroqui legumlatorum sapientissimis, erubescimus 1). Quum talia ferrent leges, mores facillime explicantur.

1) Samuel Cocc., *Dissert. prooemial. ad* Grot. XII, lib. 3, c. 3, §. 133.

XIII. Id vero mirabilius quod, hac nostra ferme aetate, iuris naturalis et civilis consultissimi eumdem errorem tuerentur, caeca romanorum legum veneratione decepti. Nam, quum Grotio videretur non satis naturali congruere aequitati quod servorum filii non in parentum sed dominorum essent potestate, graviter reprehenditur ab utroque Cocceio, eo quod « servi a Romanis pecudum loco haberentur 2); et consequenter quicumque ex ancilla nasceretur, licet ex patre libero, servus erat 3). Quumque haec servitus a iure romano definiretur: Constitutio *iuris gentium*, qua quis iuri alieno *contra naturam* subiicitur 4) »; Samuel Cocceius, *iuris gentium* nomine hoc loco ius naturae intelligendum esse contendit; dum vero dicitur *contra naturam*, non contra naturale ius intelligendum putat, sed contra instinctum ac facultatem mere materialem qua omnia animantia, natura ducente, feruntur ad libertatem 5). Unde aequaliter esset contra naturam, homines vel aves caveis claudere, ad oblectamentum vel ad servitutem.

2) Ibid., §. 271, 272.
3) L. 7, C., lib. 3, t. 32.
4) L. 4, ff, lib. I, t. 5.
5) Loc. cit., §. 130.

XIV. Verum, quum a sincero et perspectissimo naturali iure nec ipse Cocceius servitutem eruere posset, hisce ratiunculis eam a belli iure deducere nititur: « Quem enim, inquit, statim occidere licet, eum magis servare ac dominio nostro subiicere, et ad supplicium differre licitum est 6). » Atqui, reponimus, 1. pauci admodum servi a belli iure vel facto originem ducunt: hinc servos, a *serviendo* potius quam a *servando*, dictos existimamus. Unde ergo ius in ceteros qui nunquam bello capti sunt? 2. Hostes in bello capti, homines cum sint, nullum ius patitur, ut, nocendi ablata potestate, brutorum more conterantur.

6) Loc cit.

XV. Duplex tamen servitutis genus: *obnoxia* et *mercenaria*. Obnoxiam, quasi criminis noxiam, dicimus imperium quo homo adeo homini dominatur, ut de illo, eius vita, eiusque facultatibus, suo statuat arbitratu (*a*). Mercenaria, est societas qua quis,

(*a* Obnoxius, ex Festo, idem est ac poenae obligatus ob delictum. Haec autem servorum aestimatio apud Romanos, seu potius, delictum erat

vel ad tempus vel in perpetuum, alteri opera sua, alter vero mercedem rependit. Haec, quae *ad tempus* sit, laudabilis et necessaria: quae vero *ad vitam,* dum iura creaturae rationalis intacta serventur, minus ipsa congruit hominum naturae et societati, tolerabilis tamen, et apud Haebreos viguit: et deinde apud Christianos, eam rerum et temporum adiunctis exposcentibus, ut sequenti titulo declarabimus. At *obnoxia* servitus, qualis apud ethnicas gentes extitit, iure naturali omnino reprobatur.

XVI. Nam, primum iuris fundamentum est naturae humanae *unitas* et *aequalitas,* imaginem ipsa referens Divinitatis, Dei solius imperio naturaliter mancipata, ad eius consortium evecta, iisdem substantialiter facultatibus instructa, eadem origine iisdemque finibus, fratrum una eademque familia constituta. Ergo nulla dispotica dominatio, seu proprietas, alterius in alterum, partis in partem, aequalis in aequalem. Politica dominatio, imperium vel iurisdictio est, non qualis in res materiales vel in bruta exercetur proprietas: cum enim omnia sub hominum pedibus subiecisset Deus, non hominem, non sui imaginem, cui creaturarum rerum adscripserat famulatum. Atqui per obnoxiam servitutem haec frangitur generis unitas, humanae familiae dissolvitur integritas et aequalitas; et superbissima creatura, Creatoris imaginem captivam habet. Plurimi vel miseri vel infirmi in eadem familia; sed numquid non homines? Numquid a iure, a societate, a familia expellendi, ut Platoni et Aristoteli visum? Ex adverso, nonne assumendi et fovendi uti membra de membro? Nonne inde validior naturae vox quae ad pietatem vocat atque ad praesidium?

XVII. Unde ergo servitutis plaga, qua una fratrum pars ab altera obruebatur? Non aliunde sane quam a naturae ipsius corruptione, quae insurgens in Deum, et in eius imaginem insurrexerat; Deum ignorans vel despiciens, hominem quoque ignoraverat vel despexerat; Dei unitatem reiiciens eiusque paternitatem, humani inde generis unitatem ac fraternitatem prosciderat. Haec problematis solutio; unde hoc consequebatur: nonnisi restaurata divinitus Dei notione, unitate ac paternitate, nunquam restaurandam esse hominum dignitatem, unitatem, originis aequalitatem ac fraternitatem. Quae restauratio sicut erat in votis, sic, respiciente Numine ad opus quod condiderat, successit in factis.

---

ipsa servitus, cui aequum esset omne supplicium. Quod discimus ex Iuvenali:

> Pone crucem Servo. - Meruit quo crimine servus
> Supplicium? quis testis adsit? quis detulit?...
> O demens! ITA SERVUS HOMO EST? Nihil fecerit: esto.
> Hoc volo; sic iubeo: sit pro ratione voluntas. (IUVEN., *Sat.* VI. v. 223...)

TITULUS XV.

DE NATURAE HUMANAE RESTAURATIONE QUOAD SERVITUTEM.

I. Religio mosaica et christiana obnoxiam servitutem convertit in mercenariam. II. Iurisprudentia mosaica de servis Hebraeis; III. de advenis. IV. Difficilius e philosophia, e legibus, e moribus gentium, servitus evellebatur. V. Per Christum, non philosophice, sed divinitus, Spiritus descensio peragebatur. VI. Novum ius gentium, *unitas* et *charitas*. VII. Hinc fratrum magna familia, ubi nemo iudaeus vel gentilis, *servus* aut *liber*. VIII. Iam percita Roma. IX. Humanae unitatis idea mentem Ciceronis ut fulgur pertransierat. X. Senecae insidet. XI. Qui servitutem vehementer aggreditur; XII. Pauli philosophiam edoctus. XIII. Plebs et Nero ipse de christiana aequitate aliquid persenserant. XIV. Sed primum natura a peccati servitute erat restauranda. XV. Deinde ordinanda charitas, iustitia et obedientia, quibus vetus societas in novam convertebatur. XVI. Quam aptissima et prudentissima reformatio Christi et apostolorum. XVII. Servitus extemplo e christianorum moribus et doctrinis exulaverat. XVIII. Omnes spiritu fratres, religione conservi, ex Lactantio. XIX. Inde firmior assurgit et sublimior politicus dominatus. XX. Plenum Augustini systema de servitute et politico principatu. XXI. Contraria Patrum et seditiosorum prudentia.

I. Non impossibilia praecipere, non delectari utopiis, sed emollire primum servitutem, ex obnoxia in mercenariam convertere, eam demum funditus convellere; haec fuerunt Mosaicae ac deinde Christianae religiónis studia et officia.

II. Electo a Deo, sed durae cervicis populo, longa autem Aegyptiorum ac finitimarum gentium consuetudine inquinato, non quod optimum sed quod moraliter factibile esset imperaverat Moyses, propheta, dux et legislator. Distinctis enim Hebraeis ab advenis, de illis praecipiebat: « Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes servitute famulorum, sed quasi *mercenarius et colonus erit*: usque ad annum iubilaeum operabitur apud te, et postea egredietur cum liberis suis, et revertetur ad cognationem et ad possessionem patrum suorum: *mei enim servi sunt*, et ego eduxi eos de terra Aegypti; non veneant conditione servorum; ne affligas eos per potentiam, sed *me-*
1) *Levit.* XXV, 39 43. *tuito Deum tuum* 1). » Hinc Hebraei a servitute excepti, mercenariorum et colonorum loco habendi; et quidem intuitu Dei. Haec nova, nec audita apud ceteras gentes. Insuper: « Cum tibi venditus fuerit frater tuus Hebraeus aut Hebraea, et sex annis servierit tibi, in septimo anno dimittes eum liberum: et quum libertate donaveris, nequaquam vacuum abire patieris: sed dabis viaticum de gregibus et de area et torculari tuo, quibus Dominus Deus tuus benedixerit tibi. Memento quod et ipse servieris in terra Aegypti, et liberaverit te Dominus Deus tuus, et idcirco ego nunc prae-
2) *Deuter.*, XV, 12-15. cipio tibi 2). » Patet ex contextu, *venditionis* nomine ex gentibus assumpto, opera intelligi, non corpora: unde obnoxia servitus in mercenariam conversa fuerat; atque ad tempus constituta, nisi illam proferri servis placuisset.

III. Quid de advenis? Domus refugii, omnis terra Israel: « Non trades servum domino suo, qui ad te confugerit; habitabit tecum in loco qui ei placuerit, et in una urbium tuarum requiescet: ne contristes eum 1). » Praecepta humanitatis opera 2), peractae olim servitutis adiecta recordatione: « Et recordaberis quia servus fueris in Aegypto 3). » Praesentissima et instans cordibus sententia: « Non ignara mali, miseris succurrere disco. » Servis et ancillis tributa requies diei septimae 4). Eiusdem mensae ac solemnitatum participes effecti 5); heris sublato vitae et necis dominio 6). Si ancillam dominus percusserit, reddet quantum maritus expetierit, et arbitri iudicaverint; si perfusserit oculum servi aut ancillae, vel dentem excusserit, dimittet eos liberos 7). Quam humanitatem cum extra Iudaeorum populum nullibi apud gentes invenias, non leve ibi moralitatis, et conservatae sive restauratae iustitiae elementum fatearis necesse est: imo saniora dedisset Moyses, nisi « filii dura facie et indomabili corde » extitissent 8) (*a*).

1) *Deuteronom.* XXXIII, 15, 16.
2) Ib., X, 19.
3) Ib. XVI, 12.
4) *Exod.* XX, 19.
5) *Deuteronom.*, XVI, 11-14.
6) *Exod.* XXI, 20.
7) *Exod.* XXI, 22, 26, 27.
8) Ezechiel., II, 4.

IV. Arduum magis et laboriosum opus, servitutem quae in omnium gentium ius et factum evaserat, e philosophicis doctrinis, e legibus, e moribus convellere. Hoc tamen Evangelica dogmata et sapiens atque efficax Ecclesiae longanimitas tandem perfecerant.

V. Dum enim, ut superiori titulo disseruimus, saeva et probrosa servitus, praesertim apud Romanos, fastigium attigerat; magna et inaudita ex orientalibus plagis divulgabantur. Crux mundum redemerat. Christus quaecumque civilia, quaecumque amabilia, non philosophus ipse neque in ulla philosophorum schola edoctus, sed ex Patris sinu, ex aeterna nimirum veritate et iustitia detulerat. Quis autem hominum purae semper veritati ex tot erroribus colligendae suffecisset? Tamen officia quaevis naturalia, quae recta ratio philosophis dictaverat, novis demum ac sublimioribus incrementis adaucta, universis saeculis per Evangelium efferebantur. Tunc revera Dei et naturae sacramenta (seu abscondita) revelata sunt: animae primum, deinde hominum corpora, familia et societas redempta; tuncque in genus humanum ea spiritus descensio peracta est, qua omnia renovata sunt.

VI. Christus itaque, philosophiam praetervolans quae hic et illic vix incondita humanitatis rudimenta a longe salutaverat, charitatis systema plenissimum et perfectissimum ediderat, cuius pulchritudine non philosophorum tantum sed populorum mentes allicerentur, corda autem actuoso amore incalescerent. Unus ipse fraternitatis originem in Divinitatis unitate ac paternitate constituens, divino eam praeconio exornaverat, simulque eius naturae excellentiam et praeceptum tradiderat. Vere aiebat ille: « Mau-

(*a*) De modis incundae servitutis, servorumque conditione apud Hebraeos, vide ACKERMANN, *Archaeologia biblica*, § 168 171. Viennae, 1830.

datum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos 1). » Dilexit vero usque ad mortem. Fidissimus autem eius interpres Paulus: « Unum corpus et unus spiritus.... unus Dominus, una fides, unum baptisma, *unus Deus et pater omnium,* qui est super omnes, et super omnia, et in omnibus nobis 2). » Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra 3). » Quis ausus fuisset philosophorum, omnes homines unum corpus in Deo Patre appellare ? Sed eu cum divina affinitate et fraternitate, solidarietatem quamdam universalem : « Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra : sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro 4). » Quid hanc gignit cum fratribus et cum Deo unitatem? CHARITAS.

1) Ioann. XIII, 34.

2) *Ephes.*, IV, 5.

3) *Rom.*, XII, 17.

4) *Corinth.*, XII, 26, 27.

VII. Hac charitatis unitate, non ipsa solum servitus concidebat, sed iam unde magna fratrum familia, uno Deo, una lege, iisdem beneficiis devincta, a Ierusalem usque in Hispaniam, extendebatur 5). Iam, soluto divisionum pariete, fratres fratribus copulantur 6). Iam non est distinctio Iudaei et Graeci: nam idem Dominus omnium 7). Imo unum omnes sunt, sive Gentiles, sive SERVI sive LIBERI 8).

5) *Rom.*, XV, 24-28.

6) *Ephes.*, II, 13. 14.

7) *Rom.* X, 12.

8) *Corinth.*, XII, 13.

VIII. Novam adeo doctrinam, Romae cito iusonuisse, procul dubio est. Iam Tiberius, actibus Christi a Pilato exceptis, ni obstitisset Senatus, eum in Deos intulisset 9). Evangelium ex humili Palaesthina, cultissimas Asiae Minores et Graeciae provincias, ipsamque Caesaris domum, ingressum fuerat: « Salutant vos qui de Caesaris domo sunt: » quae est salutatio Pauli ad Philippenses 10). Pauli vero doctrina, ardentissimi ac disertissimi viri, romanae urbi eiusque philosophis, Senecae autem potissimum, certissime innotuerat. Hinc versa rerum facies.

9) Tertull., *Apologet.*, 5.

10) *Philipp.* IV, 22.

IX. Equidem Cicero, aeternae legis assertor et vindex, ex legis unitate, unam iam omnium civitatem constituerat: «Ut iam universus hic mundus, *una civitas communis* Deorum atque hominum existimanda 11). » Sed ingeniosam mentem idea illa veluti fulgur pertransierat, quin eam ullo modo ad servitutem converteret. Imo docuerat in Officiis : « Iis qui vi oppressos imperio coërcent, est sane *adhibenda saevitia, ut heris in famulos* 12); » idemque mirabili quadam indifferentia de Domitio praetore loquebatur, qui servum , eo quod singularis magnitudinis aprum occidisset, cruci suffigebat 13). Omni excussa philosophia, nihil prorsus inveniens, quod sequentibus evangelicis fere Senecae dictis aequiparetur.

11) Cic., *De Leg.* I, 7.

12) Id., *Off.*, II, 7.

13) Id., *in Verrem*, V, 3.

X. Ipse, e suorum moribus discedens, humanae familiae praeceperat unitatem et charitatem: « Philosophia docuit colere divina, *humana diligere,* et penes Deos imperium esse, *inter homines consortium* 14). » Idem : « Homo sacra res homini! Omne hoc quod vides, quo divina atque humana conclusa sunt, unum est: *membra sumus corporis magni.* Natura nos cognatos edidit,

14) Senec., *ep.* 90.

quum ex iisdem et in eadem gigneret. Haec nobis amorem dedit mutuum, et sociabiles fecit 1). »

1) Senec., *ep.* 95.

XI. Explicite dominorum saevitiam insectabatur: « In servos superbissimi, crudelissimi, contumeliosissimi sumus 2). » Et servorum causam agens: « Servus est? Fortasse liber animo 3). » « Servi sunt? Imo homines 4). » Alibi: « Corpora obnoxia et adscripta dominis: mens quidem sui iuris est 5). » « Eadem omnibus principia, eadem origo 6). » Haec autem vehementiora, quae non abs re, fractis adeo temporibus contingebant: « Quid est eques romanus, aut libertinus, aut servus? Nomina ex ambitione aut ex iniuria nata: subsilire in caelum ex angulo potest 7). » Hinc ad mores respiciens: « Sic cum inferiore vivas, quemadmodum tecum superiorem velles vivere 8). »

2) Id., *ep.* 95.
3) Id. *ep.* 47.
4) Ib.
5) Ib.
6) Id., *de Benef.* III. 20?
7) Id.. *ep.* 32.
8) Id., *ep.* 47.

XII. Parallela s. Pauli et Senecae loca collecta sunt, nec pauci occultum Senecae christianismum suspicantur. Frustra tamen. Unus ex iis fuit, « qui cum cognovissent Deum, non tamquam Deum glorificaverunt 9). » Deque illo s. Augustinus: « Iste quem philosophia quasi liberum fecerat, tamen quia illustris populi Romani senator erat, colebat quod reprehendebat, agebat quod arguebat, quod culpabat adorabat 10). » Imo cum sceleratissimam dixisset Iudaeorum gentem: « Christianos in neutram partem commemorare ausus est, ne vel laudaret contra suae patriae veterem consuetudinem, vel reprehenderet contra propriam forsitan voluntatem 11). » Pauli philosophiam persensit, ad religionem non pervenit (*a*).

9) *Rom.* I, 22.
10) Aug., *de Civ.* VI, 10.
11) Ib. VI, 11.

XIII. Nec philosophia tantum, sed ipsa plebs, Nero ipse, forsan Seneca et Burrho agentibus, aliquid christianae aequitatis animo exceperant. Nam, Nerone imperante, magistratus ad excipiendos servorum questus, primum institutus fuit. Narcissus autem libertus, libertorumque patronus, ac Neronis gratia potentissimus, aiebat apud Petronium: « Amici et servi, homines sunt, et aeque unum lactem biberunt. Me salvo, cito aquam liberam gustabunt 12). » Sed Neronis lex, Neronis saeculo, quid boni contulit? Nihil. Quid Narcissi ius, sed arroganter prolatum?

12) Satyric., 71.

(*a*) « Seneca saepe noster » ait Tertullianus (*De anima* 20). Extat libellus Argid. Stanchii *de Christianismo Senecae*; Witembergae, 1668; vel Ienae, 1706. Tum: Fr. Ch Gelpke *Tractatiuncula de familiaritate quae Paulo Apostolo cum Seneca philosopho intercessisse traditur, veresimillima*; Lipsiae, 1813. Primis Ecclesiae temporibus quaedam circumferebantur *Epistolae Pauli ad Senecam* . *et Senecae ad Paulum*; « In quibus, scribit s. Hieronimus, cum esset Neronis magister, et illius temporis potentissimus, optare se dicit eius esse loci apud suos, cuius sit Paulus apud christianos » (S. Hier. *De vir. illustr.*, 12) Certe suppositiliae sint quae nunc existunt, sed veras extitisse, putant Iustus Lipsius aliique (Iust. Lips., *Vit.*, *Senecae*, *10*; Fabric., *Biblioth. eccl.*, p. 67). Hoc solum volumus: ex Paulo, adeoque ex Christianismi fontibus, sublimes quas aliquando effundit sententias decerpsisse Neronis magistrum. Cf: *Trois Mémoires relatifs à l'hist. ecclés. des premiers siècles*, *par* J. G. H. Greppo; Paris 1840.

Nihil. Dei nimirum erat; eiusque sapientiae et charitatis, novam condere gentem.

XIV. Hinc non in Christo eiusque discipulis superba atque indignantia illa verba: *Me salvo, cito aquam liberam gustabunt.* Non minae, non seditionum pabula: societas enim traditionale et perantiquum hominum aedificium, non extemplo in novas formas detruditur, quin ad peiora labatur. Hominis autem in hominem dominatio, cum ex universa orta fuisset naturae corruptione, haec primo in universum erat restauranda, ut, consanata radice, et societatis rami convalescerent. Carnis nempe et peccati servitus dissolvenda erat, ut spiritus ad civilem dein libertatem consurgeret. Huc itaque spectabat Apostolus gentium: « Cum enim ser-
1) *Rom.*, VI, 20. vi essetis peccati, liberi fuistis iustitiae 1) (*a*). « Haec primum libertas, non per arma civilia, sed per iustitiae servitutem, conquirenda: « Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiae, et iniquitati ad iniquitatem; *ita* nunc exhibete membra ve-
2) Ibid., 19. stra servire iustitiae in sanctificationem 2). » Haec summa libertas, omniumque libertatum fundamentum. Per iustitiam enim ad Deum accedimus, Deo inhaeremus, eiusque spiritu vivimus: » Ubi
3) II *Corinth.* III, 17. autem spiritus Domini, ibi libertas 3). » Sancta quidem libertas, qua populi eorumque imperantes reficiebantur, quam extunc nonnulli, sed demum maxime Lutherus eiusque asseclae, in divinam et politicam insurrectionem converterant, « quasi velamen haben-
4) I Petri, II, 16. tes malitiae libertatem 4). »

XV. Peccato igitur expulso, prima servitutis causa expellebatur, quum, ex Augustino, saevissimo dominatu vastet corda
5) *De Civ.*, XIX, 15. mortalium libido ipsa dominandi 5). Deinde, pro peccato, infusa omnium charitas, hinc iustitiae, illinc obedientiae imperio restaurato. Ex Christi autem sententia, divinae fidei atque amori Apostolus curam domesticorum parem fecerat: « Si quis autem suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit,
6) II *Timoth.* V, 8. et est infideli deterior 6). » Una siquidem voce, domesticorum nomine, omni fere sublato discrimine, filios et servos complectebatur. Explicite vero dominorum in servos aequitatem, unius Domini eiusque iudiciorum recordatione exorabat: « Domini, quod iustum est et aequum servis praestate: scientes quod et vos *Do-*
7) *Colossens.*, IV, *minum habetis in caelo* 7). » Servis autem praecipiebat: « Servi, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, *timentes*
8) Ib., III, 22. *Deum* 8). » Sic una omnium instituta familia, atque unius Dei imperio atque intuitu discretis iuribus atque officiis, recte edice-

(*a*) Horrendo servitutis iuri, quod apud gentes obtinuerat, nefandam peccati servitutem Christus et Apostoli aptissime comparant, quatenus ex peccati mancipiis *ingenui iustitiae cultores* effecti simus, non vero ab humana qualibet et divina lege soluti, ut beatus blasphemat Lutherus, eiusque sectatores, expertissimi insurrectionum magistri, hactenus interpretantur.

re poterat: « Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.... Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est domini: similiter qui liber vocatus est, servus est Christi 1). » Hac prudentia, hisce officiis, vetus societas in novam, sine labore ac tumultu, aequo et firmo gradu vertebatur.

1) I *Corinth.*, VII, 20, 22.

XVI. Si Christi haec eiusque discipulorum documenta cum neotericis imperiorum reformatoribus conferas, videbis Christum humani generis reformationem ab individuorum restauratione incipiendo, illam eo ordine perduxisse ut hominum natura caelesti generatione refecta, animi infirmitatibus expurgata, vitiis detersa, virtutibus aucta, aptior quoque ad accidentales vel civiles perfectiones evaderet. Aeternus ipse, et naturam quam condiderat intime pernoscens, non praepropere urgere tempora, sed rerum causas disponere, officia serere, fructus expectans in patientia, naturam universam instituere, non compellere vel frangere, aggressus est. Contra vero, levissimi aetatis nostrae politici, societatem animo saltem et verbis innovaturi, hominum substantialia, aequitatem, virtutem, contemnunt; saeculorum institutiones quae, altissimis defixae radicibus, moribus et cordibus inhaerent, floccipendunt; possibilia a non possibilibus, opportuna ab importunis minime separant; universam societatem distorquent ac funditus miscent.

XVII. In hanc malorum colluviem, societatem praecipitem egissent Christus et Ecclesia, servitute extemplo dissoluta: eo praesertim tempore, quo iam tanta otiosorum et pessimorum plebe gravabatur ac fatiscebat Imperium. Sed omnium in Deo constituta fraternitate ac naturae aequalitate, servitus primo e doctrinis, e moribus deinde atque e legibus emigrabat. Primi Christianorum mores, *charitate fraternitatis* conspicui, ethnicis exclamantibus: « En ut se diligunt Christiani! » Secundo et tertio saeculo, Tertullianus aliique eadem gloriatione laetantur. Quarto ineunte, haec in paganos habet Lactantius: « Deus qui homines generat et inspirat, OMNES AEQUOS IDEST PARES esse voluit. Eamdem conditionem vivendi omnibus posuit; omnes ad sapientiam genuit; nemo a beneficiis eius segregatur. Nam sicut omnibus unicum suum lumen aequaliter dividit, emittit omnibus fontes, victum subministrat, quietem somni dulcissimam tribuit; sic omnibus aequitatem virtutemque largitur. NEMO APUD EUM SERVUS EST, NEMO DOMINUS: SI ENIM CUNCTIS IDEM PATER EST, AEQUO IURE OMNES LIBERI SUMUS. Nemo Deo pauper est, nisi qui iustitia indiget; nemo dives, nisi qui virtutibus plenus est; nemo denique egregius, nisi qui bonus et innocens fuerit; nemo clarissimus, nisi qui opera misericordiae largiter fecerit; nemo perfectissimus, nisi qui omnes gradus virtutis impleverit. Quare neque Romani neque Graeci iustitiam tenere potuerunt, quia dispares multis gradibus homines habuerunt, a pauperibus ad divites, ab humilibus ad potentes, a privatis denique usque ad re-

gum sublimissimas potestates. UBI ENIM NON SUNT UNIVERSI PARES, AEQUITAS NON EST; et excludit inaequalitas iustitiam, cuius vis omnis in eo est, UT PARES FACIAT EOS QUI AD HUIUS VITAE CONDITIONEM PARI SORTE VENERUNT. Duobus igitur illis iustitiae fontibus immutatis (pietas in Deum, aequalitas hominis ad hominem), omnis virtus et omnis veritas tollitur; et ipsa iustitia remigrat in caelum 1). »

1) Lactant. *Div. Instit.*, V, 15, 16.

XVIII. Christiani Ciceronis dicta, quo naturaliora, eo sublimiora conspiciuntur. Ne tamen, societatis gradibus deletis, quamdam anarchiae et communismi speciem prae se ferre videretur, sibi obiicit: « Dicet aliquis: Nonne sunt apud vos, alii pauperes alii divites, alii servi alii domini? Nonne aliquid inter singulos interest? »

Respondet ipse: « Nihil: nec alia causa est, cur nobis invicem fratrum nomen impertiamus, nisi quia pares nos esse credimus. Nam cum omnia non CORPORE sed SPIRITU metiamur, tametsi corporum sit diversa conditio, nobis tamen servi non sunt, sed eos et habemus et dicimus SPIRITU FRATRES, RELIGIONE CONSERVOS. Divitiae quoque non faciunt insignes, nisi quod possunt bonis operibus facere clariores. Divites sunt enim, non quia divitias habent, sed quia utuntur illis ad opera iustitiae. Et qui pauperes videntur, eo tamen divites sunt, qui et non egent, et nihil concupiscunt. Quum igitur et liberi servis, et divites pauperibus, HUMILITATE ANIMI PARES SIMUS; apud Deum tamen virtute discernimur. Et tanto quisque SUBLIMIOR EST, QUANTO IUSTIOR 2). »

2) Ibid.

XIX. Nemo profecto, lucidiori atque integriori sententia, naturae *aequalia ac substantialia*, et conditionum *iura civilia inaequalia et accidentalia*, definire poterat. Iam tibi videtur absoluta aequalitate evertere societatem, quum illam potius, naturali et evangelico aequalitatis fundamento, sublimiori ordine et pulchritudine construit. Quod catholicorum ingeniorum est insigne, veritatem ad extremam usque faciem persequentium; atque in re nostra, aequalitate originis obnoxiam servitutem evertentium, dum firmiorem redderent familiarem et politicum dominatum.

XX. Sed omnibus maior Augustinus, cuius facile miraberis ingenii robur atque audaciam. Nam, cum statuisset: « Etiam qui imperant serviunt eis, quibus videntur imperare: neque enim *dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi*; nec principandi superbia, sed providendi misericordia 3); » prosequitur: » Hoc naturalis ordo praescribit, ita Deus hominem condidit. » Cur vero? Quia in hunc finem condidit, ut « praesit piscibus maris, et volatilibus caeli, et bestiis universaeque terrae 4). » Hominem autem, subsumit Augustinus, « rationalem factum, ad imaginem suam, noluit nisi irrationabilibus dominari: NON HOMINEM HOMINI, SED HOMINEM PECORI 5). » En, cum

3) *De Civit.* XIX, 14.

4) *Gen.*, I, 26.

5) Aug., loc. cit. 15.

obnoxia servitute, excissum omnem tyrannicum dominatum. « Prima ergo, concludit, servitutis causa peccatum est: nomen istud culpa meruit, non natura 1). « Est tamen bona quaedam servitus, mercenaria nimirum et politica, de qua Augustinus: « Verum et poenalis servitus ea lege ordinatur, quae naturalem ordinem conservari iubet, perturbari vetat... donec transeat iniquitas, et evacuetur omnis principatus et potestas humana, et sit Deus omnia in omnibus 2). » Qui vero antiquitus fuerunt iusti, ita habuerunt servos ut « omnibus domus suae membris pari dilectione consulerent: quod naturalis ordo ita praescribit, ut nomen patrumfamilias hinc exortum sit, et tam late vulgatum, ut inique etiam dominantes hoc se gaudeant appellari 3). » Sed ne quis *consulendi* sententia, quae ad imperantis refertur mansuetudinem, ipsum everteret imperium, sic coërcendi declarat potestatem: « Si quis autem in domo per inobedientiam, domesticae paci adversatur, corripitur, seu verbo, seu verbere, seu quolibet alio genere poenae iusto atque licito, quantum societas humana concedit: pro eius qui corripitur utilitate, ut paci unde dissiluerat coaptetur. Sicut enim non est beneficentiae, adiuvando efficere ut bonum quod maius est amittatur, ita non est innocentiae, parcendo sinere, ut in malum gravius incidatur. Pertinet ergo ad innocentis officium, non solum nemini malum inferre, verum etiam cohibere a peccato, vel punire peccatum: ut aut ipse qui plectitur, corrigatur experimento, aut alii terreantur exemplo 4). » Quae cum de domestica praesertim societate dicta sint; domus autem initium sive particula sit civitatis; et omne initium ad aliquem sui generis finem, et omnis pars ad universi, cuius est pars, integritatem referatur: hinc infert Augustinus, familiae imaginem servandam esse in politico principatu, et referendam esse familiarem ordinationem ad civium concordiam et pacem.

1) Aug., loc. cit., 15.

2) Ibid.

3) Ibid., 16.

4) Ibid.

Quī in his non videat restauratae societatis integrum systema et exemplar, nihil plane videt.

XXI. Eadem aliorum Ecclesiae Patrum mens et loquela. Sed haec eorum prudentia: ut cum populos instituerent, mansuetudinem et obedientiam, cum vero populorum rectores alloquerentur, vel naturae iura philosophice definirent, libero calamo aequalitatem et fraternitatem urgerent, imperandi iura ad consulendi ac providendi officia redigentes. Quibus contraria ex integro seditiosorum ars et consuetudo, populorum auribus continuo servitutis ac tyrannidis odiosa nomina inclamantium. Hinc contrarii ex utraque parte effectus oriebantur: illi servitutem, sensim sine sensu, nulla vehementi societatis concitatione, a moribus, a legibus, a iure gentium expulerunt; hi ex adverso, populos falsa aequalitate ac libertate decipientes, societatem quasi mare fervens agitationibus et doloribus commovent.

TITULUS XVI.

SERVITUS EXPUNGITUR E IURE GENTIUM.

I. Religiosa servorum manumissio sub Constantino. II. Manumissionum excessus, sed laudabile consilium. III. Augusti leges adversae: exscindenda societas, ut nova consurgeret. IV. Quae religionis pars; manumissionis forma exhibetur. V. Gregorio Magno pontifice, Romana Ecclesia civili iam et ecclesiastica potestate in populorum libertatem utebatur; VI. Neque ethnici unquam a libertatis beneficio depulsi. VII. Non recte Guizot. VIII. Indeficientia Ecclesiae studia et labores in servitutem. IX. Vel christianismus, vel servitus; cuius praesens renovatio esset socialismus. X. Summorum Pontificum in Nigritarum commercium Epistolae. XI. Americae incolas missionarii tuentur; sero leges. XII. Horrenda reipublicae iura ex Platone et Aristotele.

I. Si doctrinae mores, mores autem gentium leges efformant; servituti e gentium christianarum legibus erat exulandum. Nam christiana mansuetuto adeo ethnicorum quoque animos emollire coeperat, ut, Adriano et Antonino imperatoribus, a servorum dominis ad magistratus, ius vitae et necis translatum fuerit. Sed, Constantino principe, vere magna innovantur: primus enim imperantium publice christianae pietati nomen dederat. Eius Constitutio, anni 312, durior adhuc si cum nostris moribus comparetur, novae tamen humanitatis signum pro eo tempore existimabitur 1). Idem manumissionem in Ecclesia fieri permisit, praesentibus Episcopis, quasi religionis dictamen et consilium: RELIGIOSA MENTE 2) (*a*). Ipse clericis omnibus servos suos in plenissimam libertatem dimittendi facultatem indulsit, simplici verbali concessione, nulla solemnitate 3). Qua lege, Godefroy animadvertente, clericorum pietas et in libertatem propensio declarantur: qui et legem ab imperatore expostulaverant, et veluti collatum sibi beneficium acceperant. Pulcherrima autem hac via incedens Constantinus, ni tempora obstitissent, « magnam humani generis partem in civilem libertatem vindicasset 4). »

1) L. 9, C. Theod. *de emend. serv.*, unica, C. Iust. eod. tit.

2) L. 1 et 2, C. I., *de his qui in eccl.* et C. Th., lib. 4, tit. 7.

3) C. Th., *de manum. in eccl.*

4) Chateaubriand, *Essais hist.*

(*a*) En Constantini legem, renovatam a Iustiniano: « Iamdudum placuit, ut in Ecclesia catholica libertatem domini suis famulis praestare possint, ut sub aspectu plebis, adsistentibus Christianorum Antistitibus, id faciant. » Deinde: « Qui RELIGIOSA MENTE in Ecclesiae gremio servis suis meritam concesserint libertatem, eamdem eo iure donasse videantur, quo civitas romana solemnitatibus decursis dari consuevit. Sed hoc dumtaxat his, qui sub conspectu Antistitum dederint, placuit relaxari » (L. 1 C., *de his qui in eccles. etc.*). In hanc legem Augustinus: « Servum tuum manumittendum manuducis in ecclesiam. Fit silentium, recitatur libellus, aut fit desiderii tui prosecutio. Dicis te servum tuum manumittere, quod tibi in omnibus servaverit fidem » (*Serm.* 21). Quam mirus humanitatis progressus! Eodem in loco, eodem praesente religionis antistite, quo spiritualis servitus dissolvebatur, haec deiecta humanae familiae membra in civilem revocabantur libertatem. Cuius autem voce et auctoritate? Episcopi nutu id paragebatur, quod antea Imperii legibus et formalitatibus erat extorquendum.

II. Vereque tempora obstabant. Nam tot, impellente christiana charitate, manumissiones aderant, ut urbes libertinorum turmis gravarentur, quibus bona omnia deerant, excepta libertate. Excessus quidem, sed laudanda imprudentia, in eo saltem fraternitatis consilio quod illam dictaverat. Verum illa ipsa charitas quae servos liberos fecerat, miseros non derelinquebat. Pauperismo enim excrescente, quae Infimi Imperii *(Basso impero)* tristis erat plaga, legum humanitate mendicantibus provisum fuerat 1); et rogantibus Episcopis, aucta hospitalia et charitatis instituta 2), quae Iulianus apostata Christianis invidebat.

1) C. Th. et I, *de mendicantibus.*

III. Haec primi christiani imperatoris iurisprudentia quam alii sequebantur, eo vel maxime admiranda, quod religioso consilio genita, et Augusti legibus adversabatur. Augustus enim manumissionibus coërcendis, legibus Ælia Sentia anno U. C. 757, et Fusia Caninia anno 761, adlaboraverat. Nam, inter bella civilia, liberti legiones impleverant, et coniugiis, servorum sanguis, quod civile erat nefas, romano sanguine admiscebatur. Quamobrem servi, non ante annos triginta, memoratis legibus, nec in plenam libertatem vocabantur; sed in probrosam, quae inferior a Iustiniano 3), et pessima a Caio appellatur. Constantino autem imperante, maiestas romani nominis collabebatur, et christiana religio alte mentibus cordibusque insederat, libertatem exoratura. Attamen plures Augusti exceptiones usque ad Iustinianum extiterant: vanum nomen, quum a moribus iam excidissent 4). Sed universae redemptionis tempus nondum advenerat. Vetus societas erat exscindenda, ut haec quoque inhumanitatis vincula dilaberentur. Quod medio aevo peragebatur, nova societate exurgente, asperis quidem moribus, sed ethnicae sophistarum culturae anteponenda.

2) C. *de Episcopis*, passim.

3) Instit., *de libertinis.*

4) Cod. et Instit. *de lege Fusia Caninia tollenda.*

IV. Interea vero tantam romani iuris, quod ius erat gentium, conversionem, religio praestiterat. Quae pars fuerit Romanorum Pontificum, res ipsa loquitur, et ex Magno Gregorio discimus, cuius haec miranda sunt verba: « Cum redemptor noster, totius conditor naturae, ad hoc propitiatus humanam voluerit carnem assumere, ut divinitatis suae gratia dirupto, quo tenebamur captivi, vinculo servitutis, pristinae nos restitueret libertati: salubriter agitur si HOMINES QUOS AB INITIO NATURA LIBEROS PROTULIT, et ius *(arbitrium)* gentium iugo substituit servitutis, in ea QUA NATI FUERANT, manumittendis beneficio, LIBERTATE reddantur. Atque ideo PIETATIS INTUITU, et huius rei consideratione permoti, vos N. N., famulos sanctae Romanae Ecclesiae, cui, Deo adiutore, deservimus, liberos ex hac die, civesque romanos efficimus, omneque vestrum vobis relaxamus peculium 5). » Forma haec erat manumissionis, qua utebatur Pontifex, qui brevi temporis intervallo a Iustiniano dissitus, imperatoria fere utebatur auctoritate: *civesque romanos efficimus.*

5) S. Greg. M. *Epist.* VI, 12.

V. Populi in Ecclesiae patrocinium sese recipere didicerant,

ubi naturali tegebantur iustitia et aequitate; imperatores popularem illam fiduciam adiuverant, episcopos in civilis regiminis partem advocando; diruto Occidentali imperio, Bisantinorum imperatorum longinquitas et incuria, Pontificum Romanorum civilem potestatem adauxerant. Pontifices in quemnam finem ea utebantur? In populorum libertatem atque utilitatem. Sed quum etiam post illustres Narsetis ac Belisarii victorias, excrescens pauperismi labes, Romani Pontifices servitutis factum patiebantur, eius tamen ius cum Magno illo Gregorio funditus evellentes *Cum Redemptor noster etc.* Idemque Pontifex servos simpliciter *famulos sanctae Romanae Ecclesiae* appellabat, eosque liberos cum suo peculio, civesque romanos, civili potestate ac iudicio declarabat.

VI. Hinc miramur, Eduardum Biot, cum servitutis abrogationem Christianismo retulisset, scripsisse tamen, ethnicos ab hoc novae societatis beneficio, a christianis ipsis, in persecutionum vindictam, expulsos fuisse (*a*). Certe, cum ferrent leges ut in christiana ecclesia atque a christianorum antistite, servorum manumissio fieret, non Ecclesiae vertendum erat culpae, si iudaei atque gentiles ab ea abstinuissent. Nulla hinc iniuria, neque vindicta. Numquid, si de vindicta actum fuisset, Patres, Lactantius, Augustinus, Basilius, Chrysostomus, Gregorius Nazianzenus, Pontifices ipsi, uti Gregorius Magnus, naturalem omnium libertatem tam saepe, tam infracto magnoque animo apud magistratus atque imperatores adstruxissent? Quodsi nec unus affertur Ecclesiae doctorum locus in quo ipsi, christianorum tantum, et non omnium causam agerent; unde hoc calumniae genus quod affirmet, ethnicos a libertatis beneficio a christianis

(*a*) « Le Christianisme fait ce qu'il doit; il prend l'ordre politique de la société comme une condition donnée à laquelle il faut se soumettre; il admet comme un fait l'esclavage temporel. C'est à la moralité seule des hommes qu'il adresse ses efforts; c'est par la conviction seule, par les relations douces et amicales des fidèles, qu'il réussit à adoucir les moeurs de la société en général, et qu'il augmenta successivement le nombre de ses prosélites... Il convertit des philosophes... il entre dans la cour... A la fin du troisième siècle, les esclaves subissent les mêmes tourmens que leurs maîtres sans les trahir. Ils étaient éprouvés par le feu, dit Lactance: *Circumdato igni ambiebantur domestici;* et on en a d'autres exemples. Cette constance à souffrir pour leurs maîtres est la preuve la plus forte de la douceur des maîtres chrétiens envers leurs esclaves... La conduite du clergé sous l'empire chrétien confirmera ce que je viens de dire. » Inde, veluti alius homo, subdit: « Mais, alors, comme auparavant, l'amélioration réelle, répandue par le Christianisme, est limité entre ses adeptes; et comme la patience des chrétiens a été rudement éprouvé par les persécutions de leurs ennemis, païens ou juifs, dans les premiers siècles de l'ère nonvelle, ils rejettent ces infidèles de la société commune » (Biot, *de l'abolition de l'esclavage en Occident*, II part., sect. III, Paris, 1840).

Auctor hic a Parisiensi Academia aureo numismate affectus, dum non pauca laudabiliter conquirit, historice tamen et critice errat in pluribus, vel deceptus, vel ne philosophiae erroribus ex integro adversaretur.

in vindictam fuisse expulsos ? Sed auctor ipse, sibimet repugnans, mitissimis christianorum moribus devictum mundum testatus fuerat.

VII. In maiorem adhuc admirationem rapit Guizot, haec scribens : « Rescissam a Christianismo servitutem, tradiderunt plurimi. Nimium est : extitit diu, quin in eam commoveretur, vel plurimum succenseret christiana societas (*a*). » Verum est : nunquam excandescit Ecclesia quae est christianorum societas, sed quod agendum erat, suaviter et fortiter egit. Doctrinae, mores, institutiones, mundus erat renovandus, ut servitus ipsa concideret: praeceps alia via, inquit Biot, Spartaci et Siciliae insurrectiones iterum adduxisset.

VIII. Ceterum, quae Ecclesia praestiterit in servorum redemptionem, eius facta, leges, comitia, omnisque generis documenta testantur. Hoc autem ordine recenseri possunt. 1. Doctrinales veritates de hominis dignitate, Ecclesia firma exponit voce; edisserit obligationes servorum et dominorum, servitutis factum accipiens, non ipsa instituens ; sed omnium coram Deo instituta aequalitate, systemata conterit, quibus veteres publicistae ac philosophi inquinabantur. 2. Doctrinarum applicationem aggreditur: emollire dominorum saevitiam ; ius vitae et necis ex eorum manibus auferre ; templa in asylum pandere, et dimissi ne a dominis vexentur curare ; se ubique inter servos ac dominos interponere, privatae vindictae publicam tribunalium actionem subrogare, ipsas autem leges legumque latores ad christianam humanitatem componere ; haec erant nunquam dimissa Ecclesiae studia atque conamina. 3. Ad restaurandam manumissorum dignitatem, eos monasteriis excipit, ad sacros ordines evehit, suisque exornat dignitatibus. 4. In servitutis fontes, ardore prope divino, alacriter contendit : Iudaeorum compescere ingluviem ; in redemptionem captivorum fortissimos viros deligere, atque in hoc sacram militiam instituere quorum plurimi se pro servis tradiderant; captivis demum, ut in libertatem reciperentur, pecuniam, ipsaque sacra vasa impendere non desiit. Documenta haec testantia, pauca quidem inter plurima, ex Concilis praesertim collegit

(*a*) « On a beaucoup répété que l'abolition de l'esclavage dans le monde moderne était due complétement au Christianisme. Je crois que c'est trop dire : l'esclavage a subsisté longtemps au sein de la société chrétienne, sans qu'elle s'en soit beaucoup étonnée, beaucoup irritée » (Guizot, *Hist. gen. de la civilis. en Europe*, 6. leç.). Contra : « Le Christianisme fait ce qu'il doit » ait Biot. De Ecclesia vero : « Cette marche était a seule qui pût reussir pour régénérer la société humaine. Car avant de supprimer les esclaves, il fallait que la société fût intellectuellement et moralement digne de ce perfectionnement, et toute autre marche plus rapide n'eût fait que renouveler les excès des révoltés de Sicile et des compagnons de Spartacus » (Biot, *loc. cit.*). Guizot, pro viro protestante, non male interdum de Ecclesia. Sed quis e protestantismi sinu, ad veram Ecclesiae imaginem se extulit ? Protestantismus error est principii, ipsos summorum mentes, in factis quoque historicis, obnubilans. Documenta extant : nihil poscimus ultra veritatem.

ac digessit Balmes (*a*). Hac via incedens Ecclesia, tandem aliquando servitutem avulsit, hominem homini restituit.

IX. Ecclesia, inquam, seu vera religio: cuius unice erat servitutem a iure gentium et tunc et in aeternum avertere. Quod demonstrat Boyer: « En, inquit, meam thesim: servitudo, extra christianismum, conditio est ordinis gentium... sine christianismo, nulla populi libertas. » Pluribusque allatis, concludit: « Christianismus servitutem delevit; haec ei laus refertur. Sed non minus vera, minus licet vulgaris, est haec alia: suis ipse institutionibus atque influxu vetat ne illa regrediatur; et si quandoque, SINE CHRISTIANISMO, populus liber fiat, in maximam omnium servitutem recideret 1). » Initio huius saeculi haec proferebantur, et socialismum atque communismum indigitare videntur. Isthaec argumenti acies: populi sola aut religione aut violentia continentur; quae procedunt in ratione inversa. Religio servitutem expellebat: expulsa religione, debiliores in fortiorum dominium, idest in servitutem relabentur (*b*).

1) Boyer, *Defense de l'ordre social*, II part., p. 321.

X. Nigritarum commercia (*la tratta dei Neri*) dum a legibus exulaverunt, alicubi a reviviscente paganorum feritate, avaritia et libidine retinentur. In turpe illud commercium extant Litterae apostolicae summorum Pontificum: Pii II, die 7 octobris an. 1462; Pauli III, 29 maii 1537; Urbani VIII, 22 aprilis 1639; Benedicti XIV, 20 decembris 1741; Pii VII postulationes ad principes; ac demum egregia Gregorii XVI Epistola ad universum orbem, decessorum Pontificum historiam retexens, 3 novembris 1839.

XI. Nimirum, a saeculo decimoquinto, Europeis vix detectas novi mundi partes victorum arrogantia invadentibus, nisi re-

(*a*) Balmes, il *Protestantismo comparato col Cattolicismo*, cap. XVII-XIX, et praesertim in notis. Haec non omittenda. S. Ambrosius, in lib. *de Officiis* II, cap. 15: « Summa etiam liberalitas captos redimere, eripere ex hostium manibus, subtrahere neci homines, et maxime foeminas turpitudini, reddere parentibus liberos, parentes liberis, cives patriae restituere. » Idem, cap. 2, conquestus fuerat: « Nos aliquando in invidiam (Arianorum) incidimus, quod confregerimus vasa mystica, ut captivos redimeremus. » S. Cyprianus mittens sestertia centum millia nummorum, ex cleri et plebis oblationibus collecta, motiva addit: « Si patitur unum membrum, compatiuntur et cetera membra; Dei templa homines sunt: ergo Dei templa diutius captiva detinebuntur? Imo Christus in fratribus redimitur. » Quam nova, quam efficax, haec Dei in homine contemplatio! Alia, et omnium quidem saeculorum, videantur apud Balmes. Vide quoque: RYAN, *Bienfaits de la religion chrétienne*; itemque MOHLER, *Fragmentum historicum de abrogatione servitutis per religionem christ., quindecim primis Ecclesiae saeculis etc.*

(*b*) « Le gouvernement seul ne peut gouverner, c'est une maxime qui paraitra d'autant plus incontestable qu'on la meditera davantage. Il a donc besoin, comme d'un ministre indispensable, ou de l'esclavage, qui diminue le nombre des volontés agissantes dans l'État, ou de la force divine, qui détruit l'âpreté naturelle de ces volontés, et les met en état d'agir ensemble sans se nuire » (DE MAISTRE, *du Pape*, lib. III, c. 2).

ligio obstitisset, eos in teterrimam servitutem abegissent. Servituti favebant bellorum duces ac principes: libertatem populorum tuebantur missionarii ac Pontifices 1). Nec frustra: nam et valde imminuta malorum summa, teste Robertson ex protestantibus, in sua Americae historia; et tam alte vox religionis insonuit, ut demum illa hominum quasi animalium mercatura, legibus ac poenis abrogata fuerit (*a*).

1) Balmes, *loc. cit.*

XII. Horrendum tandem ius, quod extra Christianismi fidem, homo in hominem, respublica in cives assumpserat, maximi edisserant philosophorum. Plato cum homines in *optimos* ac *deterrimos* distinxisset, prosequitur: « Et illorum oportet quidem prolem nutrire, horum minime, si armentum excellentissimum sit futurum 2). » Aristoteles, qui Platonem sibi reficiendum delegerat, ait tamen: « Propter multitudinem autem civium, ne plures sint quam expediat, si gentium instituta et leges vetent procreata exponi, definitum esse oportet procreandorum liberorum numerum. Quod si plures liberi, quam definitum sit, nascantur, priusquam sensus et vita inseratur, abortus est foetui inferendus 3). » Hoc modo universalissima servitus parentes, sive liberos sive servos, uti armenti capita, filios vero ante ipsam nativitatem insequebatur. Plura describere erubescimus. Quonam coeno, nisi christiana lux affulsisset, iura adhuc gentium verterentur? Nam si de sola rationis acie agatur, quae natio Graecia politior ac sapientior?

2) Plat., *de Repub.*, V.

3) Arist., *Politic.* VII, 16.

(a) Ut efficacius reprimeretur Nigritarum commercium, die 30 nov. 1831 et 22 mar. 1833, inita est conventio inter gubernia Galliae et Britanniae, cui an. 1837 et 1838 alia gubernia accesserunt. « Quo spiritu ducta sit Britannia, ait Carriere, nostrum non est exponere. » Ius enim inquisitionis in navigia instituebatur, de quo aliae nationes in Britanniae agendi rationem conquestae sunt. Nigritis ipsis utile fore hoc commercium nonnulli tradiderunt, eo quod maiori servituti vel neci subtraherentur. Sed hoc sensu, eorum redemptio, non commercium, erat instituenda: missionariorum non mercatorum officia erant perquirenda. Et revera quam maxima catholici missionarii Americanis beneficia contulerint, renitentibus Hispaniarum ducibus ac regibus, edisserit Robertson, *Histoire d'Amérique.*

TITULUS XVII.

DE IURE VITAE ET NECIS IN PRIVATIS ET IN PRINCIPE.

I. Dominus vitae solus Deus. II. Hoc probat Dei ordinatio et hominis constitutio; III. insuper philosophi et poetae. IV. Male igitur qui subdubitant vel adversantur. V. Morus vere Utopiam descripsit. VI. Repugnat sibi Iustus Lipsius. VII. Rem in medio relinquit Puffendorfius. VIII. Non rectae Coccei exceptiones. IX. Amatoribus patrocinantur Montesquieu et Rousseau. X. Verum, absolutissimo Dei imperio nulla exceptio subiicienda. XI. Rationes et facta explicantur. XII. Quibus conditionibus laudanda occisio *indirecta*. XIII. Duelli privati furor et iniquitas. XIV. Eadem membrorum ratio habenda. XV. Duo in extrema licent necessitate: XVI. 1. rerum alienarum usu vel consumptione vita servanda est; XVII. 2. vitam cum nece aggressoris tueri licet, et quibus conditionibus. XVIII. Negantes ius vitae et necis in principe. XIX. Affirmantes. XX. Origo iuris vitae et necis ex Puffendorfio. XXI. Lockius, ex cessione iuris quo singuli potiebantur in vindictam scelestorum. XXII. Rousseau ex Contractu Sociali: XXIII. tum ex iure belli. XXIV. Romagnosi, ex iure publicae defensionis. XXV. Ius illud a Deo transmittitur in imperantes. XXVI. Eius existentia et necessitas. XXVII. Illud postulat punitio scelestorum, et insontium tuitio. XXVIII. Politicas excipientibus opiniones responsa.

I. Vindicata singulorum in res materiales, expulsa hominis in hominem proprietate, quae iura sint in vitam, vel singulis, vel civitatem gubernanti, remanet inquirendum. Iamvero vitae, dominus non homo, sed solus Deus.

II. Quum enim munificentissimus Conditor omnia *sub hominum pedibus* contulisset, non tamen ipsum hominem, eius sibi vitam et corpus reservans: « Videte quod ego sim solus, et non sit alius Deus praeter me: EGO OCCIDAM ET EGO VIVERE FACIAM 1). » Naturales huius divinae ordinationis testes ac praecones sunt: 1. ingestus vitae amor; 2. conservationis desiderium et auxilia per naturam universam sanis vel infirmis diffusa; 3. mortis horror. Quae nunquam, nisi mentis delirio vel animi morbo conticescunt. Naturae autem voces et officia, quum ex sana non ex infirma ratione dimetiantur; iam, *directae* sui ipsius occisioni, nullam subiiciendam esse exceptionem apertissime dignoscitur.

1) *Deuteronom.*, XXXII, 39.

III. Nemo igitur suae vitae dominus, sed usuarius tantum; quod expressit Lucretius:

> Vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu 2).

2) Lib. III, 983.

Ad naturam vero Socrates, Plato, Pythagoras, nefas aiebant e corporis statione, nisi summi imperatoris Dei iussu, quemquam discedere. Quin et ipsi poetae, etsi nonnulla fingendi licentia, inamabili palude et novies interfusa styge eorum animas coërceri dixerunt.

> Qui sibi lethum
> Insontes peperere manu, lucemque perosi
> Proiecere animas.

IV. Operam itaque ludunt Thomas Morus, Iustus Lipsius, Puffendorfius, minor Cocceius, Montesquieu et Rousseau, qui veterrimam Stoicorum, Circumcellionum et Petiliani insaniam sectati, propriae internecionis honestatem, quibusdam saltem in adiunctis, vel adstruere, vel de ea dubitare conati sunt.

V. Thomas Morus, fortissimus vir, qui posthabitis Henrici VIII, Angliae regis, minis et blanditiis, carnificis securi perire maluit, quam schisma amplecti, alio tempore quamdam Platonicae reipublicae formam expresserat in libro quem *Utopia* inscripsit: graeca vox, quae civitatem nullibi existentem significat. Ea in civitate, nemini proprio arbitratu spontaneus conceditur interitus: sed si quem immedicabilis morbus perpetuo discruciat, tunc sacerdotum et magistratuum erit iudicium, num infirmo, sua vel aliena manu, ex hac vita velut e carcere et equuleo exeundum sit. « Qui vero, ait, mortem sibi consciverit, causa non probata sacerdotibus et senatui, hunc neque terra neque igne dignantur, sed in paludem aliquam turpiter insepultus abiicitur 1). » Morus, ingenio indulgens, futuros libri sui effectus, non praesensit (*a*).

1) *Utopia*, lib. II. cap. de servis.

VI. Iustus Lipsius decretum illud Stoicorum: « sapientem sumere aliquando mortem *posse, decere, debere*, » reiecerat ac refutaverat in Manuductione ad Stoicorum philosophiam 2); deinde subdubitare visus est. Proposita enim quaestione, num « in domo conductitia si habitem, nihil peccem, si paullulum exeam ante diem pensionis » inquit: « Ita videtur, sed videtur, et nihil definio 3). »

2 Dissert. XXIII.

3) Centuria II, ep. 22.

VII. Puffendorfius cum quaesisset: « An homo, proprio ex arbitrio,... declinandis ingentibus miseriis, et antevertendae ignominiosae morti iam impendenti, sibi ipse fata properare queat; » allatis affirmantium argumentis, exilibus hisce concludit verbis:

(*a*) Sub fabulosae narrationis cortice, censuram suae nationis texuisse videtur Morus in *Utopia*, de qua Alfridus Sudre haec concludit: « Dans les affreuses maximes que Morus ne craint pas de développer, on reconnait l'oeuvre d'un contemporain de Césor Borgia et de Machiavel, et l'on trouve en même temps le code le plus ancien et le plus complet de cette politique suivie par l'Angleterre, depuis Henri VIII, avec une indomptable persévérance. Système colonial et mercantile, envahissements systématiques, insolente ambition dissimulée sous de faux dehors de iustice et d'humanité, art de fomenter les discordes civiles chez ses voisins, coalitions soldées, tactique prodigue du sang des mercenaires, avare de celui des nationaux; tout ce que Morus a préconisé, l'Angleterre l'a pratiqué. C'est surtout, dans sa dernière lutte contre la France républicaine et impériale, qu'elle a le plus fidèlement suivi la politique utopienne. On sait qu'à cette époque elle n'a pas même reculé devant la provocation à l'assassinat de l'homme dont le génie menaçait sa puissance. » Additur in nota ad hunc locum: « On sait qu'en 1803, Drake, agent diplomatique Anglais, résidant à Munich, cherchait à organiser un complot ayant pour but l'assassinat de Bonaparte. L'Angleterre fournit également de l'argent et des moyens d'exécution à Georges Cadoudal » (*Hist. du Communisme*, ch. XI).

« Isthaec nos quidem in medio relinquimus 1). » Negaverat tamen ipse, sanius describens officia hominis et civis 2).

VIII. Cocceius quum haec scripsisset: « Autocheiria (suicidium) est verum homicidium; nec enim interest, an quis alium, an se interficiat, quia nec ius in se habet magis quam in alium; » generalem doctrinam hisce coercet exceptionibus: « Desinit vero autocheiria: 1. Si maius inde bonum oriturum est, ut si quis ad defensionem patriae, si ad servandum principem etc., mortem appetit. 2. Si aeque periturus est, vel maiori dolore et infamia: quo pertinet factum Raziae 3). 3. Et pro conservando iure quod, absque internecione sui, servari nequit, ut pro pudicitia, honore etc. 4). »

IX. Demum, Montesquieu, Persae Usbek nomine, et Rousseau, specie furentis amatoris assumta, acute pro suicidio disputant, nulla fere aut levissima responsione adhibita (*a*).

X. Sed concidunt sophismata, absolutissimo Dei imperio in hominum vitam constituto, nobisque per rationem et revelationem indicto: a quo nulla exceptione praeripimur. Non miseria et doloribus: est enim terribilium terribilissimum mors; inservit autem excruciatio nobis ad virtutem, caeteris ad exemplar. Non infamia: quae si vera est, nec morte diluitur; si falsa, vel spernenda est, vel clariori virtute diluenda. Non indefinite pro servanda pudicitia, quae animi arce potius insidet; unde tyranno reponebat s. Lucia: « Si invitam iusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam. » Non pro tuenda honoris et fortitudinis specie: honor enim sola virtute acquiritur atque alitur; violentas autem manus sibi inferre, infirmitas est non fortitudo, canente poeta:

> Rebus in angustis facile est contemnere vitam:
> Fortiter ille facit qui miser esse potest.

XI. Imo iuste facit atque honeste. Contra vero sacrilegus in Deum, atrox in se ipsum, impius in patriam vel in suos, qui Dei imperio violenter se subducit, qui extremo fato in malorum extremum se coniicit, parentes vero vel patriam nefarie derelinquit. Catonem miseremur; Lucretiae pudicam mentem, non factum suspicimus. Samsoni ille aderat Deus qui vim impertieba-

1) *I.N.* et *G.* lib. II, c. 8. §. 11.
2) *De Off.* lib. I, c. 5, §. 11.
3) II *Macchab.* XIV, 37-46.
4) Ad Grotii lib. II, c. 19, §. 5.

(*a*) Montesquieu, maturiori aetate, ad aliam sententiam conversus est. Rousseau, pro more, secum ipse pugnat. Exornandi suicidii quamdam veluti necessitatem, incredula alterius saeculi philosophia scriptoribus imposuerat, imo et mulieribus, uti Annae Ludovicae de Staël in opere: *Influence des passions*. Sententiam tamen revocavit alio opusculo: *Réflexions sur le suicide*, inquiens in praefatione: « J'ai loué l'acte du suicide dans mon ouvrage sur l'*Influence des passions*, et je me suis toujours repenti depuis, de cette parole inconsidérée. J'étois alors dans tout l'orgueil et la vivacité de la première jeunesse: mais à quoi serviroit-il de vivre, si ce n'étoit dans l'espoir de s'améliorer? » Paradoxastica mulier, sero digna in quo vixit. Fere semper, reiecta fide catholica, repellitur natura.

tur. Sanctam Apolloniam, ad martyrium ductam, atque in paratam a tyranno flammam ultro prosilientem, divinitus iussam affirmat Augustinus: ceterum, nec ipsa illud sibi mortis genus constituerat, sed libenti animo ingrediebatur, quod effugere nequibat. Raziae persona laudatur, forsan intentio; non factum. Demum si mors utcumque immineat quae arceri non possit, toleranda est, non provocanda, non sibi inferenda.

XII. Igitur falsa quaquaversus secunda et tertia Coccei exceptio, vera autem prima: quatenus, non licitum modo, sed valde laudandum, pro aliorum salute, et *praeter mortis intentionem*, se periculo mortis exponere. Hanc, quae communiter *indirecta occisio* dicitur, charitatis oblationem et sacrificium libenter appellabimus. Hinc te recte in medios hostes proiicies, ut eos a patria propulses, quo se facinore nobilitavit Eleazarus 1); mortem ab iniquo aggressore patieris, ne ipsum occidendo, eius quoque animam perdas; peste infectis sanus ministrabis; utilibus studiis vel disciplinis vires insumes; barbaris Evangelium deferes, mortem pro vita rependentibus. Non mortem scilicet, sed honestam actionem persequeris, totum te divinae providentiae committens. At levem ob causam, vel non rectam, vitam exponere, inhumanum maxime et iniquum. Quod non de iis tantum dicendum qui per extensum funem eunt, aut cum tauris luctantur (barbarorum mos nunquam ferendus); sed de iis etiam, qui aut aegrotantes communia recusant medicamenta, aut bene valentes, remotas sibi mortis causas struunt; qui aut cibo potuque intemperanter utuntur, aut venere putrescunt, aut tripudiis vires exhauriunt, morbosque vitae domitores adsciscunt.

1) I *Machab.* VI, 46.

XIII. Si absolutissimum Dei in vitam hominis dominium, ergo sceleratissima dicenda est simul et ridenda duelli consuetudo. Quis enim furor ut pro inani quandoque verbo, in amicorum oculis, vita proiiciatur; uxor, filii, parentes orbentur? Quae maior iniquitas, quam ut iura fortuito ensi committantur? Nonne haec belluarum iudicia, quae unguibus ac dentibus lites finiunt? Si hic honor et humanitas, iam ipsa barbarie est deterior. Recte igitur *privati* duelli impietas naturali, divino, ecclesiastico et civili iure damnatur. *Publicum* vero, vel publica intercedente causa, et publica auctoritate indictum, ad belli iustitiam revocatur.

XIV. Quam vitae, eamdem membrorum summam habere rationem praecipimur, ex quibus vita coagmentatur. Nihil enim in nos licet, quod in alios sit interdictum: quum et homines simus, et intimiores nobis quam aliis. Quare Chrysostomus vehementer parentes insectabatur qui filios aetate immaturos excaecabant, quo avaris divitibus, miserabili saltem luminis orbitate, nummum extorquerent. A qua Thracum immanitate non valde aberant ex nostris, qui ex genitoribus carnifices, natos evirari iubebant, ut argutis vocibus alios recreando, victum sibi et opes

pararent. Hanc naturae iniuriam, post alios, sapientissimus Pon-
1) *Synod. Dioec.* lib. XI, c. 7, n. 4. tifex Benedictus XIV damnaverat 1). Moris enim esset corruptissimi, naturae extinctione auribus oblectari.

XV. Ceterum, hominis vitam suo Deus imperio adeo communivit, tantique fecit, ut in extrema necessitate ipsam, in se aliisque, aliena ope sustentare liceat; et iniquum aggressorem non honoris, non rerum temporalium, sed vitae, ipsius etiam internecione repellere, exsors culpae communiter habeatur.

XVI. Primum, quia cum proximus rerum creatarum finis sit hominum vita, ubicumque haec periclitetur, ius enascitur ad illarum usum. Quare, hostibus te ad mortem insequentibus, recte alieno equo uteris: dummodo 1. eadem necessitate dominus non urgeatur, est enim potior conditio possidentis; 2. neque alteri iniuria inferatur, puta innocentem conterendo qui per viam transgreditur, quique pleno utitur iure ad vitam, a nemine infringendo. Si equus supersit, restitues, exacta necessitate: nam cum ista finitur ius. Si intereat, et aliunde habeas, alium restitues: etenim dominus eo casu non tenebatur nisi ad commodatum. Si non habeas ad nihil teneris, quum omnia ad omnium vitam, in extrema necessitate, a natura parata sint (*a*).

XVII. Alterum, idest vitam tueri cum iniusti aggressoris occisione, quum iam alia non pateat salutis via, omni quoque iure probatur. Est enim iuris effatum, quod ex lege XII Tabularum aiebat Cicero pro Milone: « Hoc et ratio doctis, et necessitas barbaris, et mos gentibus, et feris natura ipsa praescripsit, ut omnem semper vim, quacumque ope possent, a corpore, a capite, a vita sua propulsarent. » Vitae enim tuae iniquo praedone instante, duo iura, duae vitae concurrunt. Quaenam potior? Tua ne an praedonis? Tua: nam tibi innocentia suffragatur, et charitas incipit a te ipso, cum neminem plus quam te diligere tenearis; aggressor vero in illud se discrimen coniiciendo, vitae suae iure delapsus censeatur. Atqui, si potior vita innocentis, quam praedonis, iure quoque parenti, amico, vel, ut plurimi censent, innocenti cuique, in extrema necessitate, cum aggressoris nece succurritur. Neque auctoritatis publicae iura usurpantur, cum ita immineat mors, ut huius aliorumque civium implorandi subsidii facultas non sit. Imo tanti est vita, ut vel in eum tueri possit qui, per errorem vel amentiam, illam aggrediatur. Nam sufficit quod alteri non sit ius ad occidendum, alteri vero non sit obligatio ad mortem frustra subeundam. Est tamen ius non prae-

(*a*) Aiunt vulgo doctores: in extrema necessitate, primaevam revivi-scere rerum communionem, quam *negativam* appellant. Non probatur nobis illa locutio, quum negativa communio, communionis negatio sit: neque in ulla possint esse communione res vere *nullius*. Nulla igitur rerum communio, sed potius ad illas habendas communis et aequalis capacitas vel ius. Ius, inquam, immanens in natura, cum de vita agitur servanda vel tuenda.

ceptum: cui integrum sit renunciare propter animam invasoris, simulque heroicae charitatis sacrificium. Excipe, nisi vita tua familiae aut patriae quammaxime sit necessaria, vel aggresso succurrere debeas, quod officium est militis erga ducem, vel subditi erga principem. Quum autem totum ius tuum ex vitae conservatione proficiscatur, ea tantum iusta fient quae ad servandam vitam sufficient: quod appellatur *moderamen inculpatae tutelae*, sicque Innocentius III expresserat: « Quamvis vim vi repellere omnes leges et omnia iura permittant, tamen id debet fieri cum moderamine inculpatae tutelae, non ad sumendam vindictam, sed ad iniuriam propulsandam 1). » Ergo si vulnerare sufficiat, non occides. Si ex vita aggressoris communis pendeat tranquillitas, ei parces propter publicam utilitatem, qua tui vita est minor. Demum, quum omne ius tuum e vita enascatur, ea quae vita minora sunt, aliena morte servari non possunt, nisi vitae coniunctissima sint, vel ei aequiparanda (*a*).

1) Cap. *Significasti*, XVIII, *de homicidio*, 5, 12.

(*a*) Disputatur num fur, vel pudicitiae aggressor, licite occidi possint. E Protestantibus putat Buddaeus, rerum violentam defensionem licite suscipi, « si ereptis illis, nihil amplius unde vivamus, nobis suppetat » (*Philosoph. pract.*, part. II, c. 4, sect. 3). Ultra progressus Puffendorfius, furi licite mortem inferri contendit, « modo res non sit eiusmodi, ut contemni mereatur,.... et qui res nostras ereptum venit, in iudicium adduci non possit » (*De offic. hom. et civ.*, lib. I, c. V, §. 23). Indulgentior adhuc Barbeyracius: « Qua ratione scire potero, an fur nonnisi rem minimi pretii ablaturus sit? Imo censetur is potius auferre omnia, in quantum potuit, aut saltem animo omnia auferendi accessisse. Et si impune mihi auferre posset hanc hodie rem, cras alteram, certum est fore ut postremo funditus expolier » (In Puffend., loc. cit.). Verum, hac posita doctrina, quot caedes impenderent? Tam parvi ne facienda hominis vita? Recte igitur laxa adeo sententia a iure gentium repellitur. Furem *nocturnum* licet occidere iure romano: *diurnum* non aliter quam si post quiritationem sese telo defendat. Quiritatio idem ac auxilii imploratio; solebant enim opem petentes clamare: *Porro, Quirites*; sive: *Quirites, vestram fidem!* Pro Milone dicturus Cicero, ita pene orditur: « Duodecim Tabulae nocturnum furem quoquo modo; diurnum autem, si se telo defenderit, interfici impune voluerunt. » Idem apud Athenienses. Quibus praeiverat Moyses: « Si effrigens fur domum, sive suffodiens, fuerit inventus, et accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis. Quodsi, orto sole, hoc fecerit, homicidium perpetravit, et ipse morietur » (*Exod.*, XXI, 2, 3). Nocturnum furem, et quidem domum effringentem, occidi patitur Moyses, quia auxilium difficilius, nec sat perspicitur num ille opes an vitam aggressurus sit: in effractione autem vel suffossione, perstat criminis testimonium. Hae tamen leges quum forum externum spectent, pro interno et naturali ea valebit Augustini sententia: « Legem quidem non reprehendo, quae tales permittit interfici; sed quo pacto istos defendam qui interficiunt, non invenio » (*De lib. arb.* l. 1, c. 5, n. 12).

De pudicitia disserit Puffendorfius: « Quod pro vita, id pro pudicitia licere iudicatur: quippe cum nulla maior contumelia honestae feminae inferri queat, quam si quis invitae pudicitiam eripere adgrediatur, cuius integritate eius sexus decus maxime aestimatur, et efficiat ut hosti, ex suo sanguine, prolem suscitare cogatur » (Loc. cit., §. 22). Addit vero in notis Barbeyracius: « Ceterum pudicitia non solum irreparabile bonum est, maxime si qui vim intentat, iam iunctus uxori sit: sed etiam inter cultiores gentes eodem fere, quo vita, censu venire solet. Adde, quod

Hactenus de privata occisione, nunc de publica, quae capitali sententia exercetur.

XVIII. Lactantio nefas visum est quacumque de causa hominem occidere, « quem Deus sanctum animal esse voluit 1). » Scotus nullam exceptionem legi divinae de non occidendo faciendam statuit, nisi quam illa apertissime fecisset 2). Nostris prope temporibus, ius gladii et necis ablegavit Caesar Becaria 3). Nunc politicas, ut aiunt, opiniones, plurimi eximere nituntur.

1) *Divin. Instit.* VI. 20.

2) In IV, d. XV, q. 3.

3) *Dei delitti e delle pene*, §. 28.

XIX. Si hos aliosque paucos excipias, omnes rerum civilium tractatores, leges moresque omnium gentium et saeculorum ius vitae et necis summis imperantibus contulerunt. Factum adeo universale et constans, naturale ius eiusque necessitatem declarat. Verum in eius origine adlaborant.

XX. Quum censerent nonnulli, ius quod singuli *in* propriam vitam habebant reipublicae concessisse, aliique recte animadverterent neminem iure in vitam potiri, nec ideo illud cedere potuisse; Puffendorfius non ex singolorum concessione, sed ex societatis natura, ius vitae et necis repetendum constituit. Toti enim, affirmat, proprietates competunt quae in partibus non inveniuntur 4). Quod utcumque verum sit, eiusdem iuris existentiam non omnimode evincit.

4) *I. N. et G.*, lib. VIII, c. 3. §. 1.

XXI. Lockius, quem secutus est Filangerius, quemlibet hominem in *statu naturae* positum, naturalis iuris custodem ac vindicem fuisse censet: quare unicuique commissum, ut de sceleratis vindictam sumeret. Hoc dein iure se quemque spoliasse, ut illud in societatem transferret. Necis itaque potestatem, non ex cessione iuris repetendam quod quisque in suam vitam haberet, sed eius quod ante conflatas societates unusquisque potiebatur adversus eos qui gravem aliis iniuriam intulissent 5). Doctrina haec duobus falsis laborat suppositis. Nam 1. status naturae omnem societatem praevenions, numquam extitit: status ho-

5) *De regim. civ.*, tract. II, c. 2, §. 7 etc.

sententia haec valde necessaria est, ob insignem humani generis utilitatem, familiarum concordiam, et commodum societatis civilis. Et denique annon eiusmodi hostilis actus plenum ius praebeat, extrema remedia adversus eum usurpandi, qui, ut libidinem suam expleat, pudicitiam simul et libertatem honestae feminae tentat? Nam si qua res est, cuius nobis arbitrium relinquendum sit, sine dubio illa est, cum usus corporis nostri alteri permittendus est. Ita ut, qui per vim illum quaerit, eo ipso demonstret, quod nobis ab eo quaevis, etiam vitae ipsi metuenda sint. Nec defuere homines belluini, qui, amore in furorem verso, eo progressi sunt, ut matronam aut virginem libidini ipsorum reluctantem interficerent. Taceo plura alia gravissima, quibus hoc modo femina exponitur, incommoda: ut ingrata quae marito inde creari possunt fastidia, temeraria vulgi iudicia etc. » Quid gravissimis adeo rationibus obiiciamus, non habemus, nisi hominis perditionem, qui tamen se in illud periculum ultro coniecit. Occisionem adulteri quam, in eodem actu, marito vel patri leges civiles dimittunt (non in vindictae argumentum sed doloris), non probant ipsae leges sed patiuntur; neque occisionem illam damnamus, cum nullam iam habeat defensionis causam: at res alia est, cum de mulieris defensione agatur. (L. 20 et 24 ad l. *Iuliam* de adult.)

mini naturalis est status societatis. 2. Equidem singulis competit ius defensionis contra iniquum aggressorem; sed ius vindictae et punitionis, extra ipsam aggressionem, non privatum est ius; quumque publicum ordinem spectet, ad eum naturaliter, suaque vi refertur, qui publicam gerit administrationem.

XXII. Aliam iniit viam Rousseau, contendens ius omnibus esse propriam vitam, ubi necessitas flagitet, periclitandi, ut ipsimet vitae et incolumitati prospiciat. Quare, quemadmodum unicuique concessum, domo penitus conflagrante, aperto etiam vitae discrimine, se e fenestra deiicere; ita pariter suam oppignorare vitam reipublicae, remotissimo scilicet periculo se committere, ut aliud declinaret in *statu naturae*, semper impendens, validioris cuiusque gladio occumbendi 1). In quam dein sententiam abiit Spedalieri 2). Hypothesis haec eodem Lockii errore innititur: fabella enim contractus ille quo cives vitam oppignorarent; fabella status olim naturae sine societate; fabella contractus socialis, unde hominum societas exorta sit, ut in libro tertio demonstrabimus.

1) *Contr. Soc.*, II. 5.
2) *Dei diritti dell' uomo*, lib. I. c. 13.

XXIII. Alii, inter quos idem Rousseau 3), ius necis ex iure belli profectum volunt. Fas namque iure naturae hostem interimere: eum autem qui legum violatione societatem perturbet, non tam civem esse quam hostem. Sed neque haec placet sententia: hostibus enim, armis demissis, ignoscendum; praedo autem, etiam resipiscens, capite damnatur.

3) Loc. cit.

XXIV. Tandem, ex Romagnosii sententia, ius gladii ex iure publicae defensionis, in societatem emanavit. Ius enim habet societas ut se suaque membra tueatur: atqui, sine iure gladii, nulla sat valida esset sui tuitio. Nam, si mala scelestorum ingenia vix mortis metu coercentur, ea sublata, crimina exundabunt. Ubi haec porro criminum colluvies, nulla securitas: ubi autem nulla securitas, necessaria ibi societatis ruina 4). Meliora haec et saniora, sed nondum quaestionis finem attingunt; adhuc enim petes: Unde ius se tuendi usque ad aliorum sanguinem in societatem emanavit? unde ius vindictae, defensionem excedens?

4) Vid. Romagn. *Genesi del diritto pen.*, par. II. §. 188, 212, 242.

XXV. A plenissima, respondemus, iurium scaturigine, a Deo ipso societatem instituente et gubernante, a quo omnis est potestas. Unde illud: *Vindicta Magistratus, vindicta est Dei.* In bonum primo; « si autem male feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est: vindex in iram ei qui male agit 5). » Saeva, sed antiqua lex, cuius lator Deus: « Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus est homo 6). » Renovata per Moysem et prophetas: « Maleficos non patieris vivere... occidetur, exterminabitur etc. 7) » Indigitata a Christo: « Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt 8). » Demum, neque ab ipso charitatis apostolo dimissa: « Qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi 9). »

5) *Rom.* XIII, 4.
6) *Gen.*, IX, 6.
7) *Exod.* XXII, 18; alibi
8) Matth., XXVI, 52.
9) *Apocalyps.* XIII, 10.

XXVI. A Deo igitur ius necis emanabat in imperantes, qui eius ministri in praemium et in vindictam constituuntur; divulgabatur in ius gentium, ad coërcitionem scelestorum, ad iustorum defensionem, aeternae veluti iustitiae signum, quae impios in aeternum abiiciet. Scilicet intellexerunt gentes non nimiam esse poenam, sontem expellere e vita, qui fratrem insontem, Dei imaginem, prius per summum nefas ipse expulerit. Experimento intellexerunt, minoribus poenis, perpetua nempe reclusione, scelestorum audaciam nec frangi satis nec coërceri, periclitari bonorum vitam, legum vim, omniumque iura ad publicam libertatem et tranquillitatem. Serventur homicidae, quod postulant illorum fautores: spem evadendi non amittent, potentissimo fraeno quod iniicit metus mortis exsolventur, alii atque alii iusti interibunt. Atqui insontes impiorum furori derelinquere, est ne societatem perficere an deteriorem facere? Aiunt: Peius est supplicium, vita longa et amara, quam mors instantanea. Esto. Sed hoc non quaeritur: quaeritur vero quid aegrius afficiat, atque efficacius coërceat praedonis animum; an mors velox, an molestia longa. Certe probrosa mors, et solemni iudicio inflicta.

XXVII. Et nos homines sumus, et hominis licet nequissimi vitam exscindi aliquando oportere, vehementer dolemus. Sed hinc Scylla, inde Charybdis. Vel enim mortis terrore cohibentur iniqui, vel in maiora quotidie discrimina pertrahetur innocentium vita. Duo igitur iis praestanda sunt qui rerum summam tenent: 1. vindicta de patrato crimine sumenda; 2. ceteri terrore a flagitiis avertendi. Haec duo iura necessaria sunt: ergo existunt. Liberiores publicistae, ut vidimus, dum in istius explicanda iuris origine discrepant, conveniunt tamen in eiusdem vi et existentia. Sed, quum in extremis tantum adhibenda sint remedia extrema, et nos formidabili carnificis gladio parce et aeque semper utendum monemus.

XXVIII. Iis autem qui a lethali supplicio politicas opiniones excipiunt, respondemus: aliud sunt opiniones, mentis recessu latentes, quas nemo iudicat, nemo plectitur; aliud politicae disceptationes, quae cum limites servent, legitimum imperandi ius venerantur, quod ius est acquisitum principis et nationis; aliud scriptiones et conciones ad seditionem animos impellentes; aliud demum seditiones ipsae, quae imperium subvertunt, civitatem scindunt, et fraterno sanguine foedantur. Quae horum sint discrimina, quam iniqua arma civilia, quam horrendam sanguinis, et dolorum segetem pariant; quam insulse civium occisiones appellentur opiniones politicae, et facta politica ea quae delicta sunt communia; demum, quam, singulari homicidio, deteriores sint caedes civiles vel politicae, ipsi videant ac iudicent (*a*).

(*a*) Catilinarios in senatu tuebatur Caesar, damnabat Cato, cuius haec inter alia: « Apud maiores nostros Aulus Manlius Torquatus, bello Gallico, filium suum quod is contra imperium in hostes pugnaverat ne-

TITULUS XVIII.

DE IMIURIA REPARANDA.

I. Iustitiae commutativae duplex officium. II. Iniuriae reparandae tituli, fontes vel radices. III. Delictum vel quasi delictum. IV. Contractus vel quasi contractus. V. Culpa moralis vel iuridica. VI. Iure naturali sarcienda est iniuria in delictis; in quasi delictis parendum sententiae iudicis. VII. Quandoque culpa *iuridica* praestatur in contractibus. VIII. Pro contractuum natura, modo *lata*, *levis* vel *levissima*. IX. In quasi contractibus, rei et officii gravitas attendenda. X. Persona est bonae vel malae vel dubiae fidei. XI. Bonae fidei possessor, re et fructibus utitur, ni factus sit ditior. XII. Ex legibus, usque ad litis contestationem, quos fructus faciat suos. XIII. Malae fidei possessor, iniuriam omnimode reparat ac diluit. XIV. Scilicet, rem ipsam restituat; pretium, si illa non extet; lucrum cessans, et damnum emergens; fructus naturales et civiles: expensas necessarias repetit. XV. Dubius, vel ab initio, vel possessionis decursu. XVI. Actio, vel mala et periculosa; vel bona et simul periculosa; vel bona aut mala, sed non periculosa. XVII. Quomodo alium removens a boni vel officii consecutione, de iniuria teneatur. XVIII. De participantibus canon generalis. XIX. Causa participans triplex: XX. principalissima; XXI. principales; XXII. minus principales. XXIII. Omissio est pro actione, si iustitia violetur. XXIV. Haec generalia. XXV. In bonis animi, compensatio moralis et physica. XXVI. Improbae litis angores et cruciatus. XXVII. Sarcienda corporis damna; XXVIII. personalia et realia. XXIX. Detractorum scelus et poenae. XXX. Modi et damna fere irreparabilia. XXXI. Facta publica; vindex historia. XXXII. Tam late pateat reparatio, quam detractio. XXXIII. Proprietas industrialis et litteraria. XXXIV. Non absolutissima aequalitas litterariae cum vulgari proprietate. XXXV. Analogia tamen ex iure naturali. XXXVI. Res igitur est mixti iuris, naturalis et civilis; XXXVII. opus nempe iustitiae legalis et commutativae. XXXVIII. Proprietatis nec nimis congestae, nec nimis attritae, civilis utilitas.

1. Alieni iuris violatio, iniuria appellatur: quam *non faciendam*, factam vero *reparandam*, omnis iustitia clamat. Quum enim in stadio cuique ius sit currendi, non simul currentem depellendi vel supplantandi; « sic in vita, concludit Cicero, sibi quemque petere quod pertineat ad usum, non iniquum est; deripere, ius non est 1). »

1) *De Off.*, II. 10.

II. Quaecumque resarciendi obligatio ex quadruplici titulo proficiscitur: ex *delicto*, vel *quasi delicto*, ex *contractu*, vel *quasi contractu*. Recte ad naturam. Nam duo tantum iurium genera: alia immediate a natura, quae violantur per delictum vel quasi delictum; alia per pactiones inducta, quorum obligatio formam habet a contractu vel quasi contractu 2).

2 *Instit.*, lib. III, tit. 14. § 2.

III. *Delictum* definitur: Factum illicitum, dolo malo admissum, quo alteri directe atque ex composito damnum infertur.

cari iussit; atque ille egregius adolescens, immoderatae fortitudini, morte poenas dedit. Vos, de crudelissimis parricidis quid statuatis cunctamini? » (Sallust., *Catil.* 53).

Caesar, parcendo, seditioni favebat, quam, animo saltem, iam ipsa molliebatur: Cato, saevus in perduelles, patriae consulebat libertati.

Quasi delictum: factum sine dolo, damnum alteri creans. Iudex *litem suam faciens* (male iudicans), si dolo agat, ex delicto; si imperitia, socordia, imprudentia, ex quasi delicto tenetur. Ex quasi delicto tenentur quoque si qui aliquid in viam, qua vulgo iter fit, effuderint vel deiecerint, quod transeuntibus damnum intulerit; vel nautae, caupones, stabularii, ob damnum quod viatorum vel hospitum rebus, per eos quorum opera utuntur, in navi, caupona, stabulo, illatum fuerit 1).

1) L. 5, ff. lib. 44, t. 7.

IV. *Contractus* est de dando vel faciendo verus atque expressus consensus. *Quasi contractus* implicitum habet consensum, eoque tenentur qui ex officio aliquid faciunt: iudex, advocatus, negotiorum gestor, procurator, tutor, magister, medicus etc. Frequenter eadem persona ex quasi contractu et ex quasi delicto obbligatur 2).

2) *Instit.*, lib. III. t. 28.

V. Culpam si aspicias, est factum inconsultum, quo alter iniuria laeditur. Si crimen habeat, *moralis*; si omnis criminis expers sit, *iuridica* dicitur. Haec triplex: *lata, levis, levissima. Lata*, est omissio diligentiae quae communiter adhiberi solet; parum a dolo distat, eique aequiparatur: « Magna negligentia, culpa est; magna culpa, dolus est 3). » *Levis*, est omissio diligentiae quam prudentiores adhibent. *Levissima*, omissio diligentiae qua soli utuntur prudentissimi.

3) L. 226, ff. lib. 50, t. 16.

VI. Hisce positis, quum in delictis semper *moralis* culpa inveniatur, damna reparanda sunt: iniuriae enim auctor, sua voluntate, hanc sibi obligationem assumpsit. At vero in quasi delictis, nullum *naturali iure* reparandi onus, si ab eis culpa moralis abfuerit, puta si invincibilis inadvertentia intercesserit: nulla enim ibi iniuria, ubi nec directa nec indirecta nocendi voluntas. Expedit tamen ut a civili magistratu quandoque mulctentur, ut praecaveantur: tuncque parendum foro civili, post iudicis sententiam, saltem ut iuris ordo et publica tranquillitas serventur.

VII. Generatim in contractibus vel quasi contractibus, reparationis debitum semper ex dolo vel culpa morali, quandoque ex sola culpa *iuridica* induci potest. Contrahentes enim, vel suamet conventione, vel ipsa contractus natura, ad quoscumque casus praestandos obligari possunt.

VIII. Contractuum natura vel species, triplex recensetur: nonnulli soli danti utiles, ut depositum; quidam soli accipienti, ut commodatum; alii, utrique ut venditio, vel locatio conductio. In prima specie, ex sola culpa *lata* vel ad levem accedente, sarciendi obligatio exoritur: nam qui rem alienam in unius domini commodum custodit, satis curare creditur, si ut suam curet, communem scilicet diligentiam adhibeat 4). In altera specie, nonne ei qui liberaliter adeo fecit, diligentissima rei saltem custodia debetur, ita ut *levissima* quoque culpa fugienda sit? Hinc « in rebus commodatis talis diligentia praestanda est, qualem quisque *diligentissimus* paterfamilias suis rebus adhibet; ita ut eos tan-

4) *Instit.* lib. III. t. 15. §. 3.

tum casus non praestet, quibus resisti non possit 1). » In tertia demum, ut neque ex maxima neque ex minima, sed ex tota media vel *levi* culpa teneatur, aequum est. Tenebitur tamen ex *levissima*, si summam ipse diligentiam promiserit, vel peritissimum se iactaverit, vel res ipsa exquisitissimam diligentiam poposcerit. Quare, mercede conductus ut rem fragilem transferat, « si dum tollitur, aut portatur, aut reponitur, fracta sit, ita id periculum praestat, si qua ipsius, eorumque quorum opera uteretur, culpa acciderit: culpa autem abest, si omnia facta sunt, quae diligentissimus quisque observaturus fuisset 2). »

1) L. 18, ff., lib. 13. t. 6.

2) L. 23, ff., lib. 9, t. 2, §. 7.

IX. In quasi contractibus quum ea sint quae homines ex officio vitaeque instituto faciunt, si ignorantia vel negligentia *culpabiliter* nocent, tenentur ad damna. Si enim ignorantia eos officiis impares efficiat, officium dimittant: eam vero quisque diligentiam praestet, quam rei conditio et gravitas postulaverit. Accuratiorem, si mercede conductus; vel quo maior lis instat, si iureconsultus, vel quo periculosior morbus urget, si medicus; vel quo diligentior vigilantia requiritur, ut in pharmacopola qui venena servat atque administrat; vel quo res maior geritur, ut a summis iustitiae vel reipublicae moderatoribus. Nec iuvant illa: « Consilii non fraudulenti nulla obligatio est 3); » « nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur 4) ». De iis enim iura loquuntur, qui non ex officii instituto, ex bona autem fide consilium dederint: quos si damnes, omnis consiliis aditus, malo reipublicae fato praecluderetur. Aliis vero qui ex artis suae vel scientiae officio aliquid egerint aut consuluerint, hoc dicendum quod de medicis declaravit Ulpianus: « Sicuti medico imputari eventus mortalitatis non debet; ita quod per imperitiam commisit, imputari ei debet. Praetextu humanae fragilitatis, delictum decipientis in periculo homines, innoxium esse non debet 5). »

3) L. 47, ff, lib. 50. tit. 17.

4) *Reg.* 62 *iuris*, in 6.

5) L. 6, §. 7, ff. lib. 1, t. 18.

X. Hactenus de obligationis titulis, nunc de persona possessoris: qui est *bonae*, *vel malae*, *vel dubiae* fidei.

XI. Bonae fidei possessor dicitur qui, cum rem titulo ad transferendum dominium idoneo adquisierit, eius se prudenter dominum putat. Quum nullam vero domino iniuriam intulerit, eius damna non praestat; utilitatibus autem fruitur, in quantum *non fiat ditior*. Quare si alienam rem aut rei fructus, nullo sui emolumento, consumpserit vel dilapidaverit, omnibus fatentibus, ad nihil tenetur: non enim ex delicto, nec quasi delicto; non ex contractu vel quasi contractu: tantaque est bonae fidei efficacitas, ut « tantumdem possidenti praestet quantum veritas 6). »

6) L. 136, ff., lib. 50. t. 17.

XII. Si vero ex alienae rei vel fructuum consumptione, suis parcendo, ditior factus sit, ex Grotio aliisque tantumdem naturali iure restituat, « quum locupletari non debeat aliquis cum alterius iniuria et iactura 7). » Legibus tamen quemadmodum rem cum fructibus percipiendis vel extantibus tradere cogitur, ita

7) *Reg.* 1 *iuris* in 6.

perceptos et praesertim consumptos ante litem contestatam, forsan praescriptionis exemplo et ad vitandas lites, facit suos (a). Dum autem expensae *necessariae* vel *utiles* ipsi debentur, *voluptuariarum* quoque, iure naturali, aliqua habenda est ratio: pretio enim aestimabile est, domum ex impolita atque ineleganti, mundam ac picturis ornatam recuperare.

XIII. Malae fidei possessor ille est qui rem alienam vel iniuste accipit, vel iuste acceptam iniuste detinet. Pessimam huius conditionem facit iniuria quam domino intulit, quamque omnimode resarcire tenetur. Hinc

XIV. 1. Restituat rem ipsam, si extet: licet casu vel aliena iniuria apud dominum fuisset peritura. Servata enim a flammis, a naufragio, vel alio periculo, domino servantur; nemini a fortiori impunitatem affert, suo se scelere alterius scelus antevertisse.

2. Si non extet, reddet pretium, etsi nulla sua fraude aut culpa perierit: nam morosus et iniquus detentor omne in se rei periculum suscipit, eique casus fortuiti imputantur. Si eam vendidit: vel eodem pretio quo dominus vendidisset, vel maiori, vel minori. Si eodem vel maiori, tantundem domino reddat. Si minori, tantum praestet, quanti dominus vendidisset. Nam et dominus servandus est indemnis; et si res creverit, domino creyit.

3. Compenset omne *lucrum cessans*, puta si artifex, ablatis instrumentis, artem exercere non potuerit; et *damnum emergens*, puta si hiemali tempore carius empta annona, quam paterfamilias sub tritura vilius comparasset, nisi pecunia sublata fuisset.

4. Fructus *naturales*, quos sola vel fere sola profert natura (sylva caedua vel arborum pomi), et *civiles* (usura pecuniae vel pensio praedii locati), ex toto restituet; *mixtos*, qua parte natu-

(a) Ait Grotius: « Apparet bonae fidei possessorem teneri ad restitutionem et rei et fructuum consumptorum, si modo alias quoque tantumdem consumpturus fuerat: nam in hoc locupletior censetur. Sic laudatur circa initia imperii C. Caesar Caligula, quod quibus regna restituit, adiecit et fructus medii temporis » (*I. B. et P.*, lib. II, c. 10, §. 5.).

Leges ex adverso: « Post litem contestatam, etiam fructus venient in hoc iudicio... Sed ante iudicium percepti, non omnimodo hoc in iudicium venient. Aut enim bona fide percepit, et lucrari eum oportet, si eos consumsit; aut mala fide, et condici oportet » (L. 4, §. 2, ff, lib. 10, t. 1). Item: « Certum est, malae fidei possessorem omnes fructus solere cum ipsa re praestare; bonae fidei vero, extantes » (L. 22, C., lib. 3, t. 32). Adde: *Instit.*, lib. II, t. 1, §. 35 etc. - L. 4, §. 19, ff, lib. 41, t. 3. - L. 136, ff, lib. 50, t. 17.

Strictum naturae ius cum legibus componentes, ita distinguimus. Si res, bona fide et titulo gratuito acquisita fuerit, possessor rem cum fructibus restituet, ea ratione ne ex alieno ditior fiat: si titulo oneroso, usque ad litem contestatam, qua cessat bona fides, fructus sint pro pecuniae usu. Caius autem Caligula laudatus a Grotio, cum fructibus regna direpta restituens, neque ipse, neque eius praecessores, bonae fidei possessoribus cooptari poterant.

rales sunt; utrosque vero, tum quos ipse percepit, quamvis a domino non percipiendos, tum quos dominus honeste percepisset, etsi ipse non perceperit.

5. Expensas *necessarias* servat. Ex *utilibus*, quas potest, sine rei dispendio, tollit; ceteras iure civili amittit 1). Verum, aliquam de his atque voluptuariis, si maximae sint, rationem habere, aequum videtur.

1) *Instit.* lib. II. t. 1. §. 30.

XV. Possessorem dubiae fidei paucis expediemus. Ille est qui rem acquirit dubitans an sit aliena; vel qui, postquam bona fide acquisiverit, prudenti laborat dubitatione.

In prima specie, si rem acquirat ut domino servet, utilis negotiorum gestor habetur; casus fortuitos non praestat; expensas repetit, in rei acquisitione modicas, in conservatione necessarias. Si animo sibi habendi acquisiverit, possessor malae fidei statim evadit: non tamen ea praestat damna quae ipse ignoraverit.

In altera specie, usque ad exortae dubitationis tempus, bonae fidei possessor extitit: sed extunc diligenti investigatione dominum quaerere tenetur. Si invenerit, rem ut bonae fidei possessor restituet: si non invenerit, inceptae possessionis titulo rem possidere et fructus percipere, integrum illi erit.

Tandem, qui levissimo pretio et domini intuitu, ut in prima specie, dubius acquisivit, dubio perseverante et spe dilapsa dominum inveniendi, usque ad iusti pretii mensuram aliquid pauperibus distribuat: quae censetur praesumpta domini voluntas.

XVI. Post personas, actio.

1. Auctori actionis *malae* et *periculosae*, damna imputantur: qui enim causam vult, effectus velle censetur. Quare totum domus alienae pretium latro praestabit, qui eius ostio, licet caute, ignem subiecit, a quo tota exusta fuerit 2).

2) Cf. Grotium, lib. II, c. 17, §. 12.

2. Si actio *bona* sit agenti, sed aliis *periculosa*, imputabitur si nullum ius ad illam habuerit: nam cum alieno periculo suae utilitati consulere, iniquum. Hinc qui ut feras capiant, foveas in itineribus faciunt, si quis eo deciderit, lege Aquilia obligati sunt 3). Tenebitur quoque agens, si vel diligentia, vel prudentia, vel peritia abfuerit. Si itaque colonus, flante vento, in suam stipulam ignem immiserit, aut imperitus equorum agitator equi impetum retinere non potuerit; damna praestabunt, si aut ignis alienam segetem incenderit, aut quempiam equus protriverit 4).

3) L. 28, ff. lib. 9, t. 3.

4) L. 8, 27, 30, ibi.

3. Effectus bonae vel malae actionis, dummodo non periculosae, auctori non imputantur, si illi nec praevideri potuerint, nec debuerint. Sic fur ex arbore decidens, si transeuntem laeserit, nihil praestabit; nihil quoque ramos amputans extra viam publicam, quo nemo transiturus prudenter putabatur.

XVII. Quaerentibus quid ei praestandum, qui alterum actione sua a boni consecutione removerit, respondemus:

1. Qui efficaciter, quocumque modo, obstitit ne quis bonum assequeretur sibi ex iustitia debitum, damni tenetur, non quanti res, sed quanti fert spes: violavit enim iustitiam commutativam, quam semper restituendi onus comitatur.

2. Qui indignum ab officio consequendo removit, si mediis licitis, nihil peccavit; si mendacio vel fraude, mendacii tenetur, non vero damni. Nam nulla ibi iniuria: non in hominem, qui utpote indignus, nullum ius habebat, seu nullam aptitudinem, ut ait Grotius; non in societatem, cui carere indigno, bonum est. Ubi autem nulla iniuria, nec ulla reparandi obligatio.

3. Qui dignum honeste repulit, ut digniori officium conferretur, bene de societate meritus est: quemadmodum autem illius merita potioribus hisce eliduntur, ita et iura.

4. Si dignum arcuerit, ut aeque digno faveret, duplici modo id fieri potuit. Si non inhoneste, consiliis puta, precibus vel suasionibus, nihil praestat: dignissimus enim quilibet nullum habet ius, ne quis aeque digno patrocinetur. Si dolo, vi, fraude, damni tenetur pro rei aestimatione: digno enim cuique verum est ius, ne iniuste a beneficio arceatur.

5. Si ut minus digno faveret, et quidem fraude, digniori atque societati damna reficiet; si precibus, non digniori, cui nihil ex iustitia debebatur sed societati quae ius habebat ne maiori privaretur utilitate, damna compensabit.

XVIII. Diximus de iniuriam inferentibus, de participantibus haec generalissima lex: Ii omnes tenentur de damno, qui vel sua actione vel culpabili omissione, adeo suam aut physicam aut moralem operam contulerint, ut verissime ex eorum quoque facto vel omissione damnum extiterit, quamquam etiam sine ipsis extiturum. Non enim hoc quaeritur: an actio damnifica, sine ipsis extiterit; sed hoc potius: an ipsi quoque in actionem et consequenter in damnum influxerint.

XIX. Causa participans triplex est: *minus principalis, principalis, principalissima.* 1. Principalissima dicitur ille, *qui ita in actionem influit, ut sine eius actione damnum illatum non fuisset.* Causa principalis ille est, *qui cum aliis auctoritate vel facto efficaciter concurrit, licet sine eo damnum illatum fuerit.* 3. Causa minus principalis ille dicendus est, *qui, iam ad damnum inferendum parato, omnibusque praesidiis instructo, ad propositum,* vel *facilius* vel *promptius* vel *animosius exequendum stimulos addit.*

XX. Ad primam refertur mandans, sive implicite sive explicite damnum inferri iusserit, qui utpote principaliter movens, principaliter tenetur de damnis quae ipse mandaverit, vel quae inde secutura praevideri potuerint ac debuerint. Tum iudex qui iniquam sententiam protulerit, ut Pilatus in morte Christi, propter abusum iuris et auctoritatis, licet animo nequiores scribae et pharisaei. Tum illi causarum actores, qui iudices fallunt, ve-

ritatem oppugnant, iustitiam intercludunt, innocentiam fatigant et opprimunt: *rabulae* ideo dicti a Seneca, quod *rabiosa* vendunt iurgia, et iras et verba locant. Consulens quoque, et laudans vel vituperans, causa damni principalissima fient, si non paratos ad illud animos impulerint: exitiale ac nefandum hominum genus, qui virtutem efficiunt contemnendam, vitia exornant atque ingerunt, passionibus stimulos et flammam submovent. Magistratus qui probos vexari cives, vel rem publicam dilabi sinunt, quum auctoritate abutantur, vel frena atque ordinem dissolvi patiantur, quis hoc loco censendos non existimet? Reparandi tamen obligatio primum eos tenet qui damnum intulerunt, deinde illos qui contra officium damnum inferri passi sunt.

XXI. Causae principales sunt qui iniquae legi vel sententiae suis suffragiis accedunt, vel enixe non obsistunt: similes quandoque Burro illi qui atrocissimis adstabat Neronis consiliis moerens ac *laudans* 1). Quodsi in omnibus par sit auctoritas, parem illa efficit iniuriam, licet animus dissimilis: atqui nos iniuriam, non animum quaerimus. Imo nec ille sarciendi onere solutus videtur, qui iniquo suffragio ad iniustitiam accedat, quam sufficiens iam iniquorum numerus decerneret: nam et hic auctoritate sua iniuriam efficaciter intulit, a qua abstinendum erat. Quod de auctoritate, idem dicendum de facto, si plures ex condicto unam moralem actionem constituant. Hi de damnis in solidum tenebuntur, et singuli pro omnibus: quomodo enim una omnium est actio moralis, ita una censetur resarciendi obligatio. Quare de iis qui simul furati sunt, recte definit Ulpianus: « Omnes furti in solidum teneri... Neque enim potest dici pro parte furtum fecisse singulos, sed totius rei universos 2). » Generatim causae aequaliter influentes, pro aeque principalibus habentur: quae si seorsim agant, de suo quaeque facto tenentur. Sunt tamen in hac classe sui gradus, adeo ut qui adiuvant, vel receptum et defensionem praestant, vel qui iniuriam patienti, *ex officio* atque *iustitia* opem ferre debeant et non ferant, vel iniuriam illatam manifestare et non manifestent, vario restituendi onere premantur.

1) Tac., *Annal.*, XIV, 13.

2) L. 21, § 9, ff, lib. 47, t. 2.

XXII. Tandem cum nobis causa *minus principalis* illa sit, quae minus in factum quam in modum influxerit, huius tantum ratione tenebitur: si nempe modus ipse maioris damni causa extiterit.

XXIII. Duo adhuc subiicienda: 1. Actio et omissio in eodem genere sunt, quum de damno agitur; 2. omissionis effectus, quoad resarciendi obligationem, non imputantur ei qui sola humanitate vel charitate, non vero iustitia vel officio ad agendum tenebatur. Quare si sola charitate opem ferre, clamare, obstare vel manifestare tenetur, si id non praestet cum non incommode possit, inhumanus fit, non iniustus. Iustitiae autem officiis tenentur servi vel alii mercede conducti, parentes, tuto-

res, magistratus, principes: quilibet nimirûm in iis quae suum spectant officium, eorumque non tantum malitia, sed ipsa quoque negligentia vel tolerantia, pro efficaci damnorum causa deputabuntur.

XXIV. Si praemissa teneantur quae de obligationis titulis, de persona, de actione et de participantibus exposuimus, complura solventur quae singillatim de damno allato *animae, corporis, famae* et *fortunae* afferuntur. Ubique eadem lex: Iniuria sarciatur ad aequalitatem; innocens, quo fieri potest, servetur indemnis, quasi iniuria lata non fuerit. Quum de bonis fortunae dictum sit, de reliquis animae, corporis et famae bonis, nonnulla cursim attingemus.

XXV. Iniuriarum deterrimam infert, 1. qui officio ad *animum* perficiendum obstrictus, non perficit, ut conducti scientiarum magistri, qui munus gravissimum vel gelide vel malitiose exequuntur. 2. Qui aliorum mentes a veritate, a fide, a virtute avocat, iuvenum praesertim, qui subdolis doctrinis facile patent; inde mali filii et cives extituri. Luctuosum iniuriarum genus, quo in singulos peccatur, in familias, in civitatem. Duplex ibi naturalis resarciendi obligatio. Illa, quae mores respicit, omnes tenentur: falsa itaque dedocebunt, in vitia quos impulerint, revocabunt. Altera, quae spectat damna physica, si quae inde secuta sint, ii tenentur qui ex officio praeerant, vel qui dolo, metu, vi usi fuerint.

XXVI. Inter *animi* bona quum non ultima sit animi quies, dolendum prorsus nullam eius in legibus aut iudiciis rationem haberi. Exemplum sit in improba ac dispendiosa lite, qua innocens familia divexetur. Complures quandoque annos contremiscit paterfamilias, veritus iudicum errorem, vel actorum perfidiam, quibus, *sua habere sidera lites* dicuntur. Causa ipsi tandem aliquando adiudicata, en aliquae ipsi parvulae impensae reddi iubentur, quia in oculos incurrunt. Discruciantes animi angores, nocturnos diurnosque metus, qui universae familiae felicitatem exederunt, quis compenset? Sed ius fiet, Deo iudice: quod meminerint litigiosi homines, et causarum aucupatores (*a*).

XXVII. De bonis *corporis*, non inficiamur, damni personalis, vitae, cicatricum aut deformitatis, nullam rationem habitam esse iure romano, quia ex eorum prudentum sententia, « libe-

(*a*) Naturali aequitate, 1. causas probabiliter iustas, sive civiles sive criminales, defendendas suscipiet iurisconsultus. 2. Quae dubiae sint, vel difficilis exitus, licite aguntur, iis quidem rationibus quibus fulciri videantur, monito tamen cliente, ne expensarum et litis amittendae pericula inscius incurrat. 3. Iniustas in re civili constanter reiiciet, secus clienti ignoranti, et adversario innocenti damna reficiet. 4. Accusato, in re criminali, quem reum novit, hisce tantum conditionibus opem feret: si ille civilia reparet damna quae crimen secuta sunt; si patrocinio non sit abusurus in posterum; si ipse qui causam dicit, parti adversae, vel accusatoribus vel testibus nec iniuriam nec damna inferat, sed allata criminis argumenta expendat atque infirmet, servato ordine iuris.

rum corpus nullam recipit aestimationem 1). » Contraria tamen praevaluit s.Thomae sententia, iuris naturalis consultissimi: « In quibus non potest recompensari aequivalens, recompensetur quod possibile est 2). » Illa itaque veteris iuris non tam prudentia quam subtilitate obsoleta, aequioribus nunc per universam fere Europam legibus aut consuetudinibus, nulla est prope atrox iniuria, quae non pecunia transigatur. Naturali quippe integritati congruum est, ut quem uno iucunditatis genere orbaveris, alio adaugeas. Hinc praeceperat Moyses, ut quicumque oculum vel dentem servi excussisset, eum libertate donaret 3). » Cicatrices quoque et imminuta oris venustas, in muliere praesertim, aestimationem accipiunt.

1) L. ult. ff, lib. 9, t. 3.

2) II, II, q. 62, a. 3.

3) *Exod.*, XXI, 26.

XXVIII. Damna itaque omnia *personalia* et *realia* compensabit iniquus occisor vel mutilator, ipsi occiso aut mutilato, parentibus, uxori, liberis; utque nonnullis placet, creditoribus quibus diutius vivendo satisfecisset. Quod ex occisi aetate, vitae instituto, ingenio, industria, dexteritate, erit constituendum. Haec autem cum de quacumque iniqua occisione vera sint, de eo quoque sunt intelligenda qui ad duellum provocaverit, et minus quidem, sed de ipso etiam provocato si provocantem occiderit: iniusta enim uterque damnorum causa est, quae inde in occisi familiam illata fuerint.

XXIX. Civiles homines, aliam veluti vitam, *famam* aestimamus. Quam non modo scelestissimi, sed non pauci qui se honestissimos putant, inhumaniter et ludentes discerpunt. Forte, quia vita haec nobilissima qua in aliorum aestimatione vivimus, sine sanguinis effusione obtruncatur? Gravissimum tamen scelus, eorum praesertim qui per calumniam falsum crimen affingunt. Hos valde verebatur Salomon 4); » his pene oppressa Susanna 5); his Dei Filius in crucem actus; his optimi fere quique, loquendi scribendique licentia vexati ac proscissi. Vilissimum calumniatorum genus Aegyptii lingua minuebant, Graeci talionis poena plectebant, Romani candenti ferro in fronte signabant. Imo *famosum libellum* (scriptum ad alterius contumeliam) conficere vel divulgare, civilium legum latores capitale esse voluerunt: « Nostrae duodecim Tabulae, ait Cicero, quum perpaucas res capite sanxissent in his hanc quoque sanciendam putaverunt: si quis occentavisset, sive carmen condidisset, quod infamiam faceret flagitiumve alteri 6) (*a*). »

4) *Eccl.* XXVI.

5) Daniel XIII.

6) Cic., *De Republ.*, IV.

(*a*) Lex XII Tabularum haec erat: « Si quis occentassit, carmenve condissit, quod infamiam faxit flagitiumve alteri; fuste ferito. » Nimia illa fustigatio ad mortem; nimia quoque Valentiniani et Valentis lex, qua simili mulctabatur poena qui libellum invenerit, neque statim « corruperit vel igni consumserit » (L. unic., C., lib. 9, t. 36). Nam ipsa poenae gravitas impunitatem afferre consueverat. Quod in aliis contingere, dudum iam politicarum rerum scriptoribus animadversum. Dum enim durissimum videtur gravissimam infligi poenam, nulla infligitur: unde scelesti animos ex crimine sumunt. Fuste itaque curentur: mors absit.

XXX. Criminis gravitatem habemus; modi illis includuntur versiculis:

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens,
Qui negat, aut minuit, reticet, laudatve remisse.

Eiusdem iniquitatis fiunt participes, qui ultro curiosas maledicentibus aut patientes aures accommodant, unde ansam arripiunt. Iniuriae et poenae quantitas aestimabitur ex detrimento atque aegritudine unde laesus afficiatur, habito respectu ad personam. Inde quoque reparandi onus atque mensura. Reparatio autem si ad integrum mortuis debetur, quum immortales animae nunquam iure in suam famam excidant; latius in eos patet qui supersunt. Damna itaque omnia *personalia* et *realia* adamussim sarcienda. Et quot, quamque magna uno quandoque verbo iaculantur! Quamque irreparabilia! Verissime namque, etsi perfide, Medius ille, ut est apud Plutarchum, suis imperabat ut audacter calumnias iacerent: ulcere scilicet consanato, cicatricem tamen mansuram 1). Ex quo diabolicum illud a Volterio usurpatum: « Calumniare, calumniare! semper aliquid remanet. » Hinc discordia inter fratres, subversae familiae, iurgia et caedes, et linguae quasi *seditionis flabellum*, ut monet Tullius.

1) Plut. *de adulat. et amici discrimin.*

XXXI. Ex adverso, qui turpiter vivendo famam ipsi proiiciunt, nullum ipsi ius retinent ut boni habeantur, neque expedit: criminis enim publici, publica infamia, merita poena est. Quum autem publica facta, publici iuris sint, etsi iubeat quandoque prudentia vel charitas ut sileantur, ne pudor evanescat, neque crimini insuescamus; iuste ad tribunal historiae deferentur, quod unum restat aliquando fortunatissimis scelerum auctoribus aut frenum aut supplicium. Imo non solum publica, sed occulta quae publicis adnectantur. Hoc enim historiae munus: « ne virtutes sileantur, utque pravis dictis factisque ex posteritate et infamia metus sit 2). » Sed historiae quoque pudor servandus, utilitas sectanda.

2) Tacit., *Annal.*, III, 65.

XXXII. Ceterum, sive falsum quis proximo crimen affinxerit, sive verum iniuste detexerit, ad id tenebitur, ut non minus retractatio vel compensatio pateat, quam calumnia vel iniusta diffamatio patuit. Sed, quum « nihil sit tam volucre quam maledictum, nihil facilius emittatur, nihil citius excipiatur, nihil latius dissipetur 3); quum lingua detrahentium « ignis sit et universitas iniquitatis 4); ediscant malefici, quam pateat linguae vulnus, et laboriosa reparatio.

3) Cic., *pro Plancio*, 23.
4) Iacob, III, 6.

Pauculas ex amplissima segete spicas delegimus, viam nempe ut aperiremus, iuris naturalis consulto latius excurrendam.

Textus, quem ex Ciceronis *Republica* attulimus, legebatur apud s. Augustinum, *de Civit.*, II, 9; nunc in Cicerone ipso, edente Em. Angelo Maio, antiquorum investigatore acerrimo ac diligentissimo, quem litterarum respublica veneratur.

Hisce autem, *inventorum* et *auctorum* iura addenda sunt, ut huius quoque iniuriae sarciendae ratio manifestetur.

XXXIII. Si quae corporis viribus acquisita sunt, proprietatis iura constituunt, a fortiori ea quae unusquisque ingenio suo invenit vel excogitavit, eorumque fructus et commoda in auctoris cedent usum et proprietatem. Alia igitur proprietatis species, quae *industrialis* vel *litteraria* appellatur, eodemque principio innixa, cum quaelibet res domino suo fructificet. Difficultas in eo est, utrum et quatenus, iis semel in lucem emissis, remaneant auctoris propria, an fiant omnibus communia. Quae disceptatio cum et novissima sit, nec liquido pateat an ex iure naturae, an ex iure gentium voluntario illud auctorum ius enascatur; nos utroque illo iure rem definiendam atque regendam censemus.

XXXIV. Nam 1. absolutissima aequalitas inter rei materialis occupationem, et quamcumque ingenii inventionem et productionem, quod lege gallica statuebatur, naturali iure non est admittenda. Aiebat illa lex: « Ce serait attaquer les droits de l'homme dans leur essence, que de ne pas regarder une découverte industrielle comme la propriété de son inventeur 1). » Absoluta proprietas omnes excludit, atque ad haeredes in infinitum pertinet: secus vero quae ab uno inventa sunt, ab alio inveniri poterunt, quum omnibus commune sit ingenium; nec ius patitur civitatis, ut qui tot ex ea commoda percipiunt, ingenii sui fructus exclusiva atque aeterna sua coërceant proprietate. Insuper communis est utilitatis, ut ab aliis evulgentur auctorum opera, animadversionibus vel enarrationibus aucta: quod iure prohiberetur absolutissimae proprietatis. Est igitur discrimen constituendum inter physicam, et industrialem vel litterariam proprietatem.

1) *Assemblée Constituente*, 7 janv., 1791.

XXXV. 2. Est tamen analogia quaedam admittenda, iure ipso naturali. Neque enim magis hominis res est laterum quam ingenii labor, nec minus utile omnium societati, certare ingenio, quam pedibus vel manibus. Ergo admittendum est in animi laboribus et fructibus aliud dominii fundamendum, aliaque proprietas statuenda. Quis enim, in expoliendis artibus vel scriptis, dies noctesque insumet, quis animi angustias et contentiones, quis gravissimas quandoque impensas ferat, si iam auctores oleum atque operam perdant? Esto ius societatis in iis fruendis quae inventa sunt: sed ius quoque est a natura tributum, ut suis auctores laetentur laboribus et fructibus (*a*).

(*a*) Perpetuum atque absolutum auctorum ius in primis tutus est D'Heriourt in expostulatione ad regium sigillorum custodem, quam nomine bibliopolarum Parisiensium conscripsit anno 1725 (*Op. posth.*, t. III, p. 54-71). Ex perpetuo auctoris iure concludit, bibliopolam qui opus ab auctore aquisivit, in perpetuum potiri hoc dominio, quod nemini usurpare liceat. Novissime eamdem amplectebatur sententiam Comte (*Tr. de*

XXXVI. Cum haec duo manifestissima evidentia fulgeant, novissimo iure gentium, naturae iura ita cum societatis iuribus vel commoditatibus componuntur, ut proprietatis tempora definiantur, quibus vel exclusive ars exerceatur, vel libri auctoris facultate typis edantur, ut ipsius quoque libertate emendentur vel perficiantur. Non ergo ex solo iure naturali, neque ex solis legibus, sed ex utrisque simul auctorum iura profecta conspicimus; non absolutissima et perpetua proprietas ex una parte, non gratuita prorsus privilegia ex altera; sed ius naturae, civili iure definitum atque constitutum.

XXXVII. Quaestione de iure persoluta, altera facilius solvetur de iniuria. Si enim tanta est iniuria, quanta est iuris violatio, qui in legem vetantem alienum evulgat opus, naturam laedit et legem, non tantum legalem iustitiam infringens, sed et commutativam, quam semper sarciendi obligatio comitatur. Siquidem, iure auctoris naturali per legem definito, limites constituuntur in quibus inchoatum a natura ius proprietatis suas exerat vires, cuique nefas sit illos transilire. A fortiori autem, si quis inventum vel manuscriptum, antequam evulgarentur, auctori subtraxerit, in quae hic, seclusis etiam legibus, plenissima utebatur potestate.

XXXVIII. Haec pro coronide sunto huius tractationis, quam instituebamus de universa rerum, corporis atque animi proprietate. Proprietate, veluti radicibus, homo urbis solo inhaeret et figitur; ipsa, sensibiliori quadam ratione, cives constituimur, et suavius ac firmius familiae quae illam nobis tradidit, et patriae quae illam tuetur, consociamur; ipsa ingenio et viribus stimulos administrat, mentem acuit, diligentiam fovet, alit artes, familias et imperia sua perennitate firmat atque exornat. Quare nec nimis attritam, nec nimis congestam in civitate expetimus proprietatem. Nimium attrita, quod novi expetunt legumlatores, familiarum abrumpitur successio, firmitas et

la Propriété). Sed erudite ac solide eam dissolvit Renouard (*Tr. des droits d' auteur*), qui haec habet; « La perpétuité de ce droit compte de très nombreux partisans. Leur système est facile à formuler : c' est celui de la propriété avec tous ses caractères juridiques, la transmissibilité, la perpetuité, l' inviolabilité. La grande majorité des écrivains a embrassé cette opinion... L'expression de *propriété litteraire* est entrée dans la langue, et l' adoption de ces mots, qui ont prévalu dans l' usage, indique la popularité de l'opinion qu'ils expriment. » Deinde: « Le système d'un droit temporaire a joui de très peu de faveur auprès des écrivains; mais, en revanche, il a hautement prévalu dans la législation. C' est le droit général de tous les peuples... S' il fallait se décider d' après l' autorité, je n' hésite pas à dire que la pratique universelle des nations éclairées devrait être d' un beaucoup plus grand poids que l' accord des théoriciens, fussent-ils tous unanimes » (Loc. cit., 438, 439). Generatim sibi nimis indulgent nuperi scriptores, qui physicam proprietatem vix ferentes, pro absolutissimo intellectualis proprietatis iure decertant. Illud certe aequissimum foret, ne, vivo atque inscio auctore, eius opera typis denuo committantur, ut facultas adsit scripta ad incudem revocandi.

amplitudo. Atqui socialis quasi edificii columnae familiae sunt, quarum lumine urbs tota coruscat, et populorum traditiones, et recte factorum memoria atque signa ad posteros traducuntur. Quis enim Camillos, Laelios, Aemilios, Scipiones, Fabritios, aliaque Romanae reipublicae sidera non demirabitur, non diliget? Quare Cicero: « Omnes boni semper nobilitati favemus, quia utile est reipublicae 1). » Nobilitas autem, quae nihil aliud est nisi longa factorum serie confirmata virtus, quomodo sine proprietate in familiis sustinebitur? Unde si primogenitorarum abusus improbamus, quibus veluti familiae exsortes habentur qui sunt eodem sanguine geniti; eas tamen, si temperanter instituantur, familiis atque rei publicae utiles arbitramur. Nam ut in quaque re praecavendi sunt excessus, sic in iure civili non indiscrete scindenda, nec nimis contrahenda est proprietas: quod et de iure politico, in sequenti libro, aliqua ratione affirmabimus; etsi, iuris civilis a politico facta distinctione, dispertitam potius proprietatem, collectam autem magis quam fractam diligimus auctoritatem (*a*).

1) *Pro Sext.*, 9.

(*a*) Superiori et nostra hac aetate, odio familiae et proprietatis, primogenitorae vehementer impetitae sunt, filiarum demum filiorum fere iuribus exaequatis. Sed hac laboramus imprudentia atque infirmitate, ut ex vitio in oppositum vitium coniiciamur. Quum ergo aequitas et pax familiaris quaerenda sit ex una parte, ex alia vero stirpium conservatio et perseverantia ad ius spectet familiarum, nec non ad decus et firmitatem civitatis; caveant prudentes, ne sicut olim nimia successionum inaequalitate naturalis aequitas vexabatur, ita ne immodica aequalitate nunc iura familiarum nimis debilitentur et conterantur.

LIBER TERTIUS

DE RELATIONE HOMINIS AD SOCIETATEM, SIVE DE IURE POLITICO.

TITULUS I.

SOCIETATIS CONSTITUTIO EX IURE NATURAE: RERUM ORDO ET CONSPECTUS GENERALIS.

I. Hominis ordinatio naturalis ad societatem et imperium. II. Imperii naturalis et divina institutio. III. Obligat in foro externo atque interno. IV. Tota colligitur imperii natura et vis. V. Duo imperii officia ex Platone. VI. Duo iuris supposita, *rector* et *civitas*: duo regiminis elementa, *imperium* et *libertas*. VII. Ergo lex princeps data est, qua illa definiantur et consocientur. VIII. Naturalis nempe et divina. IX. Huius legis, vel politicae iustitiae exercendae, incapax multitudo. X. Gerendae rei publicae prudentia et difficultas. XI. Multitudini naturaliter eminet purior quidam populus, populo optimates. XII. Capaces perpauci, et qui. XIII. Tres regiminis formae: non naturalis dominatio popularis. XIV. Neque possibilis XV. Omnibus communis absolutismus: in populo promptior et saevior despotismus. XVI. Ne homo in hominem dominetur, iustitia aeterna adhibenda est, et dup ex imperium: *Caesaris* et *Dei*. XVII. Unicum gentium tribunal, lex naturalis et divina. XVIII. Dictorum summa et connexio. XIX. Societas et imperia orta a natura, ante pacta.

I. Hominem ad moralem et physicum rerum ordinem iam institutum, ad politicam demum societatem componamus: cuius finis est, singulorum facultates minime extinguere, sed beneficentissimo civitatis iure tueri ac perficere. Iure, inquam, sive amplissima illa naturae vel rationis ordinatione, qua, sicuti res ceterae sua quaeque lege, ita rationales creaturae, per visibilem quamdam et *loquentem iustitiam*, invicem in morali corpore et maxima fratrum familia adsciscuntur et consociantur. Loquens illa lex vel iustitia est Imperium, ad quod natura nos constituit, quae sociabiles fecit: ut nec media deessent, ubi aderat finis, utque conditum a se aedificium, natura ipsa non sine fastigio reliqueret. Quod optime expresserat Cicero: « Nihil porro, inquit, tam aptum est ad ius conditionemque naturae (quod dum dico, legem a me dici, intelligi volo), quam Imperium: sine quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse

mundus potest. Nam et hic Deo paret, et huic obediunt maria terraeque, et hominum vita iussis supremae legis « obtemperant 1). »

1) *De leg.*, III., 1.

II. Hoc primum teneamus: a natura esse politicum imperium in civitate, atque ea quidem necessitate, qua familiae constituuntur ac vigent patris principatu. Est ergo imperium naturalis institutio, quae non evertitur, nisi sociabilis hominum natura evertatur. Consequenter, a Deo est, illiusque pars supernae legis, cui quum maria terraeque obediant, iuste quoque hominum vita obtemperabit: ne quemadmodum, lege sublata caelorum agmina dissolventur, ita naturale humani generis consortium, civilis cursus et perfectio simul intercidantur.

III. Est autem imperii vis interna et externa, adeo ut actiones hominum et rationales animas ligat atque afficiat. « Quid est enim civitas, nisi iuris societas 2)? » Atqui ius ens est rationis, moralem ordinem constituens, cui mens rationalis pareat et obsequatur, nisi a se ipsa recedere, atque in naturae suae leges et imperia, iniqua fieri malit. Dum ergo magistratibus opus est, sine quorum prudentia ac diligentia esse civitas non potest 3); iis ut pareant cives, a natura ipsa constitutum est. Imo, arguebat Cicero, « nec vero solum ut obtemperent obediantque magistratibus, sed etiam ut eos colant diligantque, praescribimus, ut Charondas in suis facit legibus. Noster vero Plato, Titanum e genere statuit eos, qui, ut illi caelestibus, sic hi adversantur magistratibus 4) » (*a*).

2) Cic., *de Rep.*, 1, 32.

3) Cic. *de Leg.*, III, 2.

4) Ibid.

IV. In imperio igitur, 1. naturalem habemus institutionem; 2. quae sui est iuris, suaque agit vi, ab illa delapsa superna lege, unde omnia descripta sunt iura; 3. cui propterea, morali necessitate parendum sit, ne iniquus fiat civis, ne gens ipsa dissolvatur, neque Titanum fere exempla et bella renoventur. Haec Tullius vere et graviter ex naturae penu eliciebat 5).

5) Vid. Lib. I, tit. XIII.

V. Est tamen imperium, non *proprietas* in sui ipsius, sed *iurisdictio* in communem utilitatem. Unde « omnino qui rei publicae praesunt, duo Platonis praecepta teneant. Unum, ut utilitatem civium sic tueantur, ut quidquid agant, ad eam referant, obliti commodorum suorum. Alterum, ut totum corpus rei publicae curent, ne cum partem aliquam tuentur, reliquos deserant. Ut enim tutela, sic procuratio rei publicae, ad utilitatem eorum qui commissi sunt, non ad eorum quibus commissa est, gerenda est 6). » Verba *tutela* et *procuratio*, si cum superioribus conferantur, non purum alieni iuris ministerium, sed proprium

6) Cic. *Off.*, I.

(*a*) Verba illa s. Pauli: « Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, » ita explanantur a philosopho egregio, s. Anselmo: « Hoc est non solum corpore sed et voluntate serviatis. Ideo debetis subiici, quia *non est potestas nisi a Deo*. Nunquam enim posset fieri, nisi operatione solius Dei, ut tot homines uni serviant, quem considerant unius secum esse fragilitatis et naturae (*In Ep. ad Rom.* XIII). »

quoddam ius, nec universalem rerum gestionem, quod socialismi haberet imaginem, sed imperantium officia et finem exhibent, qua dicemus ratione (*a*).

VI. Duo ergo in politica societate sunt iuris supposita: *Rector*, deinde regenda ipsa *Civitas*, quorum unum sine altero esse minime posset. Illi ius imperandi est, quod ius generatim natura ipsa constituit, universorum ordinem instituens; Civitati ius est, non ut quoquomodo possideatur, sed ad communem ordinetur aequitatem et utilitatem, ut una inter omnes *societas iuris* enascatur. Ergo dum fit societas iuris et virium, non tamen fit confusio imperantis cum civitate, ut ex ambobus quasi una persona et ius constituatur. In quocumque enim ordine, entia entibus, iura iuribus, personae personis copulantur, non permiscentur. In hominibus igitur est quid commune et civile, quod eiusdem societatis participes tum sibi invicem praestare debeant, tum rectori politico tamquam capiti; alia vero, quae cum publicam non afficiant ordinationem, in singulorum remanent libertate. Duo itaque distincta habentur regiminis elementa: *imperium*, *libertas*. Quae sui iuris sunt, sicque temperantur, ne sola auctoritas, omnia coërcens, tyrannidem invebat, civium in se personas et iura omnia absumens; neve libertas, freno soluta, a communi fine avertatur, atque in licentiam proruat. Quo autem modo imperantem et cives, tum denique cives inter se, libertas afficiat ac tueatur, alibi declaravimus 1).

1) Lib. I. tit. V, §. XI, XII.

VII. Si imperium ius est personas *regendi*, non vero *possidendi;* deinde, si duo sunt iuris supposita *rector* et *civitas*, unde fiat *imperium* et *libertas;* norma quoque esse debet, vel summum ius, vel aequitas imperiis universis superior atque praeexistens, qua tum imperandi tum obsequendi fines describantur. Quo sensu vere inquiebat Tacitus: « Imperaturus es hominibus, qui nec totam servitutem pati possunt, nec totam libertatem 2). » Norma autem haec, illinc imperium, hinc libertatem definiens, simulque

2) *Hist.*, I, 16.

(*a*) De imperii atque imperantis fine sapientissime Gerdilius: « Christiana disciplina omnem nos iustitiam docet. Hac tenentur supremae potestates, omnes suas curas et cogitationes in bonum civitatis conferre: quippe *ministri Dei sunt in bonum*, in id constituti, ut per laudem bonorum et vindictam malorum, iustitia et pax, omnesque bonae artes in civitate vigeant et efflorescant; omnesque cives, ordinatae concordiae vinculo consociati, quietam et tranquillam vitam agant cum honestate coniunctam. Nec enim Deus populos creavit propter summos imperantes, sed summos imperantes propter populorum bonum esse voluit: illi ergo divinam providentiam in rebus humanis referunt, ac repraesentant, propterea que Dii vocantur in sacris litteris. Cui augustissimo nomini ac muneri satisfacere non possunt, nisi quae divinam providentiam in universi gubernatione comitantur, sapientiam, iustitiam, bonitatem et clementiam ipsi pro viribus in civitate administranda imitari studeant, seque populorum patres et esse et audiri omnino velint; eamque unam et veram esse Principis gloriam meminerint, si quos Deus homines ipsis velut suae providentiae administris credidit, eos paterno affectu complectantur ac regant. » (Gerdil *Nouveaux opuscules*, p. 26. Rome, 1852.)

imperii et libertatis iura et officia aeque consocians, nec temperari nec fingi posset ab hominibus, nisi abstracta politicae cuiusdam iustitiae notio habeatur, quae licet diversimode aptetur gentium ingeniis, moribus ac necessitatibus, tamen substantialiter eadem sit, ad hominum naturam atque ad politicam civitatis ordinationem comparata. Est igitur a natura princeps aliqua lex vel iustitia: nam « remota iustitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia? 1) » Illa vero liberi sumus, dum legibus paremus, Tullio edocente: « Legum idcirco omnes servi sumus, ut liberi esse possimus. »

1) S. Aug., *de Civ.*, IV, 4.

VIII. Quum naturalis sit illa iustitia, etiam dum fit civilis et politica, non aliunde quam ab auctore naturae eius petenda est origo. Est itaque naturalis et divina (*a*).

(*a*) Hominum sociabilitatem, atque inde fluens imperium, luculenter exponit s Thomas *de Regimine principum*, 1, 2: « Et siquidem homini conveniret singulariter vivere, sicut multis animalium, nullo alio dirigente indigeret ad finem, sed ipsi sibi unusquisque esset rex sub Deo summo rege, in quantum per lumen rationis divinitus datum sibi, in suis actibus seipsum dirigeret. Naturale autem est homini ut sit animal sociale et politicum, in multitudine vivens, magis etiam quam omnia alia animalia quod quidem naturalis necessitas declarat. Aliis enim animalibus natura praeparavit cibum, tegumenta pilorum, defensionem, ut dentes, cornua, ungues, vel saltem velocitatem ad fugam. Homo autem institutus est, nullo horum sibi a natura praeparato, sed loco omnium data est ei ratio, per quam sibi haec omnia officio manuum posset praeparare: ad quae omnia praeparanda unus homo non sufficit. Nam unus homo per se sufficienter vitam transigere non posset. Est igitur homini naturale, quod in societate multorum vivat. Amplius, aliis animalibus insita est naturalis industria ad omnia ea quae sunt eis utilia vel nociva, sicut ovis naturaliter extimet lupum inimicum. Quaedam etiam animalia ex naturali industria cognoscunt aliquas herbas medicinales, et alia eorum vitae necessaria. Homo autem horum, quae sunt suae vitae necessaria naturalem cognitionem habet solum in communi, quasi eo per rationem valente ex universalibus principiis et cognitionem singulorum, quae necessaria sunt humanae vitae, pervenire. Non est autem possibile, quod unus homo ad omnia huiusmodi per suam rationem pertingat. Est igitur necessarium homini quod in multitudine vivat, et unus ab alio adiuvetur, et diversi diversis inveniendis per rationem occuparentur, puta, unus in medicina, alius in hoc, alius in alio. Hoc etiam evidentissime declaratur per hoc, quod est proprium hominis locutione uti, per quam unus homo aliis suum conceptum totaliter potest exprimere. Alia quidem animalia exprimunt mutuo passiones suas, in communi, ut canis in latratu iram, et alia animalia passiones suas diversis modis. Magis igitur homo est communicativus alteri, quam quodcumque aliud animal, quod gregale videtur, ut grus, formica et apis. Hoc ergo considerans Salomon in Ecclesiaste ait: « Melius est esse duos, quam unum. Habent enim emolumentum mutuae societatis. » Hactenus de sociabilitate; nunc infert regiminis necessitatem: « Si ergo naturale est homini quod in societate multorum vivat, necesse est in hominibus esse, per quod multitudo regatur. Multis enim existentibus hominibus et unoquoque id quod est sibi congruum providente, multitudo in diversa dispergeretur, nisi etiam esset aliquis de eo quod ad bonum multitudinis pertinet, curam habens, sicut et corpus hominis, et cuiuslibet alimalis defflueret, nisi esset aliqua vis regitiva communis in corpore, quae ad bonum commune omnium membrorum intenderet. Quod considerans Salomon dicit: « Ubi non est gubernator, dissipabitur populus. » Hoc autem rationabiliter accidit: non enim idem est quod pro-

IX. Sed dum ab hominibus, non certe ab omnibus illa *exercenda* concreditur. Nam, dum imperium dicis, et subditos affirmas; et dum politicum ius politicam exquirit prudentiam, aeque ac consilium atque ingenium, haec regendi adminicula frustra ab universa expectas multitudine. Est enim vulgus « sine rectore praeceps, pavidum, socors 1); » « vacuum curis, et sine falsi verique discrimine, *solitas adulationes* edoctum 2); » « cuiuscumque motus novi cupidum 3); » « ad deteriora promptum 4); » « mutabile subitis, et tam pronum in misericordiam, quam immodicum saevitia 5). » Dum autem « non est consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia 6), » sed neque regia illa virtus, quae passionum impetus coërcet, ut dominetur lex et iustitia: imo « nullum profundum mare, nullum vastum fretum et procellosum tantos ciet fluctus, quantos multitudo motus habet, utique si nova et brevi duratura libertate luxuriat; poenitetque eam modo consilii, modo poenitentiae ipsius 7). » Ergo multitudo, sua ipsius conditione, ab exercendo imperio excluditur, nisi imperium et societatem iuris, in tempestatem converti malueris.

1) Tac. *Hist.* IV, 37.
2) Id. *Hist.*, II, 90.
3) Id. *Hist.*, I, 80.
4) Id. *Annal.*, XV, 64.
5) Id. *Hist.*, I, 59.
6) Cic. *pro Plancio.*
7) Q. Curtius, lib. X.

X. Hinc, in *Epinomidis* fine decernit Plato « ut ad eos qui summam virtutem adepti sint, summa rei publicae dignitas deferatur, cum senilem tamen aetatem adtigerint. » Tum ex Varronis testimonio recitat Augustinus: « Pythagoras regendae rei publicae disciplinam suis auditoribus ultimam tradebat iam doctis, iam perfectis, iam sapientibus, iam beatis. Tantos enim ibi fluctus videbat, ut eis nollent committere nisi virum qui et in regendo pene divine scopulos evitaret; et si omnia defecissent, ipse illis fluctibus quasi scopulus fieret 8). » *Ipse illis fluctibus quasi scopulus fieret!* Ergo regenda plebs sapienter: hoc illius est ius ac libertas: sed non flectendum fluctibus, neque cupiditatibus serviendum rem publicam gerenti.

8) S. Aug. *de Ord.* in fin.

XI. Dum itaque per universam multitudinem effundi sapientiam vel imperium impossibile est, populus tamen aliquis adest in civitate. Pars nempe illa, ex Augustino, purior et sapiens « in quoddam vinculum redacta concordiae 9). » Alibi: « Populus est coetus multitudinis *rationalis*, rerum quas diligit *concordi communione* sociatus 10). » Qui in illa respexisse videtur: « Po-

9) *Epist.* 138., n. 10.
10) *De Civit.*, XIX, 24.

prium, et quod commune. Secundum propria quidem differunt, secundum autem commune uniuntur: diversorum autem diversae sunt causae. Oportet igitur praeter id quod movet in proprium bonum uniuscuiusque, esse aliquid, quod movet ad bonum commune multorum. Propter quod et in omnibus quae in unum ordinantur, aliquid invenitur alterius regitivum. In universitate enim corporum, per primum corpus, scilicet caeleste, alia corpora ordine quodam divinae providentiae reguntur, omniaque corpora, per creaturam rationalem. In uno etiam homine anima regit corpus, atque inter animae partes irascibilis et concupiscibilis ratione reguntur. Itemque inter membra corporis unum est principale, quod omnia movet, ut cor, aut caput. Oportet igitur esse in omni multitudine aliquod regitivum. » Hactenus s. Thomas.

pulus autem non omnis hominum coetus quoquo modo congregatus, sed coetus multitudinis, *iuris consensu* et utilitatis communione sociatus 3). » Est ergo populus, qui *ratione* et *iure* secum ipse vivit atque ordinatur: praestantes autem virtute, optimi vel optimates. De his Cicero: « Certe in optimorum consiliis posita est civitatum salus: praesertim cum hoc natura tulerit, non solum ut *summi virtute et animo* praeessent imbecillioribus, sed ut hi etiam parere summis velint 2). »

1) Cic. *de Rep.* I, 25.

2) Ibid., I, 34.

XII. Sunt igitur quibus imperandi, vel imperii munera gerendi virtus adsit, et quibus deficiat. Illi quidem perpauci: nam is bene imperat aliis, qui « servit ipse nulli cupiditati 3). » Arduum, inquit Angelus Mai in hunc locum, et tamen necessarium praeceptum! Laudatque Ciceronem praecipientem: « Magistratuum ordo vitio vacato, ceteris speciem esto 4). » Tum illa Theodorici regis ad quemdam magistratum: « Esto innocentiae templum, temperantiae sacrarium, ara iustitiae 5). » Quae, etsi ad unguem non resecanda, absunt tamen longissime a multitudine, vixque aliquibus congruunt, « quibus rem publicam tuentibus, beatissimos esse populos necesse est, vacuos omni cura et cogitatione 6). »

3) Cic. *de Rep.* I, 34.

4) Cic. *de Leg.* III, 3.

5) Apud Cassiod. *var.*, I, 12.

6) Cic. *de Rep.* loc. cit.

XIII. Inter optimates autem, duplex imperii ineundi ratio esse potest. Vel enim unus ex ipsis rerum summa potitur, vel communi imperant auctoritate. Tertia quoque adest ratio: cum nempe in populo sunt omnia. Summum multitudinis imperium, ex adductis rationibus, nec naturale nec possibile visum est sapientibus. Quare Cicero: « Semper, ut scitis, studiosus nobilitatis fui 7). » Ad illum autem Quintus frater: « Persuadendum est iis, nos semper cum optimatibus de republica sensisse, minime populares fuisse 8). » Rationem exhibet ipse Cicero: « Omnes boni semper nobilitati favemus, *quia utile est rei publicae* 9). » Consentit Plato in Politico, et Aristoteles in Republica 10). Omnes scilicet prudentes imperium illic esse maluerunt, ubi esset imperandi mens et facultas. Est enimvero naturae ineluctabile consilium et praeceptum, ne sive scientias, sive artes sive officia pertractet quisque, quorum vel incapax vel imperitus sit.

7) Cic. *Acad.* IV, 40.

8) *De petit. consul.* cap. I.

9) *Pro Sext.* 9.

10) Arist. *Rep.* III. 7.

XIV. Sed neque possibile unquam fuisse par universae multitudinis imperium, ex factis colligimus. Nam, praeterquam quod nec societas fingitur sine imperante, factiones ipsae a ducibus suis constituuntur atque appellantur. Populares enim homines et suis parere ducibus necesse est, tamquam principibus et regibus: sit ille Caesar vel Pompeius, Antonius vel Octavianus, Brutus vel Catilina. Imo, quo purior est democratia, fortiori obedientiae vinculo se adstringit illam ductanti, tamquam absolutissimo regi vel imperatori. Ergo nomine tenus, non re existunt populares dominationes: quae ita aliquando appellatae sunt, non quod omnia politica iura in populo essent, per seipsum exercenda, sed nonnulla eius arbitrio relinquerentur.

XV. Unum commune est illis generibus: parendi *absoluta necessitas*, sive regi, sive primoribus, sive populo. Ergo adest absolutismus in quavis specie, sine quo nec imperium fingi posset. Est autem absolutismus secernendus a despotismo. Ille enim est summa potestas, aequa et rationalis, ultra quam nullum tribunal vel imperium habeatur in civitate. Talis potestas substantiam afficit politicae societatis: tandem enim aliquando quiescendum est in suprema atque ultima auctoritate, ut unum ius, una iuris societas habeatur. Despotismus vero non ius, sed iniuria, sive a rege sive a populo deferatur: saevissimam autem populi ingratitudinem et crudelitatem in amplissimos cives, in Miltiadem, nondum sanatis vulneribus quae adverso corpore in clarissima victoria acceperat, in patriae vinculis quam ipse servaverat, vitam profundentem; in Themistoclem, Camillum, Metellum, Laenatem, Marium; aliasque caedes et pestes memorat Cicero 1). Et recte quidem: nam illic ferior et promptior furit despotismus, ubi cupiditatum fluctus latius ac vehementius agitantur.

1) *De Rep.*, I, 3.

XVI. Verendam adeo ac praepotentem imperandi vim, ultra quam nihil est, a qua nullum effugium pateat in terris, quis temperet vel cohibeat? Nihil invenies, praeter principem illam legem, quae est iustorum iniustorumque distinctio, ad quam hominum imperia dirigantur atque constituantur necesse est, ut, in quacumque regiminis forma, iustitia esse possit, quae una est. Divina ac sempiterna lex, divinum tribunal, divinum imperium statuendum est, a quo sicut humana dilabuntur imperia, ita in illud respiciant, ad illud convertantur, eique pareant reges, primates et populi, rationem reddituri. Illinc ius expetendum, illinc subsidia miseris, et frena potentibus, illinc libertas cum lege, earumque tuitio ac mensura. Duo igitur sint imperia in terris: Caesaris et Dei. Utriusque distinctio iura secernit, limites figit, hominem qua civile et qua divinum est animal instituit ac dirigit. Distincta autem, non divisa, duo haec imperia, se amice amplectuntur veluti ex uno fonte profluentia, dexteras conserunt, mutuis se opibus et auxiliis fovent, in eiusdem familiae ordinem et felicitatem.

XVII. Sed quod persona est ad personam, vel familia ad familiam, id civitas est ad civitatem, vel natio ad nationem. Distincta scilicet iurium supposita, una tamen iuris societate colligata, ut sub uno rectore Deo, in tanta gentium varietate, amice consocietur genus humanum. Hinc maxima illa necessitas, qua tenentur gentes, ut naturalis et divinae iustitiae imperium revereantur, quum illa iam unica supersit lex atque unicum tribunal, quo gentium iura vel lites rationabiliter componantur, ne, ut ferventes maris fluctus, in se irruant et conterantur.

XVIII. Iuris socialis et politici constitutionem, hactenus ex natura sola expressimus, et fere descripsimus. Haec rerum summa. Iuris societas, ad quam conditi sumus, ita imperium ex-

postulat, ut, sine illo, nec populus, nec civitas, nec gens esse possit. Naturalis et divina cum sit imperii institutio, obligationem gignit: auctoritatem ex una, obsequium ex altera parte. Finis, universorum ordo atque utilitas. Quum consociata iura permaneant distincta, non permixta, ut *imperium sit cum libertate*, lex princeps data est a natura, in ius publicum convertenda, atque per imperantem, quasi loquens et visibilis iustitia, exercenda. Hinc imperii species externae eiusque formae, de quibus nihil praecise a natura constitutum, nisi ut regna iustitia vigeant, iuraque tueantur. Est tamen in hominum natura, eorumque utilitate ac necessitate, quod animadvertimus ex Cicerone, « non solum ut summi virtute et animo praeessent imbecilloribus, sed ut hi etiam parere summis velint 1); » imperio denique constituto, ne Titanum bellum renovetur 2). Absoluta autem semper et ubique imperandi vis, in populo praesertim nimis periculosa et ingens, nisi Dei praefulgeat ac terreat imperium. Cuius legem sempiternam, semperque patens tribunal, nisi gentes venerentur, nihil esset quo una iuris societate colligerentur, iustitiam colerent, a violentiis atque excidiis avertereutur.

1) Supra, § IX.
2) S. III.

XIX. Ergo politica et publica iura, ita substantialiter tradita sunt a natura, ut tacite atque ultro inde hominum societates effunderentur: sive regibus omnes parerent, quod propius est ad naturam, more familiae, simplicius et promptius imperandi genus; sive aliud quid mores tulerint, in parvis praesertim civitatibus, ad regiam tamen formam fere semper conversis gentibus, etsi nomen deesset. Uno verbo, ut leges sero moribus successerant, ita politicae constitutiones, quibus imperandi iura hanc vel illam accidentalem formam acciperent. Ut igitur societas esset, provisum est a natura; descriptus finis, aequitas gentium constituta. Hoc fundamento, cum multiplex sit ius politicum vel gentium, aequitas tamen una. Hoc si teneas, reliqua evolventur: si reiicias, *sociale pactum* effingens piscaberis in aëre.

Quae raptim coniuncta descripsimus, nunc ampliori sermone persequamur, primumque de *pacto sociali* agamus, quod a *pactis politicis*, scilicet a fundamentalibus regnorum constitutionibus, caute est secernendum: non enim repugnat, ut naturali iure constituta civitas, speciales formas politicis pactis accipiat.

TITULUS III.

IURIS POLITICI CONSTITUTIO EX PACTO SOCIALI.

I. Scientia iuris socialis, idealis et obiectiva, historica et experimentalis. II. Contractus socialis absurditas et effectus. III. Hobbesiani systematis capita, et exquisita tyrannis. IV. Anarchiam invehit Rousseau, societatem dissolvens. V. Haec duo extrema contractus socialis: tyrannis vel anarchia. VI. Nulla societatis constitutio, extra pactum sociale, protestantibus relinquitur. VII. Ex Sydneyo pactum fundatur in proprietate: divites soli sunt populus. VIII. Lockius duo tenet summa imperia: populi et regis. IX. Schola germanica tuetur pactum, reiicit consectaria; vel viceversa. X. Grotius dum pactum appellat, illud funditus evertit. XI. Puffendorfius imperium constituit indivisum, nec ab ullo dependens. XII. Pactum negat Boehmerus, haerens ac caespitans. XIII. Wolfius imperium tribuit universis, non singulis, Hobbesium attingens. XIV. Wattel, ingenii levitate, clarissimus. XV. Kant pugnantia loquitur, nova et nebulosa: XVI. pactum ad politicum rationalismum perduxit. XVII. Gallicae scholae praecursor Montesquieu. XVIII. Sieyes. XIX. Rousseavium describit Spedalieri; XX. principatus ideam evertit: XXI. sophismata congerit. XXII. Ergo insufficiens et repugnans contractus socialis. XXIII. Huius causae; XXIV. et corollaria. XXV. Eversis imperiis, a suis defensoribus reiicitur.

I. Substantialia igitur in iure politico, societatem nempe cum imperio, imperium autem cum libertate, natura constituit; regiminum modos atque accidentia moribus relinquens. Hinc scientia ducitur iuris socialis et publici, firma atque amplissima: idealis simul et obiectiva, dum latam a natura legem intuetur, eique innititur; experimentalis atque historica, dum societatis facto universali, universalem causam adscribit. Si enim a priori societatem expendendam suscipias, tantae non stipitum, sed entium moralium, coniunctionis efficiendae atque ordinandae, nullam rationem invenies, nisi in praeexistenti lege summoque iure, quo iura particularia simul invicem coaptentur, quin collidantur. Si autem a posteriori, naturam perspicis vi sua conditam ad societatem, tum societatem ipsam, veluti factum universalissimum omniumque saeculorum, cuius nullum initium: societates enim evolvuntur, dilatantur, immigrant, scinduntur, regna ex regnis exurgunt, nullum tamen nisi cum primo homine communis vitae exordium. Atqui facti universalis causa, ea quoque universalis, adeoque naturalis.

II. Si haec ad naturam dicta sunt, ergo fabellis accensenda quae de statu silvestri veteres cecinerunt poetae, iterumque philosophi quidam excogitaverunt de pacto sociali. Ex poetarum placitis, satis horride, fatente Boehmero, statum illum rethorem agens descripserat Cicero: « Fuit quoddam tempus, cum in agris homines passim bestiarum modo vagabantur, et sibi victu ferino vitam propagabant, nec ratione animi quicquam, sed pleraque viribus corporis administrabant. Non divinae religionis, non humani officii ratio colebatur. Nemo nuptias viderat legitimas, non

certos quisquam inspexerat liberos: non ius aequabile, quid utilitatis haberet, acceperat 1). » Horridam in humanum genus calumniam diluit ipse Cicero dum alibi philosophum agens, hominem evincet cum Diis in *iuris societate* conditum natura sua; reprehendens vir, ait Quintilianus, quae adolescens deduxerat e schola. Sed neque urbes pacto constitutas finxit Tullius, verum compellente vi, et eloquentia suadente. Nos itaque statum *naturae purae*, ut aiunt, vel extrasocialem, concipi posse per mentis abstractionem, ut officia mere naturalia a civilibus facilius secernantur, libentissime fatemur: sed illa nuda est hypothesis, uti esse de ave implumi, inquit Gerdilius. Nudae autem hypothesi, et lascivientium fabellarum commento, iura gentium fundamentalia superstruere, nonne poetica admodum vel infantilis esset philosophia aut iurisprudentia? Credibile enim est, quod homo, sine lege, efferatus in silvis, quadam die societatem excogitasset, legem, imperium, iuraque invenisset, se suaque omnia, libertatem, ipsamque vitam pacto in delectum principem transtulisset? Sed quum haec origini, naturae et factis repugnent generis humani, quid disciplinis conferunt iuris politici, nisi ut societatis fundamenta submoveantur, iuris scientia impossibilis efficiatur, atque, deleta iustitia, vel tyrannis vel anarchia pro iure constituatur? Ingentia adeo mala ex brevi auctorum disquisitione clarescent: extrema primum, deinde systematis media perstringemus.

III. Carolus I. Angliae rex, caput iam carnifici traditurus, filium monebat: « Hoc didici, insurrectionum daemonem saepius angeli Reformatoris specie indui. » Revera tot Anglia factionibus ac ruinis conflagrabat, anno 1640, ut Hobbesius in reformata Anglia totum fere mundum inspiciens, societatem definierit: *Bellum omnium in omnes;* duobus editis libellis: *De Cive*, 1642; *Leviathan, sive de civitate ecclesiastica et civili*, 1651. Haec rerum summa: 1. Naturalis hominum status est bellum omnium in omnes. 2. Pactum sociale, inter singulos, pro pace. 3. Jurium omnium delegatio, atque absoluta, indefinita ac perpetua in principem translatio, ut civis iam nihil sibi habeat, nihil possideat 2). 4. Gens vel Status, instar magni animantis, *leviathan*, in quo vita et imperium residet, cuius mens atque anima est princeps, membra omnia informans et gubernans. 5. Iniqua in principem resistentia, eiusque impeccabilitas: « summos imperantes peccare non posse, cum ratione nunquam culpandos esse 3). » 6. Nihil natura iustum: reges quae imperent, iusta facere, quae vetent, iniqua 4). 7. Principe pro Numine constituto, caeli Deus erat abiiciendus: eius nullum in homines imperium, quum nulla ei auctoritas ab hominibus delegata sit 5). Et Biblia appellat, divinaque praecepta! Semel illi excidit: *civitas naturalis, magna familia*. Unum hoc extremum pacti socialis: Rousseau eliciebat alterum, in libro *de Contractu sociali*, anno 1762.

2) *De Civ.*, IV, 15.

3) *De Civ.* XII 4.

4 Ibid.

5 *De Civ.*, XIV, 11; XV, 2.

IV. Iam plurima efferebantur de libertate: pudica virgo, quae evolat cum se audit decantari in plateis. Hoc sibi auctor assumserat: « Associationis formam invenire, quae omni vi communi personam et bona cuiusque socii tueatur ac protegat; qua forma unusquisque, omnibus se iungens, tamen sibi soli pareat, et liber maneat aeque ac antea 1). » Dicta illa, *omnibus se iungere, et sibi soli parere*, tum *pactum inire*, et *in libertate manere aeque ac antea*, vel nihil significant, vel hoc solum: coniunctio et non coniunctio, societas et non societas, pactum et non pactum. Idem totius libri color. Imperium est populi, inalienabile, indivisibile. Lex est *voluntas universalis*, explicita, infallibilis: executores principes, qui levissima de causa deiiciuntur ac removentur. Regiminum formae, summo iure, impossibiles. Democratia nunquam extitit, neque posset; forma est divina, solis Numinibus, idest perfectissimis competens 2). Monarchia hinc tyrannidem infert, illinc servitutem 3). Elective etiam aristocratia, ipsaque delegatio vel nationalis repraesentatio, minus iniqua, sed tamen impossibilis, quum summum imperium sit in populo, actu exercendum, inalienabile, nec delegandum: si delegetur, ipso facto concidit atque amittitur 4). Quid ergo remanet? Ut societas dissolvatur. Quae perspiciens Voltaire, libro inscripserat: *Contractus socialis insociabilis Rousseau.*

1) Rouss. *Contr. Social*, I, 6.

2) Ib. III, 5.

3) Ib. III, 6.

4) Ib. III, 15.

V. En tyrannidem a primo, ab altero anarchiam, in pacto sociali aeque constitutam! Quid inde proficiet scientia vel populorum libertas? Sed nihil quoque illi profecerunt, qui media incedere via aggressi sunt.

VI. Protestantes quum ab Ecclesia primum, deinde a principe, ineluctabili rerum necessitate, summa et fixa quaeque iura amovissent; omnes pactum sociale, quasi naufragii tabulam, amplexi sunt. Vario quidem incessu atque exitu: quum imaginaria hypothesis nullo limite sit definita, illinc autem scopulos, hinc servandam societatem aspicerent.

VII. Sydneyus, nobilis anglus, ita ratiocinatur: « Qui dat imperium, et formam dat imperandi; cuius est instituere, eius est et abrogare. Atqui hic est populus 5). » Sed populi nomine, feudorum domini intelliguntur. Pactum enim fundatur in proprietate: iamvero, capite censi quum nihil habeant, nihil in societatis pactum contulerunt. Gentis suae ideam et constitutionem expressit, qua solus dives est populus. Imaginem autem praefert nobilis offensi et moerentis, qui nec regem diligit, nec populum, sed seipsum.

5) *Sermones de Regimine*, 1680.

VIII. Lockius pactum flectit ad legem naturalem, cuius praemittit existentiam, ad quam refert ius proprietatis 6). Duo videtur admittere imperia in statu: populi, iura sua tuentis per comitia; et principis, iura *coronae* sibi vindicantis, non delata a populo, non sociali pacto constituta, sed cum officio principis consanctissima. Verum, si par utrumque imperium, nullum erit sum-

6) *Tractat. de Regim.* 1690.

mum; si impar, unum tantum erit summum, adeoque verum imperium. Ibi quoque non liquidum systema, sed principiorum certamen, unde ambiguitas et fluctuatio.

IX. Longe doctior Germanorum schola, cuius duces primi et clariores Grotius, Puffendorfius, Boehmerus: quorum ingenio, si qua esset vis contractus socialis, certe inclaruisset. Sed illi, ut praepotenti iam consuetudini indulgere viderentur, pactum ut plurimum acceperunt, consectaria fere omnia reiecerunt.

X. Grotius, in iure naturali privato et publico facile princeps, minor est seipso in iure politico, quum nullo sat firmo utatur principio. Pactum sociale, quodam quasi contemptu, in medium affert, nec minima addita excussione vel probatione; imo illud ubique coarctans, oppugnans ac discerpens. Primum autem eius corollarium infringit, summum populi imperium: « Atque hoc loco primum reiicenda est eorum opinio, qui ubique et sine exceptione summam potestatem esse volunt populi, ita ut ei reges, quoties imperio suo male utantur, et coërcere et punire liceat: quae sententia quot malis causam dederit, et dare etiam num possit, penitus animis recepta, nemo sapiens non videt 1). » Male quidem adducto voluntariae servitutis argumento, prosequitur: « Frustra quoque afferuntur incommoda quae hinc sequantur, aut sequi possint; nam qualemcumque formam gubernationis animo finxeris, nunquam incommodis aut periculis carebis. *Aut haec cum illis sunt habenda, aut illa cum his amittenda sunt*, ait comoedia 2). » Alibi regna admittit *patrimonialia*, in principis proprietate constituta; quorum explicat originem ex patrefamilias latifundia possidente, atque advenas sub obedientiae lege acceptante. Grotius itaque pactum non absolute reiiciens, facto illud funditus evellit: eius tamen specie illaqueatus, claudicat, haeret, nullumque magna illa mens systema iuris politici constituit.

1) *De I. B. et P.*, lib. I, c. 3, §. 8. n. 1, ann. 1625.

2) Ibid.

XI. Eadem colluctatio in Puffendorfio 3). Recitat Hobbesii definitionem: « Civitas est persona moralis, cuius voluntas ex plurium pactis implicita et unita, pro voluntate omnium habetur 4). » Hoc summum esset populi imperium. Unde reprehenditur a Barbeyracio in hunc locum: « Confundit civitatem cum summo imperante. » Verum, ex pacti notione ipse cito se retrahit Puffendorfius, iura omnia conferens in summum imperantem: « Habet hoc omne imperium, ut sit summum, a nullo dependens, sed *ex proprio iudicio et arbitrio* sese exserens... *nemini mortalium*, adstrictum ad reddendas rationes 5). » Eidem intolerabilis divisio potestatis legislativae, iudiciariae atque executivae: « Sunt autem istae partes summi imperii naturaliter ita connexae, ut si regularis forma civitati constare debeat, omnes et singulae penes unum radicaliter esse debeant. Nam si una vel altera plane abfuerit, mancum erit imperium, nec ad finem civitatis procurandum idoneum. Sin autem istae dividantur, ita ut quaedam radicaliter sint penes unum, reliquae penes alium; irregularem rem-

3) *De I. N. et G.*, lib. octo, 1672; *De Off. hom. et civis.*

4) *De Off.* II, 6, 10.

5) *De Off.*, II, 1, 3.

publicam, et male cohaerentem emergere necessum sit 1). » Ergo summum imperium, in qualibet forma, ex imperantis officio emergens, indivisum, et suis se viribus exserens. Ruit pactum.

1) *De Off.*, II, 7, 9.

XII. Universis praestare videtur in iure politico Bochmerus 2). Opposito ceteris processu, negat contractum, aliquod admittit consectarium. Ille impossibilis: « quod magis fertur homo ad libertatem, quam ad subeundum imperium civile 3). » Expressum aliquod pactum, imperium antecedens, vix fingi potest 4). Est impietatis figmentum 5). Negata causa, admittere videtur effectum: « Societas omnium voluntatum coniunctionem refert, quae in imperante coadunantur atque ab eo exercentur. » Sed repugnat statim: « Potestas debet esse independens, et exerceri *iure proprio* 6). « Mixta imperia, et scissam in diversas partes summam auctoritatem, reiicit tamquam *monstrum reipublicae*. Subditorum iura, perpauca et imperfecta: subiectio aequalis, iniqua vel in iniurias resistentia; fuga ipsa aliquando vetita, intercedente societatis pacto, non infringendo; subditorum gloria, obedientia. Humanus et sagax, quoties naturalem sequitur aequitatem; durus, inclinans in pactum sociale, ut periculum effugeret quod illo pandebatur (*a*).

2) *Introd. in ius publ. univers.*, 1709.
3) Ib., p. 151, edit. 1726.
4) p. 171.
5) p. 141-150.
6) p. 212.

Haec illi: quibus, e schola germanica, addendi Wolfius et Kantius.

XIII. Wolfius imperium non singulis confert, sed universis 7), a quibus inrectorem transfertur civitatis, qui gentem suam *repraesentat;* pacti vero effectus et consequentia extemplo removet, inquiens: Ut iam Rector civitatis sit subiectum a gente diversum: persona ista moralis, quae antea in gente universa subsistebat, nunc in alio individuo physico subsistit 8). » Imperans igitur iure utitur suo, a gente ipsa distincto. Quod latius urget ac premit: « Absit autem, ut tibi persuadeas, caracterem gentis repraesentativum derogare quiddam de dignitate Rectoris civitatis, veluti monarchae maiestati in statu monarchico! Etenim is potius eandem magis conspicuam facit, quatenus iam unus eam dignitatem habet, quae ingenti hominum multitudini nonnisi *universim* competit: unde etiam est, ut eadem maior sit in regno, in quo unus eandem habet, quam in aristocratia, in qua pluribus universim ea competit. Cumque *nihil istius dignitatis*

7) *Ius Naturae etc. — Ius Gentium naturale*, 1749.
8) *I. G. N.*, §. 39.

(*a*) Duo constituit Bochmerus; 1. « Hoc ex natura summae potestatis, quod non augeatur nec mutetur ex *forma imperandi*, cum rursus eadem summa potestas sit in statu populari et aristocratico, quae est in monarchico. 2. Haec potestas summa alias dici solet *Maiestas*, et iura inde dependentia *Maiestatica*, quae nihil aliud sunt quam *complexus iurium variorum, quae imperanti* INDEPENDENTER ET PROPRIO IURE *in civitate competunt ad obtinendum finem reipublicae praefixum* » (*Introd. in ius publ.* par. spec. lib. I, c. 4, n. 32, 35). Haec duo ponunt *iura maiestatica*, in qualibet regendi forma, summae potestatis propria, nempe ex officii natura, atque prorsus independentia; consequenter, inventum ex *pacto sociali* naturale imperium evertunt, licet ex pacto *civili* vel *politico* formam accipiat.

remanserit in populo, singulis autem nihil quicquam eius competere possit, quoniam *quod universis convenit, singulis commune non est*; ideo Rector civitatis supra gentem eminet, nec dignitas alicuius de gente cum ipsius dignitate comparari potest 1).» Si contractus substantia illa est, ut iam *nihil istius dignitatis remanserit in populo*, ad quid pactum sociale? Quam longe absumus a Rousseau!

1) Loc. cit.

2) *Le Droit des gens*, 1758.

XIV. Dum ex Wolphio plurima decerpsit Wattel 2), tantam praefert mentis levitatem, ut principiorum defectu vel pugna Wolphium ipsum facile superaverit. Petit ille graviter, quid aget princeps qui nullam in gente religionem invenerit. Et respondet: « Quoniam nulla aderat, nulla ei facultas hac in re collata fuit 3). » Quasi nempe religionis instituendae facultas principi delegari possit. Contra vero, si aliqua adsit, oblitus collatae a populo auctoritatis, principem veluti unicum religionis dominatorem constituit: « Unicum adest imperium in civitate: variant munera, sed ecclesiastici, duces, magistratus, omnes reipublicae serviunt, omnes aequaliter imperanti mancipantur 4). » Vides Hobbesii doctrinam pro religione constitutam. Cassi adeo sciptoris nec mentio habenda fuisset, nisi otiosorum leviterque eruditorum solamen evasisset, qui scilicet iuris scientiam esse vix sciunt aut suspicantur.

3) Ib., lib. I, c. 12, §. 132.

4) Ib. §. 141.

XV. Kant, quum pactum sociale, populi imperium, aliaque corollaria, ipsamque universalem rempublicam summis laudibus extulisset; infelici sane exitu regibus blanditur, edocens, nulli vel tyrannidi resistendum, nefas iudicium discordans a principis iudicio 5). Nomina invertit. Naturae status, illi non est extrasocialis, societatem antevertens, sed qui hactenus viguit, *iustitia vacuus*, vertendus iam in iuridicum et legalem, ad quem saltem accedendum sit. Nova insurrectionis schola, idealis, implicata, nebulosa. In futurum statum, quem legalem dixerat, omnes cogendi sunt; lex politica, iusta *ex se ipsa*; Status res et personas sibi possidet, quia *ipse illas constituit*. A Statu quilibet praesumitur malus, donec securitatem ipse dederit. Hobbesio perniciosior: ille enim ponit, praeteriisse naturae statum sine lege et iustitia; Kant vero, adesse, sed evertendum. Utriusque finis pax: pax est defectus resistentiae; hic in perfecta imperantis coactione vel tyrannide conquirendus; quae plenissima est iustitia, cum a populo proficiscatur, eiusque nomine exerceatur; ipsaque tandem erit *ius cosmopoliticum* generis humani. Universalissima ergo tyrannis, pactum et status popularis.

5) *Elementa metaphys. iurisprud.*, 1798.

XVI. In Kantiano systemate, quidquid verbis efferat, cum nullum sit ius a natura constitutum, vel hactenus in politicis coniunctionibus expressum, sed in futura atque indefinita evolutione atque humani generis constitutione inquirendum; effrenata mens nullo itineris duce, idearum vacua ingreditur, universamque societatem, e naturali sede revulsam, proiicit in aëra. Hinc

contractus socialis ad politicum rationalismum perductus, quo germanorum academiae maxime perturbantur; atque contradictio absurdissima, qua ex una parte populi imperium constituitur, ex altera praepotens Status imperium, cuius finis socialismus, quo populare ius quodlibet vel imperium deglutitur. Hinc libertatis simul et imperiorum occasus; atque iurisprudentiae labor, levitas et fluctuatio, cuius exemplar Ahrens, Gottingensis doctor, et Bruxellensis academiae professor 1).

1) Ahrens, *Corso di diritto naturale*. Capolago, 1846.

XVII. Scholae gallicanae praeiverat Montesquieu, in opere: *De l'esprit des lois*, 1784; quod verterat Volterius *De l'esprit sur les lois*: vel spiritus super leges excurrens. Illam vero scholam perficiebat Sieyès 2). De primo inquit Mercier: « Unicam prosequitur ideam ingeniose pervolutam: vel se ipsam gubernat civitas, vel tyrannice gubernetur necesse est. Prudenter autem consequentia tegit vel reticet. Omnia ad pactum refert, et gentes quae illo non utantur, irridet vel contemnit. Obscurus quia voluit, se a pluribus intelligendum sciens: ceterum, principali eius idea, omnia illuminantur 3). » Haec de Montesquieu iudicia, nec suspecta sunt, nec iniuriose dicta. Antiquae iurisprudentiae vir, novaeque philosophiae cupidus sectator, inter iuris principia et popularia pacta vel systemata mirifice distrahebatur. Hinc, si non inventa, ab eo saltem celebrata politicarum potestatum *divisio*, *independentia* et *aequilibrium*: ex quo systemate, omni abrupto aequilibrio, factiones, politicae colluctationes, imperiorumque infirmitas et casus extiterunt. Illa enim summae potestatis discissio, nec monarchiam nec rempublicam esse sinit, sed reipublicae monstrum, a quo Boehmerus abhorrebat. Iure propterea a novis philosophis summo in honore habitus fuit: qui, licet ipse non insurrexerit, sequentium tamen insurrectionum arma paravit. Quo vere sensu, *vir magnus quantum licebat*, a Grouvelle dictus est. Quum plurima quandoque graviter et nobiliter efferat, saepissime torquet ideas et facta, atque simplici affirmatione utitur pro demonstratione. Refutatus a Dupinio, ne huius liber in vulgus prodiret, effecerat aulica mulier (de Pampadour), philosophorum amicissima. Quae iam erat insurgentis philosophiae tolerantia ac libertas.

2) *Sur les moyens etc.-Qu'est ce que le tiers Etat? etc.* 1789.

3) Mercier, *Notions sur les gouvern.* 1787.

XVIII. Sieyès, praestanti quidem sed corrupto ingenio, cum pluries fateretur, non statutis vigere ac florescere imperia, sed *regia potestate*; hac tutam esse singulorum libertatem; plurimaque ex opposito metuenda fore a popularibus potestatibus; integram postea evolvit pacti socialis sententiam: « Nunquam e naturae statu gens ulla egreditur, semper independens quomodocumque ipsa velit: ipsa volente, iurium omnium fonte ac domina, positiva quaeque iura conticescunt 4). » Quid ultra anarchia efferret, si ore proprio loqueretur?

4) *Qu'est ce que le tiers Etat?* p. 146.

XIX. Tandem pacti ideam exprofesso inter Italos evulgabat Spedalieri 5). Praemittebat: « opus Dei societas, tamquam *fa-*

5) *Diritti dell'uomo*, 1791.

ctum; facti autem *ius* in pacto 1). » Dicendum fuisset: ergo ius facti est in Deo. Nam, si factum societatis est divinum, ratio quoque facti est divina: non hominum scilicet conventis, sed lege naturali et divina societas ipsa constituebatur. Hac praemissa fallaci argumentatione, Rousseavium describit: « Ne omnia amitteret homo extra societatem, partem exuit libertatis, nautas imitatus proiicientes aliqua in mare, urgente tempestate 2). » Alibi exemplo utitur « hominis se e fenestra proiicientis, domo conflagrante 3). » Quae de homine eiusque societate sat illiberaliter, ne dicam perverse, efferebantur. Nulla ibi inditi amoris vel suavitatis recordatio, quibus trahimur ad societatem: contra vero in societatem proiecti effingimur, veluti, e nave in mare, vel per fenestram prosilientes ac desperantes. Hic totum Rousseavii odium in societatem; hinc nulla fraternitas, sed in societatem despectus atque indignatio.

1) Ibi, lib. I, c. 12, § 2.

2) Ibi, § 17.

3) Ib., c. 12, § 7.

XX. Unde vero principatus? In hoc constituendo, auctoris impotentia et contradictio mirabiliter affulgent. Cum enim dixisset: « Sia dunque fermo, che per *non perder tutto*, è onninamente d'uopo *sacrificarne* una parte, imitando la condotta dei marinari, allorchè fiera burrasca minaccia naufragio alla nave 4); » Rousseavium iterum describens, iura omnia propugnat *inalienabilia*. Verum, si inalienabilia, neque proiiciuntur, neque sacrificantur, neque transferuntur. Quomodo haec duo conciliantur? En auctoris responsum: « Io vi dichiaro, che in realtà l'uomo non se ne spoglia, non gli rinuncia, non gli cede, non gli trasferisce 5). » Quid ergo? « Gli deposita in comune. » Vere quidem ea quae emittuntur in mare, deponuntur in communi! Rara idearum perspicuitas et cohaerentia! Ut tamen cavillationibus praetexeret quod ratio repellebat, illud *commune*, sive principatum vel imperium, resolvit in singulos: « risolvendosi nelle menti, nelle volontà e nelle forze degli individui. » Et concludit: « Per la qual cosa, se nella mente pubblica che giudica, giudica la mia mente; se nella volontà pubblica che determina, determina la mia volontà; se nella forza pubblica che eseguisce, eseguisce la mia forza: ditemi, vi prego, che ho io perduto, che ho io trasferito 6)? Evidentissime atque absurdissime, hic voluntas cuiusque individui confunditur cum voluntate et persona imperantis: eousque, ut privatus iudicet in magistratu, decernat vel gubernet in principe (*a*). Quod extremum est in sophismatum genere, ideas

4) Ib., c. 12, § 17.

5) Ib., c. 13, § 3.

6) Ibidem.

(*a*) Principem in se omnium repraesentare vel efferre subditorum voluntates, quasi totidem particulas principatus, puerile est: contra vero illum curam omnium gerere, rectum atque integrum. En verba non somniantis, sed vere sapientis. « Quod aiunt supremum principem societatem repraesentare, videndum quo sensu accipiatur. Nam si hoc modo intelligitur ut in supremo principe potestas publica societatis resideat, atque illius iuris et muneris totius reipublicae curam sustinere, communique illius bono prospicere; tum princeps totam societatem, ceu pater familiam, recte repraesentare dicetur, quodque susserit princeps, id societas

miscet vel delet subditi et imperantis, iuris communismum instituit, ut Plato proprietatis. Haec enim pauperrima iactantia : *mea mens iudicat, mea voluntas decernit, mea vis exequitur*, similis est illi, qua platonicus civis cum nihil possideret, universas tamen reipublicae opes inspiciens, sibi gratulabatur: *Haec omnia mea sunt* 1).

1) Lib. II, tit. VI, §. VII.

XXI. Sed quomodo fit in contractu sociali, ut quis renunciet et non renunciet, iura transferat et non transferat? Novam percipe auctoris explicationem: « E questa è la natura particolare del Contratto Sociale. Ne' contratti ordinarii, i contraenti sono persone *distinte:* nel Contratto Sociale *si contrae con se stesso.* Sono io che ubbidisco, ed io che comando: io sono il suddito, ed io sono il principe 2). » Politicum hunc pantheismum non miraberis, non suspicies? Nonne versamur in Republica Platonis? Prosequitur: « Ma come si può contrattar con se stesso? In questo unico modo: io *individuo* contratto con me *confuso nella massa comune* 3). » Quomodo Spedalieri *individuus* contraxerit vel contrahere potuerit cum Spedalieri confuso in massa communi, ipse solus edocebit: nos non intelligimus, nec sanae mentis intelliget quisquam.

2) Ibid., §. 4.

3) Ibidem.

XXII. Nihil itaque veri, nihil aequi, confert iuri politico contractus socialis, societati explicandae vel constituendae insufficiens, simulque repugnans. Insufficiens: nam, sine ullo unquam pacto primae societates extiterant, exemplo et more familiae, quibus lex naturalis abundanter sufficeret; aliunde igitur illarum existentia, quam a pacto. Repugnans: nam, illius patroni absurda loquuntur vel repugnantia, quoties ex pacto ratiocinantur. Deinde pactum est personale: ergo extra pactum et societatem remanent quicumque pacto non consenserint. 1. Mulieres, quae et de populo sunt, quarum nunquam explorata voluntas; 2. omnes qui explicite non consenserint, implicitus enim fictio est non consensus; 3. filii familias, qui natura personam gerunt a patribus distinctam; 4. succedentes generationes, quae liberam, ut patres, extulerunt naturam, nec pacto devinctam. Hisce positis, quae pacti vim et naturam afficiunt, petimus quae societas vel constitui vel conservari possit. Contra, qui non pacto voluntatis suae,

voluisse merito reputabitur. At vero si hoc sensu intelligi placeat, quasi publica potestas non aliud sit, quam summa et aggregatum minimarum privatae libertatis particularum, quas unusquisque in cumulum contulit, nec alio munere princeps fungatur, quam depositarii publicae sententiae, consurgentis ex praesenti omnium voluntate; sitque adeo quasi scriba in comitiis, singulorum vota explorans et colligens, et communem deinde sententiam explicans; profecto haec intelligendi ratio cum sacrarum litterarum testimoniis (et cum civili sensu) aegre conciliabitur. Etenim suprema potestas, in republica, divina ordinatione consistit, non pactis illis et cumulis, quorum nulla extat memoria: estque supremus princeps non vicarius populi, sed minister Dei » (Gradilius, *de Princip. civ.* p. 22). Quam mira idearum sapientia et claritas! In Rousseavium certe, ac forsan in Spedalierium ille digitum intendebat.

sed facto Creatoris filius familiae et societatis membrum gignitur, eiusdem Creatoris lege, non libera sui electione, utriusque beneficia et iura suscipiens infans, utrique statim et semper, ut pars suo universo, mancipatur. Scilicet, qui nec libere nascimur, nec libertate nostra nec pacto, sed naturae lege, societatis commoda et incommoda suscipimus.

XXIII. Cur itaque inventum est pactum, excultum, retentum? Quia in illo vacuo quisque, ut pueri clausis oculis, quidquid animo concupiverat, sibi effingebat: tyrannidem Hobbesius, anarchiam Rousseavius. Deinde ut imperia pactis constituta, pactis dissolverentur: « Homo, incipit Rousseau, liber nascitur, et ubique catenis adstringitur 1). » Omnium fere mos, non serena mente societatis originem perquirere, sed obnubilare mentes, passiones inflammare. Maiestati minus infensis facile visum est, ex antiquissimo illo nova pacta eliciendo, imperia coërcere ac vexare. Revera cum ingestum fuerit populis, se vel patres cum imperantibus, veluti cum aequalibus contraxisse, iterumque contrahere posse, concidit obsequium, vis illa moralis qua gentes placide continentur, pacta pactis, statutaque statutis successerunt irrito conatu, donec nihil consisteret in civitate.

1) *C. S.*, liv. 1, ch. 1.

XXIV. Haec ita colligimus. 1. Contra omnes ideas, receptosque linguarum usus, quadam die ex pacto sociali, populus ex subdito factus est imperans, imperans vero subditus: invento nimirum pacto *unionis*, deinde voluntariae *subiectionis*, tandem *commissionis*. 2. Imperanti adscripta sunt *officia*, populo autem *iura:* statuit populus, princeps exequitur. Kant iuris concedit vocabulum, dummodo populi sit imperium: « Dici potest quod princeps nihil habet, nihil possidet; sed potest quoque dici quod omnia habeat, quum *ius exerceat populi* 2). » Verborum lusus: ius habet populi arbitria vel praecepta exequendi. 3. Quum nihil habeat naturale societas politica, sed voluntaria sit et positiva, a mercatorum societate minime secernitur, quae cum nullo fixo tempore contineatur, pro libitu repetit unusquisque ea quae contulerat: libertatem, independentiam, in nostro casu. Discrimen hoc naturalis et necessariae hominum societatis, a particularibus et voluntariis societatibus, neque advertit Spedalieri 3). 4. Populus nunquam rebellat; quod suum erat, resumit. Suavius: ex tutela egreditur. Adhuc sublimius: principes rem populis remittant, priusquam hi illam extorqueant (*a*). Scilicet, novis curatoribus remittant, quin unquam populus suae tutelae fiat.

2) *Elementa metaph. iurisprud.*

3) *Diritti dell'uomo* lib. 1, c. 17. §. 26.

XXV. Brevi: contractus socialis *explicite*, est tyrannis vel anarchia; *implicite*, insurrectionum praetextus et fomes, quibus

(*a*) Anno 1785, diarius quidem Berlinensis dissertationem evulgaverat: *Nova methodus, qua principes immortalitatem adipiscantur.* Anno 1819, italae quaedam ephemerides principes exorabant vel monebant, ut primi *Italiae cives fieri vellent.* Novi homines nihil invenerunt, sed antiquos parentes exscripserunt.

populi immutant imperantes, non imperia. Absoluta enim insurrectione, novi curatores atque dominatores, delicias pacti socialis iterum ne populis parant exornantque, ut hi quos extulerunt, rursus deiiciant? Tunc crimen laesae maiestatis, non modo populi libertas, aut verba, sed gemitus et suspiria. Ergo contractus socialis a suis auctoribus refutatur. Namque hoc tandem una voce populorum docet historia: sociali pacto vel populari imperio, nihil invocatur frequentius, nihil a suis patronis audacius violatur et contemnitur. Assentatores vaniloqui populo nunc abutuntur, ut sibi illę serviat, non ipsi illi; quemadmodum veteres olim assentatores regibus abutebantur, specie iuris divini. Nunc igitur integra populo exhibenda est veritas, quae nec olim nec alias regibus erat subtrahenda.

TITULUS III.

PRINCIPATUS ORIGO EX IURE NATURALI ET DIVINO.

I. Inde imperandi ius, unde ipsa societas, vel naturalis profluxit iustitia. II. Ius divinum reiicitur vel bona vel mala fide. III. Status quaestionis: non persona quaelibet sed institutio. IV. Haec naturalis: ergo divina. V. Cur nomen iuris divini. VI. Eius vis et dignitas. VII. Alia origo familiae, alia principatus. VIII. Divinum ius factis populorum perficitur vel declaratur. IX. Homo eligit; Deus instituit. X. Ergo non populus auctoritatem confert, sed Deus. XI. Summa potestas a Deo est mediate vel immediate, sub diverso respectu. XII. Quid de usurpatore? XIII. Iura omnia hoc systemate conciliantur. XIV. Hinc infidelibus quoque principibus honeste subiicimur. XV. Eiusdem fontis rivuli sacerdotium et imperium. XVI. Eodemque iure populi et imperantes continentur. XVI. In Deo vere est ius, in hominibus officia, quibus illi, auctore Deo, copulantur. XVIII. Exitus pacti socialis, resistentia et aggressio.

1. Si non modo praeclara societatis pars est imperium vel principatus, sed fundamentum eiusque fastigium, adeo ut nec civitatis nec politici unquam regiminis idea, sine aliqua principatus forma habeantur: ergo inde fluit imperandi ius, unde ipsa orta est societas. Atqui non ex hominum pacto orta primum est societas, quae pacta omnia antecesserat, sicuti pactiones reliquas naturalis praecesserat iustitia: ergo ius quoque, sive iustitia civitatis ordinandae vel regendae, a natura initium habuit. Sed quae naturalis est iustitia, eadem et divina: ergo principatus institutio, origo et iura, substantialiter, detractis accidentalibus formis, naturalia sunt et divina.

II. Pauci bona fide, mala fide plurimi imperia contemnunt *iuris divini*. Illi, veluti Numen ex principe ius divinum efficiat: hi, quum ad imperium se irrepturos non sperent ex iure naturali vel divino, ius effingunt populare, quo expulsorum princi-

pum loco tandem consedeant. Ad extrema utrique delabuntur. Quae ut praecaveantur, sinceram iuris divini notionem exponimus.

III. Est itaque ius divinum imperantium, ius ipsum naturale, genitum a Deo, a quo omnia entia, iura omnia, auctoritates omnes et potestates proficiscebantur 1). Aliunde autem, nisi ex Deo solo, imperandi ius et potestas, neque esse posset, neque inveniri. Lepide quidem ait Rousseau: « Omnis potestas est a Deo, fateor, sed omnis morbus est quoque a Deo; ipseque ensis, quo me minatur praedo in silva, est pariter aliqua potestas 2). » Vel ludit, vel ad quaestionem nihil intellexit ille sophista: de iure enim loquimur, vel de facultate morali, sive de auctoritate hominibus rite praesidente, cui morbos vel sicarios aequiparare, ineptum sane est, vel insulsum. Imo, ne ullus fiat aequivocationi locus, declaramus, non de quolibet homine imperium exercente, nec de singulis imperantium actionibus, sed et ipsa principatus institutione sermonem nobis esse, cum Chrysostomo inquiente: « Non est potestas nisi a Deo. Quid dicis? Ergo omnis princeps a Deo constitutus est? Istud non dico. Non enim de quovis principe mihi sermo est, sed de re ipsa, idest de ipsa *potestate*. Quod enim principatus sint, quodque non a singulis et temere cuncta ferantur, divinae sapientiae opus esse dico. Proterea non dicit Apostolus: Non enim *princeps* est nisi a Deo, Sed de re ipsa disserens: Non est *potestas* nisi a Deo 3). »

1) Cf. s. Thom. *de Regim. principum*, III, 3.

2) *Contr. Soc.* I, 3.

3) Hom. 23, *in Epist. ad Rom.*

IV. Hic praecise est sensus iuris divini, non hominis deificatio, ut ignoranter vel fraudulenter dictitant quamplurimi, sed naturalis institutio, Deo auctore rerum naturis infixa, qui omnia condidit ut essent ordinatissima. Hic catholicorum sensus, quo divinis humana conciliantur. Praeclare enim Bellarminus, Thomam secutus, abstrahens a monarchia, ab aristocratia, vel a democratia: « Haec potestas est *de iure naturae*, non enim pendet a consensu hominum, nam, velint nolint, debent regi ab aliquo, nisi velint perire humanum genus, quod est contra naturae inclinationem. At ius naturae est ius divinum: iure igitur divino introducta est gubernatio, et hoc videtur proprie velle Apostolus, cum dicit, *Rom.* XIII: Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit 4). »

4) *De laicis*, III, 6.

V. Nobilissimum igitur ac firmum societatis et principatus fundamentum invenimus, quod frustra in pacto conquirebamus. Sed, cum naturalis sit illa institutio, cur appellata est iuris divini? 1. Ut ex ipso nomine mortalibus statim illucesceret divina origo et vis, quae in principatu insidet. 2. Ut libenter et digne illi gentes subiicerentur. 3. Quia a iure divino positivo iterum asserta et promulgata. Divinitus autem renovabatur, quia ab initio Christus et apostoli, ipsique fideles, pro secta politica et principibus adversa traducebantur. Unde explicite iusserat Christus, et tributa, et quae Caesaris sunt, Caesari esse reddenda;

Paulus vero, nulla credentium vel ethnicorum habita distinctione, tradiderat: « Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. » Petrus tandem, et calumniantes coarguens, et illos qui per susceptam fidem et spiritus libertatem, se a politica potestate solutos arbitrabantur, instabat denuo amplissimis verbis: « Subiecti estote omni humanae creaturae propter Deum; » idest omni creato imperanti, propter increatum imperantem: « sive regi quasi praecellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis.... quia sic est voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam; » calumniatorum scilicet, christianam fidem pro politica insurrectione vel coniuratione venditantium. Deinde vero de christianis ipsis sermonem instituens: « quasi liberi, et non quasi velamen habentes malitiae libertatem, sed sicut Dei servi 1). » Nempe, spiritu liberi, non malitiose spiritualem libertatem in civilem licentiam convertentes.

1) I Petri, II, 13-17.

VI. Si haec recolantur quae, exordiente christiana religione, quaeque, exactis iam quatuordecim saeculis, periculosius suscipiebantur a Wiclefo, a Ioanne Hus, deinde ab Anabaptistis in Germania, docente Luthero, et paulo post a sectis anglicanis in Britannia, necnon nostra adhuc aetate, quocumque in populos collato imperio; colligemus, principatum quo societatis existentia atque ordo fulciri necesse est, providentissime iuris divini appellatum esse. Quo nomine et principes moneantur, se Dei largitate populis praefectos fuisse, ut divino munere sancte perfungantur, Deo rationem reddituri; populi vero (quidquid ipsi in principem contulerint) divinam recogitantes principatus institutionem, ad obedientiam et obsequium flecterentur. Haec civitatis ordini constituendo, licentiae vero tum a principe tum a populo removendae, aptissima sunt et decora. Contra, a populo atque a principe ius divinum expelle. Quid erit in civitate? Homo hinc atque inde: iura forsan humana, pacta scilicet, aequali facilitate confingenda et exscindenda. Sed nulla sane iura sancta atque inviolabilia: contra vero fraus aut violentia; imperium hominis in hominem; vel principis in populum, vel populi in principem, nullo altiori et sublimiori iure inter utrumque constituto.

Ergo vel imperium adest ex iure divino constitutum, vel nullum adest imperium firmum, aequum et sanctum.

VII. Sed quum duplex sit societas, *domestica* et *civilis*, et duplex potestas, *paterna* et *politica*; in primo casu, persona illam gerens, a paternitatis facto declaratur. Nihil vero huiusmodi in principatu. Quis princeps vel imperans a natura? Nemo in naturali omnium aequalitate. Tenemus, a familia primam duxisse originem principatum, quum imperfecta admodum huius notio habebatur, paucisque ordinandis familiis amplior quaedam paternitas sufficiebat. Volumus quoque familiae exemplum traducendum esse in civitatem: non nimis tamen, quum sint diversissima

iura patris et iura imperantis. Similitudinem fatemur inter familiam et civitatem, istamque perfici quum affectibus et obsequio ad illam accesserit: sed nequaquam analogiae sufficient, ut res et iura permisceantur. Ergo non recta illa sententia, quae ex familia tantum vel paternitate originem et iura infert principatus. Imo populis noxia, quia, patris exemplo, nimia princeps sibi vindicaret; nec minus infensa principibus, qui, familiae titulo, quomodo sua imperandi iura tuerentur? Duae igitur potestates, discretae invicem a natura, sunt familia et principatus: licet hic cum illa atque ex illa primitus extiterit.

VIII. Quae cum ita sint, unde efferemus principatus originem, non prout generalis est institutio, sed prout personis affigitur, atque in iis consideratur. Hereditaria novimus imperia: sed primus ille regiae nunc stirpis, quomodo sumpsit imperium? Vel stirpe illa penitus extincta, vel exacto quomodocumque legitimo personarum iure, descendet ne Deus ut novos deligat imperantes? Hic se sistit ius divinum vel naturale, illaque exposcit populorum facta, quibus instituta divinitus gubernandi facultas delectis hominibus conferatur. Revera, *vacante imperio, et quacumque iam deficiente legitima potestate*, ut in specie alicui prae alio deferatur, neque a Deo neque a natura iussum est; sed nec ut externum principem accipiat populus, externa vi compulsus. Ergo, suo iure et facto, gens imperantem sibi deliget, ea prudentia ut digno dignior praeferatur, quod tantum ex naturali sequitur aequitate. Peracta vero electione, naturale ius electus ingreditur gentem ex officio suo regendi, ad legem status atque ad communem utilitatem. Quod, obstrepentibus militibus, expresserat Valentinianus: « Ut me ad imperandum eligeretis, in vestra, o milites, situm erat potestate: at vero postquam me elegistis, quod petitis, in meo est arbitrio, non in vestro 1). »

1) Sozom. *Hist. Eccl.*, VI, 6.

IX. Quid itaque in principe eligendo vel constituendo praestat homo, quid vero Deus? Dicam brevi: *homo eligit, Deus instituit* (*a*). Quo illa declarantur: « Non est enim potestas nisi a

(*a*) Hic est formulae sensus, ex toto patens contextu: *etiam quum populus eligit, Deus principem instituit.* Non enim princeps eligebatur, quum principatus cum patria cohaerebat potestate; nec quum sensim sine sensu ab illa divellebatur, in magni alicuius patris successoribus manente principatu; nec quum ex facto aliquo fortuito vel necessario, penes aliquam gentem, exordium sumpsit principatus; nec demum, ut apud cultiores iam gentes, constituta regni hereditate, qua princeps nascitur non eligitur. Non igitur, exclusive aut ex familia, aut ex bellica apprehensione (si insta sit), aut ex electione, vel successione, verum modo ex una, modo ex altera causa, principatus origo proficiscitur. Proficiscitur inquam, quoad externam sui applicationem, non vero quoad sui essentiam, quae etiam eligente populo, in Deo atque ex Deo est. Rem pene oculis subiicit Gerdilius: « Porro cum populus antea sui iuris, supremum principem sibi constituit, velut cum Medi anarchia laborantes supremam potestatem Deioci detulisse memorantur, tum populus designat personam vel familiam, in qua deinceps haerere debeat publica potestas, non illam potestatem creat, et princeps quidem designationem habet a populo, potestatem

Deo... Dei enim minister est tibi in bonum 1). » Per me reges regnant, et legum conditores iusta decernunt: per me principes imperant, et potentes decernunt iustitiam 2). » Tum: « Audite ergo reges, et intelligite... quoniam data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo 3). » Quae potestas et tristibus confertur a Deo: « Deus coeli, regnum, et fortitudinem, et imperium, et gloriam dedit tibi 4). » Et paulo post: « Eijcient te ab hominibus,... donec scias quod dominetur Excelsus super regnum hominum, et cuicumque voluerit, det illud 5). » Est itaque divinum imperandi ius, sed, mediante facto aliquo sociali communicatur: humana olim puta electione, vel tacita subiectione; deinde haereditate, traditione vel successione. Qui scilicet humanam societatem, atque imperandi facultatem, immediate constituerat; mediante hominum facto, imperandi elargitur auctoritatem. Et quidem sapientissime facta Dei atque populorum in eadem actione copulantur. Dum enim ex una parte libertas elucet populorum, ex alia instabilitas, fluctuatio et licentia praecaventur in ipsa libertate. Dum sciunt imperantes, se vel patres suos, explicite vel implicite a populo fuisse delectos, monentur ut grati fiant, neque accepta abutantur auctoritate; populi autem recogitantes divinam auctoritatis originem, monentur ne in constitutum iam principem sacrilegi fiant.

1) *Rom.* XIII, 1, 4.
2) *Prov.* VIII, 15, 16.
3) *Sapient.*, VI, 2. 4.
4) *Daniel.*, II, 37.
5) Ibi, IV, 22.

X. Haec duo, *populus eligens, Deus auctoritatem conferens,* quaestionem absolvunt. Si dicas cum Bellarmino, summam potestatem a Deo collatam esse in multitudine, ab ipsa vero transferri in principem, sententia eadem manet; quum multitudo nihil esse intelligatur praeter medium aut vehiculum, quo potestas a Deo egressa, sub hac vel illa forma in imperantem traducatur, nunquam vero ut sedem habeat in multitudine, vel per hanc aliquando exerceatur: « Nam communitas non potest per seipsam exercere hanc potestatem;... nec posset genus humanum, etiamsi

vero nonnisi a Deo, ut auctore naturae: nam haec duo longe differunt. vicariam potestatem alicui demandat, velut cum procurator eligitur et constituitur, et subiectum designare, cui deinde non designantis arbitrio, sed ex lege quapiam vel instituto certa potestas cohaereat. Sic dum Electores Imperatorem eligunt, ipsum quidem imperatoriae dignitatis subiectum designant et constituunt, sed imperialem potestatem proprie non ei conferunt, quam Imperator habet ex imperii legibus et constitutione, cui Electores ipsi subiacent. Sic dum Cardinales Pontificem eligunt, planum est non eos Pontifici electo papalem potestatem conferre. Sic prorsus cum Medi potestatem Deioci contulerunt, ea designatione supremam potestatem in Deioce haerere voluerunt, sed huius supremae potestatis iura Deiocei non a Medorum placito habuit, sed ex lege naturae, qua supremae potestatis iura statuuntur et sanciuntur, ut superius vidimus: idem plane contingere iam observatum est in muliere, quae sua quidem voluntate virum eligit, non ei tamen maritalis potestatis iura tribuit » (Gerd, *de Principatu civili, Nov. op.*, p. 23, 24).

Si quolibet casu, semper Deus ipse principem *instituit*, semper quoque divina, non popularis potestas a principibus exercetur.

totum simul conveniret, contrarium statuere, nimirum, ut nulli essent principes vel rectores 1). » Igitur potestas quae multitudini asseritur a Bellarmino, quum ab ipsa in communi exerceri non possit, non est summa imperandi potestas: atqui nemo dat quod non habet: ergo a multitudine non confertur in imperantem, sed per multitudinem Deus illam confert imperanti (a).

1) Bellarm., *de laicis*, VI, 6.

XI. Hinc politica et sacerdotalis potestas, ex uno licet fonte exortae sint, collationis ratione discriminantur. Bellarminus: « Potestas politica, universe considerata, est de iure divino, in particulari considerata, est de iure gentium; ecclesiastica omnibus modis est de iure divino, et immediate a Deo 2). » Eamdem prosequitur distinctionem Cornelius a Lapide: « Potestas saecularis est a Deo *mediate:* quia natura et recta ratio, quae a Deo est, dictat et hominibus persuasit praeficere rei publicae magistratus, a quibus regantur. Potestas vero ecclesiastica *immediate* est a Deo instituta: quia Christus ipse Petrum et apostolos Ecclesiae praefecit. » Quomodo vero mediate? Mediante scilicet facto humano, ut explicat Suarez, rei publicae doctor excellentissimus: « In hac re communis sententia videtur esse, hanc potestatem dari immediate a Deo ut auctore naturae, ita ut homines quasi disponant materiam, et efficiant subiectum capax huius potestatis *(en factum humanum);* Deus autem quasi tribuat formam, dando hanc potestatem *(en potestatis originem 3).* » Est ergo immediate, et mediate, sub diverso respectu: *immediate,* quatenus a Deo ipso proficiscitur; *mediate,* quatenus subiecto ab hominibus legitime delecto confertur.

2) Ibid.

3) Suarez, *de Leg.* I, 3.

XII. Dixi: *legitime.* Quid de illegitimo? Nomine et reipsa damnatur: est enim usurpator. Doctrina de *facto completo,* non sane magis in iuris publici quam in privati depraedatione comprobatur: iam si illa in privatorum iuribus utaris, latrones et omnes scelestos absolves. Quod probe sentiunt ipsi usurpatores, quum et abhorreant a nomine, et, ne uno excepto, saltem ex po-

(a) Scholasticorum igitur sententia, de tradita communitati summa potestate, nihil habet commune cum imperio populari, estque illa potius intelligenda quam reiicienda. Perspicue autem ex Gerdilio, summa potestas communitati insidet quemadmodum oculus corpori, dum neque hic neque illa per universa membra diffunditur: « Hic vero probe animadvertendum necesse quidem esse ex natura rei, ut in communitate potestas aliqua publica existat regendi communitati accommodata. Quippe id prodit ex naturali iure sui conservandi, quod communitati denegari non potest. Verum minime necesse est, imo saepe non opportunum, et aliquando nec possibile ut potestas publica sit veluti per totam communitatem diffusa. Sicut necesse est quidem ut visus sit in corpore naturali animantis, non autem ut sit per totum corpus diffusus. Sicut ergo recte dicitur visus inesse corpori animantis, *quia totum corpus per visum dirigitur*, licet non omnis pars corporis sit particeps visus; sic etiam optime constat potestatem publicam in communitate existere, tamquam in subiecto communi, quia per eam tota communitas regitur, licet *non omnis pars communitatis sit eius potestatis particeps:* quod Grotius recte animadvertit, lib. I, cap. 3 (Gnad., *de Princip. civ.*, p. 18).

puli voluntate, legitimam sui originem probare conentur. Sed nec factionum vis, nec totius populi voluntas est cum iure confundenda. Numquid enim tota est gens paucorum cupiditas? Numquid exlex populus, omnique vel naturali vel divino iure solutus? Ergo 1. nulla raptoris auctoritas, in ferendis legibus vel gubernanda civitate. 2. Nulla ei *per se* debita obedientia, quae auctoritatem supponit, eique refertur. 3. Si iubeat quae publici sint ordinis, parendum respectu ordinis et boni communis, quod omnimode servandum deficiente potestate iuris, saltem a potestate facti. 4. Quemadmodum rem suam repetere a fure, eamque per vim etiam abstrahere, licitum atque honestum; ita pariter expellere usurpatorem. 5. Pericula tamen expendenda, rationes et exitus. 6. Demum, accedente longa temporis successione, atque explicito vel implicito populi consensu, quum necesse sit constare imperia, uti reliqua dominia, si usurpator vel heres rem publicam aeque et utiliter gerat, ille tandem ius legitimum acquiret, ratione publicae utilitatis, sicque Illo decernente cuius sunt omnia iura, et cuius nutu transferuntur imperia.

XIII. Ius itaque naturale et divinum, quod propugnamus in principatu, praeeuntibus exquisitissimis rei publicae magistris, Thoma, Suarezio, et Bellarmino, amplissimum est systema iura omnia concilians: 1. ius summi imperantis Dei, cuius est humanitas et societas, ab illo exorta, sub illo in terris peregrina, eiusque legibus atque ordine ad illum reversura; 2. ius terrenorum imperantium, qui ab illo constituuntur, eiusque participant iustitiam, ut, fere Dei loco, illam aeque et sancte hominibus administrent; 3. ius populorum, qui concessa naturaliter libertate, Deo instituendi delectos offerunt principes, ut legitimi fiant. Nonne haec vere dicenda est illa *Dei atque hominum civitas*, quam praesenserat Cicero? Quid ad haec, humana simul et divina, tam grandia et sublimia, inania illa de pacto sociali, vel de sociabilitate a Puffendorfio pro summo iurium socialium fonte constituta? Divino iure excepto, fugientes umbras prosequeris: ex illo primum habes ius, reliqua fluunt.

XIV. Petis enimvero, cur etiam infidelibus principibus fideles populi se subiicere teneantur? Respondet ius divinum, quia fides non evertit rerum ordinem sed firmat: nam « fides Christi est iustitiae principium et causa; et ideo per fidem non tollitur ordo iustitiae, sed magis firmatur. Ordo autem iustitiae requirit, ut inferiores suis superioribus obediant, aliter enim non posset humanarum rerum status conservari. Et ideo per fidem Christi non excusantur fideles, quin principibus saecularibus obedire teneantur 1). » Nec indignum obsequium, quod in Deum referatur: « Christianus nullius est hostis, nedum imperatoris, quem sciens *a Deo constitui*, necesse est ut et ipsum diligat, et reveratur, et honoret, et salvum esse velit 2). » En obedientiae puritatem, mentisque sublimitatem, nunquam repentem servilita-

1) S. Th. II, II, q. 104, a. 6.

2) Tert., *ad Scapul.*, M.

tam! Idem enim Tertullianus: « Colimus imperatorem, sic et quomodo nobis licet, et ipsi expedit, ut hominem a Deo secundum, et quidquid est, a Deo consecutum, et solo Deo minorem 1). » Nervosius: « Deum non Caesarem adorabo, scieus Caesarem ab ipso esse ordinatum 2). Haec vera sapientia, quae ordinem servat et iura, undenam nisi ex iure divino imperantium, quod terrenam constituit maiestatem, sed caelesti subiectam? (a).

1, Ibid.

2 Theophil., ad Autolyc., I.

XV. Petis insuper quibus se rationibus complectantur, et simul discriminentur, Sacerdotium et Imperium? Unus illorum auctor, qui dixit: « Quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo. » Dum ergo secernuntur ministeria, unius Dei ministri Princeps et Sacerdos, mutuis ita se foveant amplexibus, ut ministros decet eiusdem imperantis.

XVI. Petis demum quid conferat ius divinum ad iustitiam, pacem et aequitatem principum et populorum? Divino regit imperio utrosque, vetans ne imperantium vis et potestas exundet in populos, vel audax populorum impetus irrumpat in imperantes. Si enim quies ulla in terris, si superbissimae quandoque mentes, et potentissima imperia atque arma persaepe iustitiae ancillantur, si populorum multitudo, mare hoc ingens et fremens, paucorum regitur fide et auctoritate; si vivimus, uno verbo, si regimur, si eadem excipimur civitate, si vitam civilem agimus, cuiusnam fit opera atque imperio, nisi illius qui mari dixerat: « Usque huc venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos? 3) ».

3) Iob. XXXVIII 11.

XVII. Populis igitur et imperiis eminet ius divinum, quod nec Numa, nec ethnica advocasset sapientia, si regendae civitati iura suffecissent humana. Imo nec iura sunt hominum vel imperiorum, si a principe illo iure abstineas. Deus *ius* est: in hominibus *officia*. Officia imperantium in populos, populorum in imperantes: ius praecipit divinum ut haec atque illa impleantur. Divinum tolle praeceptum, et iura simul omnia abibunt. Hoc iure et praecepto, potius quam pacto, homines hominibus, populi cum imperantibus copulabantur, nuptiali quasi sacramento, Deo instituente ac benedicente. Duo contrahentium genera et officia, non humanitus inventa, sed divinitus adiecta: populus spondens obedientiam ac fidem; princeps iustitiam et mansuetudinem. Quo sensu, vere dictum ab Augustino: « Generale pactum est socie-

(a) Disertissime Augustinus: « Aliquando iniusti perveniunt ad honores saeculi... Iulianus extitit infidelis imperator, iniquus idololatra: milites christiani servierunt imperatori infideli. Ubi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant nisi illum qui in caelo est. Quando volebat ut idola colerent et thurificarent, praeponebant illi Deum. Quando autem dicebat: Producite aciem, ite contra illam gentem; statim obtemperabant. Distinguebant Dominum aeternum a domino temporali; et tamen subditi erant, propter Dominum aeternum, etiam domino temporali » (*In Psal.* 124, n. 7).

tatis humanae, obedire regibus suis 1). » Ea ferme ratione qua sponsi, non pro libito, sed ex naturali et divina constitutione, fidem mutuumque amorem sibi spondent ac iurant. Peccantibus populis, tyrannos quandoque permittit Deus, ut illi coërceantur: peccantibus autem principibus, coniurationibus frena dimittit Deus, quibus concutiuntur imperia, ut principes edoceantur. Nam quemadmodum ex bono, quod opus est Dei, malum elicit homo; ita ex malo, quod opus est hominis, bonum elicit Deus 2).

1) *Confess.*, III, 8, 2.

2) Cf. *epist.* Donosi Cortes *ad Herald.*, 1852.

XVIII. Quum officiorum fere nomina amiserimus, ut iuribus sine fine delectaremur, populis iura quoque principi obsistendi, eumque aggrediendi, asserta sunt: ad quem tandem exitum doctrina omnis de contractu sociali convertebatur.

TITULUS IV.

DE IURE RESISTENDI ET AGGREDIENDI.

I. Resistentia passiva vel activa. II. Quid passiva et quando licita. III. Hac, ut flamma, revolutio utitur. IV. Francisci Lamennais tribunitia verba. V. Patitur vere populus rex. VI. Sed populi faex, non populus, optimis et divitibus et magistratibus exclusis. VII. Neque populus, ardelionum vel sciolorum turba. VIII. Neque ipsi philosophi. IX. Vulgus numero non animo praestantior. X. Huic adscriptum imperium fit insurrectionis vexillum. XI. Nulla pars, sive maior sive minima, licite ius civitatis aggreditur. XII. Princeps violans fundamentalia regni statuta, suo excidit iure: regum depositio per pontifices explicatur. XIII. At ius constituendum est summum, activum et concretum, ultra quod nihil sit. XIV. Idem constans et fixum, exemplo proprietatis. XV. Ferenda varia libertatis distributio, sicut et proprietatis. XVI. Quid inris, quid agendum in factis, si imperium in tyrannidem convertatur: XVII. quod, ex Grotio, nunc vix concipi potest. XVIII. Praesens monarchia expenditur. XIX. Non ipsa tyrannidis palmam tulit. XX. Nec, sine illa, feliciores evasuri. XXI. Insurrectionum color, fraus et egregia tyrannis. XXII. Insurgentium mens atque animus. XXIII. Prudentiae consilia. XXIV. Revolutio.

I. Primum Revolutionis verbum, *ius resistendi;* alterum, *ius aggrediendi*. Illud dictum est quandoque resistentia *passiva;* hoc vero resistentia *activa*.

II. De passiva resistentia sic statuendum. Non Deus princeps, sed Dei minister, cuius iura, ex divino ipso iure in rectae administrationis limitibus continentur. Est enim lex, non *voluntas generalis*, ut Rousseavio aliisque placuit, sed « quaedam *rationis ordinatio ad bonum commune*, et ab eo qui curam habet communitatis promulgata 3). » Unde sequitur: « Alioquin voluntas principis (quaecumque sit principatus forma) magis esset iniquitas quem lex 4). » Divinum scilicet ius, quod imperandi facultatem impertitur, eidem limites figit, ut frustra extra illos exerceatur: quod, potius quam hominum statuta, fit in libertatis

3) S. Thom. I, II. q. 90. a. 4.

4) Ib., a. 1.

tutelam ac praesidium. Varia autem ratione, datos sibi limites imperium praetergreditur. 1. Ea imperando quae peccent in fidem vel in mores; 2. ea quae ad commune bonum minime esse videantur; 3. ea quae manifestissime repugnent bono communi vel singulorum. In primo casu, illud reponendum quod puer Machabaeus; « Non faciam; » vel quod eius frater: « Non obedio praecepto regis, sed praecepto legis (Divinae) 1). » Humana etenim quae opponitur divinae non est lex, sed iniquitas 2). Haec resistentia passiva est, quae violentiam patitur non infert. In altero casu, implenda est lex quae nihil iubeat in ius naturale vel divinum, et ceteroqui non certa sit eius iniustitia, quum nec quilibet privatus iudicium ferre possit de lege, sine ordinis perturbatione, nec subditis pateant causae vel necessitates, quibus moventur imperantes. In tertia specie, illa superest, quae non vere resistentia est, sed recursus, petitio vel expostulatio ad imperatorem. Haec via legalis et iusta: ad iustitiam autem omnia sunt peragenda in civitate: hac nostris temporibus usus est O'Connel, Hiberniae pater, ut ius fieret Catholicis in comitiis nationalibus. Quid si non audiatur? Calamitati accensendum, quibus in hac vita continuo patemus, sed lex servanda: non propter seipsam, cum nullius sit roboris, sicut iudicis sententia quae falsis rationibus innititur; sed propter publicum bonum atque ordinem, a quo sicut plurimas excipimus utilitates, sic et accidentalia quandoque mala sunt toleranda.

1) II *Machab.* VII. 8. 30.
2) Vide lib. I tit. V, § IV.

III. Hic nihil, quo insurrectionum causa promoveatur; sed ut aequitas cum iusta libertate et civitatis ordine componatur. E contra insurrectio ius extollit resistentiae, ut quomodocumque impedimenta imperantibus afferat, mala publica efflingat vel exaggeret, animos exasperet, quos demum in apertam principatus aggressionem vel rebellionem impellat. Quod ut aliqua fieret iuris specie, summum inventum est ius populi vel imperium. Rousseavii nugas retexit Franciscus Lamennais, mentis suae deliramenta Evangelio permiscens, populum accendens, et ne in flammas abiret frustra exposcens.

IV. Haec eius verba: « Populus patitur, quia aequalitas evanuit; illam revocet populus, qui summus est imperans; insurrectiones ordinem restituunt; populorum servi sunt principes; populus mandatum revocat. » Ita exoritur exasperata mens, quae immodice olim ius divinum extulerat: immodicus semper! Declamationibus, nulla autem rerum probatione, Rousseavium ipsum praetergreditur. Nos, serena mente, iura et facta inspiciamus.

V. Populus patitur. Vere quidem, sed postquam, pro iure divino et civili obedientia, populi imperium evulgatum est. Extunc nullum imperantium, et nullum populi ius, sed colluctatio et dolor. Iuribus enim sua quaelibet membra et loca et munera servant, unde socialis vita ducitur atque efflorescit; subverso autem iure, et vita ipsa subvertitur. Porro universa iura permi-

scentur, quum summum imperium populo conscribitur. Quae cum suprema sit quaestio, intimius est pernoscenda.

VI. Nihil proximius populo, vel miseris, quam Christus et Evangelium: sed quid veniat populi nomine, quum de publica re agitur, recte est definiendum. Est itaque populus, nec rege, nec magistratibus, nec divitibus exclusis, nemine contempto, omnibus vero suis pariter iuribus et charitate coniunctis. Hic est vere populus: si plebem, vel furentem plebis partem pro populo accipias, factionem instituis. Si in trivia et plateas, ductante tribuno vel agitatore, imperium transferatur, illic nec populus invenietur, nec imperium: sed faex populi, edocenda primum humanissime, dein civili iure coërcenda, ut communis servetur libertas.

VII. Neque vere populus dicenda est illa politulorum vel litteratorum turba, qui, quam grave sit, non novam concedere gentem, sed iam constitutam legibus regere vix cogitantes; imperium, gentis et saeculorum opus, se paucis syllabis reformaturos, veteraque omnia in nova atque meliora conversuros autumant. Neque hic populus, sed levissima populi pars, sibi aliisque molesta et periculosissima. Peiores autem qui illa abuntuntur ad factiones atque imperia, quae sibi vehementer concupiscunt. Quod videant generosi quandoque, sed nimis credüli adolescentes, qui dum patriae et populo se deservire arbitrantur, superbissimorum forsan causam agunt, qui pro libertate tyrannidem rependent.

VIII. Sed nec denique populum philosophi ipsi constituunt. Plurima enim ad ostentationem potius, quam ad vitae rationem tradunt, teste Cicerone: « Quotus quisque philosophorum invenitur, qui disciplinam suam non ostentationem scientiae, sed legem vitae putet? 1) » Abstractionibus autem magis quam rerum experientia et practico sensu quum delectentur, periculum fiet, ne in Platonis Rempublicam nos iterum coniiciant. Deinde quidquid ipsis ingenii concesserimus, numerus, et missio, et auctoritas deest, ne in iis populus concludatur.

1) *Tuscul.*, II.

IX. Dices: Populi nomine, esse intelligendam universam eorum multitudinem, qui laborant, qui onera ferunt, qui a civilibus gaudiis excluduntur? Vere hic illorum praetextus, qui democraticum populi imperium ad sidera extolluut. Sed eadem recurrit difficultas: nec tota gens vel civitas aderit in hac multitudine; quae et numero ac viribus praepotentior, moribus autem, ingenio et sapientia longe est inferior. Conditio profecto est rerum humanarum, ut quidquid praestet in quocumque sapientiae genere, rarum sit, neque ex multitudine iudicandum. « Non gravissimum, inquit Cicero, est testimonium multitudinis: in omni enim arte, vel studio, vel quavis scientia, vel in ipsa virtute, optimum quidque rarissimum est 2). » Ergo, a fortiori, prudentia et virtus politica, quae universam fere requirit sapientiam, constantiam et fortitudinem. Unde nec omnimodo reprehendenda illa

2) *De Finib.* II

Senecae sententia: « Ut sidera contrarium mundo iter intendunt, ita sapiens adversus opinionem omnium vadit 1). » Mitiora haec: « Non tam bene cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant 2). » Propius ad rem nostram: « Nunquam volui populo placere: nam quae ego scio, non probat populus, et quae probat populus, ego nescio 3). » Numquid vero ex hominum quantitate vel numero sapientia et virtus constituitur? Audi Ciceronem: « An quidquam stultius, quam quos singulos, sicut operarios barbarosque contemnas, eos aliquid putare esse universos? 4). » Romani hi: non alia Graecorum mens. Numquam tam vehementer sibi metuebat Phocion, quam plaudentem inspiciens multitudinem 5). « Quid insulsi egi, quadam aiebat die Antisthenes, quod hi mihi plaudeant homines? » Scilicet prospiciebant illi, ex plebis multitudine, Graecae et Romanae reipublicae labores et finem.

1) *De constant. Sapient.* XIV.

2) Id., *de vita beata.*

3) Id., *ep.* 29.

4) *Tuscul.*, V.

5) Plutarch., in *Phocion.*

X. Ergo vel stulti fuerunt maximi illi Graeciae et Romae viri, vel a sapientia recedunt qui nunc ad cultiorem civitatis partem evectum iam imperium, iterum ad inferiora deiiciunt. Infrangibilis namque lex est naturae humanae, ut sani infirmis, docti indoctis, imbecillibus fortes, insipientibus sapientes, videntes caecis opem ac praesidium impertiantur. Quae usquedum lex obtinebit, gerendae rei publicae munera, naturalis hominum constitutio, et necessitas ipsa, pauculae et saniori civitatis parti conscribent: dum, ex adverso, adscriptum multitudini imperium, insurrectionum fiet praecursor et vexillum. Constituta vero civitate, ius imperandi non in suspenso manet, nec in abstractis regionibus versatur; sed iam concretum est, certisque personis definitum, a quibus sine iniuria, manifestissimo autem civitatis periculo, non avertitur.

XI. Iure itaque concluditur: quum summum civitatis imperium nulla eiusdem pars sibi habeat, et suo iam loco sit constitutum, quaecumque illud pertrahat vel aggrediatur, in ius peccat universae civitatis. Peccat ex eorum sententia, qui ius ex numero eliciunt, si minor sit pars, ut hactenus factum est; inscia enim natione, regna plurima concussa vel excisa sunt; terrore deinde gens ipsa compulsa. Sed cum aeternum quiddam sit ius, non ab hominibus constitutum, nec propterea numero vel hominum suffragiis definiendum, peccat quoque maior societatis pars, aliam aggrediens, imperiumque pertrahens in seipsam: quod nuper Helvetica doluit respublica. Quid demum, si non iam inter partes, sed inter universam gentem atque imperantem quaestio ipsa vertatur? Hic rerum summa et nodus, solvendus, non secandus.

Haec secernenda veniunt:

XII. 1. Ubi fundamentalia adsint regni constituta, iisque conditionibus imperium delatum sit, iis tantum limitibus exercendum; illa effrigens imperans, sciens ac volens suo excidit iu-

re, titulum ipse rescindens, quo imperandi iura deferebantur. Hinc populos novimus a summis Pontificibus, in foedifragos principes, iurisiurandi fide solutos. Duplici de causa: 1. ex rerum aequitate; 2. ex iure publico, populorum et principum voluntate, apud catholicos universim constituto. Beneficum tribunal, quo civilia arma et bella amovebantur: non arbitrium, ut aliquibus visum, et usurpatio sacerdotalis in populos atque imperantes. Quid enim in ferreos vel barbaros, qui tunc aderant imperantes, usurpet inermis sacerdos? Legitimum tribunal, cuius iustitiam et sanctitatem testatur illorum potentia, qui ultro eidem subiiciebantur. Tabulae aderant, fundamentalia regnorum statuta, ad quae lis erat dirimenda. Partes, quae, efferatis temporibus, miro mansuetudinis atque humanitatis sensu, ne se belluarum more contererent, summum Pontificem ac patrem sibi iudicem delegerant. Demum iudex ipse, in quo, praeter divina iura, quidquid reliquum fuerat sapientiae civilisque iustitiae, prae ceteris effulgebat. Sublime tribunal, quo nationalia vel internationalia tandem iura definiebantur: principibus, potius quam populorum rebelliones, populis autem, potius quam principum arbitria, expetendum.

XIII. 2. Quum vetus illa iuris publici forma iam evanuerit, ius tamen summum constituendum est in civitate, ultra quod nihil sit in terris, cuique omnia pareant ac subiiciantur. Consentientes habemus adversarios, qui formidabile adeo ius multitudini conscribunt. Nos rei impossibilitatem, pericula, effrenis vel deceptae multitudinis atrox imperium animadvertimus. Universa etiam multitudo si, vacante imperio, deligendi sibi rectoris libera utitur potestate; non tamen constituto iam imperio, summo ipsa potitur iure sed imperans: secus enim constituta esset civitas, et non constituta, esset princeps et non esset, summum principis esset ius, et non esset. Quum ergo necesse sit, summum inveniri ius in civitate, hoc non in multitudine versatur, tamquam in activo et concreto subiecto, sed in imperante. Si summum est, ergo non habet par; ergo multitudo pareat, non imperet. Haec regula generalis, sine qua nec idea nec factum subsistet civitatis: non illam nos condidimus, sed a natura traditam expressimus.

XIV. 3. Si prima imperii conditio illa est, ut summum sit, simulque non abstractum, non diffusum in multitudine, sed determinatum et concretum in individuo vel individuis; altera est, ut non fluctuans, sed fixum et perseverans habeatur. Nobilius enim in iurium civilium serie est imperium. Atqui nisi iura omnia, semel acquisita, permanentia sint, miscebitur civitas, ut praesertim in proprietatis iure conspicitur, quae et naturali iure et facto humano constituitur. Sed duo illa pariter elementa, ius naturale et hominum factum, in principatu concurrunt. A pari igitur, quaemadmodum constituta proprietate in individuis, illa

naturali et divino iure permanens atque inviolabilis consistit; ita quoque principatus. Non hunc sane cum proprietate confundimus, sed in utroque iure, ex eadem societatis necessitate, aequalis perseverantia atque inviolabilitas requiruntur; nec politicum ius multitudini conceditur, quin et proprietatis iura concedantur. Negantes insurrectio ipsa revincet, horrenda quadam dialectica imperium et proprietatem ad se pertrahens.

XV. 4. Constituti imperii corollaria expendamus. Naturalis coërcetur libertas et aequalitas. Fateor: nec libertas civilis tantum ac politica diversimode dispertitur, sed ipsa quoque proprietas, ut alii plurimum, alii parum vel nihil possideant. Quid inde? Necessitas haec socialis, quam nemo effugiet, nisi civitati silvas praeferat: est enim lex naturalis, ut qui commodis utitur, et incommoda ferre debeat. Ergo vel imperii quaecquae et proprietatis constituta iura, etsi quandoque moleste afficiendi simus, fideliter observanda sunt, vel anarchia expetenda, et dissolvenda societas.

XVI. 5. Sed cuilibet imperio sui quoque sunt limites, quod vel ius divinum, vel hoc, et gentium constituta, et mores attulerunt. Si violentur a principe, nonne hic deiiciendus atque expellendus? Hic adversariorum nervus ac robur. Primo itaque, si princeps concessa liberaliter iura, utpote publicae noxia utilitati, ad se retrahat, munere suo fungitur, cuius est gentis incumbere ordini et felicitati. Si vero temere atque iniuste evertat iura regni fundamentalia, vel principatus in apertam tyrannidem convertatur, duplex fit quaestio: 1. quid iuris? 2. quid agendum in factis? Si ius inspicias, principis acta irrita sunt. Si quaeras de facto, se in iis ab obedientiae vinculo subtrahere, atque alium eligere principem, si absque civitatis perturbatione fieri possit, genti integrum ex s. Thoma, Suarezio et Bellarmino: nunquam tamen civilibus armis insurgere, et scindere factionibus civitatem. Thomae doctrina summatim exponenda. Tyranni exauctorandi ius nationi conceditur; Tarquinium ille memorat et Domitianum, cuius acta a senatu rescissa sunt: hoc autem in aperta tantum tyrannide; non aliquorum, vel factionum, sed universae gentis sententia; non civilibus armis; et quidem in extremis, nulla iam alia salutis spe affulgente (*a*). Deferantur querelae ab in-

(*a*) Subiectae a s. Thoma circumstantiae, omnes retinendae sunt, ne falsa evadat sententia. Quum vero illae vix concurrant, Aquinatis doctrina huic Gerdilii fit omnino consona et parallela : « Nulla sive in privatis, sive in ipsa communitate, facultas aut ius remanet resistendi principi, etiam per speciem vel praetextum mali regiminis. Secus in communitate duplex vigeret publica et suprema potestas, quod plane repugnare, vel ipse Burlamaquius agnoscit. Est porro subiectorum maxime christianorum officium, patienter id mali, quidquid est, tolerare, quam adversus supremam potestatem rebellare: nam et dyscolis etiam praepositis obediendum s. Petrus omnino praecipit. Quodsi ex historiarum monumentis, rerum gestarum memoriam repetere volumus, comperiemus: 1. quoties per speciem mali regiminis populi rebellarunt, in id eos semper a paucis factiosis in-

ferlore ad superiorem, si adsit, quemadmodum Hebraei ad Augustum confugerant in causa Archelai, qui paterni criminis extiterat aemulator. Ad extremum non deficiet Deus, Rex regum, in cuius manu sunt principum corda. Ipse Assueri feritatem vertit in mansuetudinem; deiecit, expulitque Nabuchodonosorem; audivit in Aegypto gemitus Hebraeorum, et Pharaonem cum exercitu absorpsit in mari; nec infirmata manus Domini. Malos principes immittit Deus in vindictam peccatorum: cessent ergo peccata populorum, ut cessent flagella tyrannorum 1). Suarezius vero armorum usus permittit tantum in defensionem contra iniquum principem, cives aggredientem, nunquam in eius aggressionem 2). In quod recidit Grotius: « Qui se hostem populi totius profitetur, is eo ipso abdicat regnum 3). » Addit ex Svetonio Gronovius in hunc locum: « Ut Caligula, qui optabat populum romanum habere unam cervicem 4). »

1) S. Thom., *de regimine Principum*, I. 6.
2) Suar., *defensio fidei*, III, 3.
3) *I. B. et P.* I, 4, 11.
4) Sveton. 30.

XVII. Regerit autem Grotius: « Sed vix videtur id accidere posse in rege mentis compote 5). » Quaestionem hanc, vix tactam a Grotio, nec certe ex practica principiorum constitutione, suo est lumine collustranda.

5) Grot., loc. cit.

XVIII. Constituimus itaque, principatum, qualis nunc habetur, ipsamque monarchiam, cuius arbitrio iam fere nihil relinquitur, quod non sit legibus dirimendum; fundamentalibus institutis, atque codicibus, omnigenisque magistratibus instructam; aperto deinde omnium civium ad principem recursu, non ita posse in tyrannidem verti, ut licita sit eius destitutio, atque a fortiori armata in eum insurrectio. Revera, Roma vetus imperiali gravabatur tyrannide, cum nulli iam mores aderant, nulla lex; sed tyrannica plebs, tyrannicus miles, tyrannicae electiones, unde rerum fere necessitate, tyrannici oriebantur imperatores. Imperii et gentis universae elementum, tyrannis. Sed tempora versa sunt: naturalis aequitas, scriptae leges, mores, regum legitima successio, qua imperantium familiae domesticis quasi necessitudinibus cum gente ipsa revinciuntur, christiana demum religio tyrannidem excludunt.

XIX. Aliud insuper patebit facta expendentibus. Patebit nimirum, ex quo doctrina evulgata est de summo populi imperio, deque resistentia regibus exhibenda, tyrannidis exempla in populis et nationalibus comitiis inclaruisse, potius quam in regibus. Carolus I, Angliae rex, comitiis et Cromwello agentibus, obtruncabatur anno 1649. Quisnam tyrannus, rex ne, an comitia et Cromwellus? Martyr occumbebat Ludovicus XVI. Ipse ne tyrannus, an tigres, quae eius sanguine oblectabantur?

XX. Quis inde fructus, vel libertas populorum? Britannia

citatos esse, qui populorum credulitate abuti tentarunt ad privatum commodum et lucrum; 2 in his civilibus bellis ac motibus, multo acerioribus cladibus populos afflictos esse, quam ea incommoda fuerint propter quae arma sumpserunt » (Gnas. *de Princip. civ.*, p. 28).

Cromwelli superbissima tyrannide premitur; Gallia ferarum agmine laceratur. Vere dictum: ubi regia sedes evertitur, panditur abyssus, lacrimis et sanguine implenda populorum.

XXI. Otiosa igitur quaestio de abstracto iure, dum iura civilia et socialia nunquam sine factis exerceantur. « Clodius accusat moechos, Catilina Cethegum. » Duriora sint in principatu: exaggerantur. Nulla sint: falsa excogitantur. Vera si adsint, violenter nodum secet insurrectio: tunc non omnium, non plurium, ut sibi blandiebantur, sed paucorum erit imperium. Insurrectio autem cum sit ipsa vis, audacissimi arripient principatum: cuius vita atque exitus, terror. Duae siquidem sunt imperandi viae: legitimum ius aut despotismus. Illud iusurrectiones fugit. Imperia igitur rapientes non illa exornat legitimitatis aureola, qua fulgens imperantium maiestas animos suaviter flectit auctoritate et obsequio. E contra, iure insurrectionis constituto, quae est legitimitatis et auctoritatis denegatio, nihil erit sanctum vel certum in civitate. Quo iure prima est peracta insurrectio, eodem secunda fiet, et tertia, et quarta, et sic deinceps: ut vero sequentes removeantur, qui rerum summa potiti sunt, necessaria tyrannide dominabuntur. Hinc revolutionum historia, infirmitas, infinitae leges, in optimos quosque calumniae, exilia vel proscriptiones. Haec erit lex sempiterna: illegitima revolutionum imperia; quo minus legitima imperia, eo et debiliora; quo autem debiliora, eo et saeviora, ut violentiis conquisitum, violentiis servent principatum.

XXII. Si haec naturalis atque historica insurrectionum indoles, quaenam insurgentium mens atque ingenia? Unus Washington, gentis amore percitus; ex Tacito reliquos discimus: « Libertas et speciosa nomina praetexuntur: nec quisquam alienum servitium et dominationem sibi concupivit, ut non eadem ista vocabula usurpet 1). » Idem: « Falso libertatis vocabulum obtendi ab iis, qui privatim degeneres, in publicum exitiosi, uihil spei, nisi per discordias habeant 2). » Tandem: « Ut imperium evertant, libertatem praeferunt: si perverterent, LIBERTATEM IPSAM AGGREDIENTUR 3). » En explicite ius *resistendi* atque *aggrediendi:* illi iura imperantis aggrediuntur, deinde iura et libertatem populorum aggressuri.

1) Tac., *Hist.*, IV, 73.

2) *Annal.*, XI, 17.

3) *Annal.*, XVI, 22.

XXIII. Ergo, concludimus, quum imperia a fallibilibus semper hominibus sint exercenda, nec perfectissima sine ulla malorum admixtione habeantur in terris, illud erit sapientis consilium: 1. mala praesentia bonis conferre, quibus revera fruimur, uti publica securitas, scientiarum cultus, animorum quies civilis et moderata libertas; 2. illa ipsa mala quae existimantur, amplioribus comparare quae seditiones et civilia arma perpetuo comitantur; 3. quum providentiae ordo nulla sinat diu esse in gentibus mala incurabilia, firma niti spe, haec quoque, animi potius virtute, quam iniuria fore transitura. Demum pleraque mala

quibus gentes nunc premi dicuntur, tributa, suspiciones, incerti mores, aliaque, cum ex seditionibus orta sint, si quidquam sapiunt homines, malorum causas avertent, legitima imperia illegitimis ac superbissimis dominatoribus praeferentes.

XXIV. Sed novum iam aevum ingressi sumus, quo non de aliqua libertatis vel iuris specie lis est, non de coniurationibus vel insurrectionibus, sed de radicali omniumque amplissima revolutione agitur, quae explicanda est.

TITULUS V.

QUID SIT REVOLUTIO.

I. Revolutionis origo et nomen. II. Non actus illa est, sed permanens status. III. Describitur. IV. Postulat summum populi imperium; V. pro libertate, omnigenam licentiam: VI. omnium aequalitatem in nullitate; VII. Ecclesiae separationem a Statu; VIII. novam *chartam*, praeexistentium constitutionum rescissionem; IX. novam nationum descriptionem. X. Breviter: populi imperium, non regis, non Dei. XI. Est malum capitale et radicale. XII. Bona vertit in mala. XIII. Ipsa est rationalismus in re civili et politica. XIV. Rationalismus est hominis deificatio, fides hominis in hominem. XV. Deificatio rationis, deificatio carnis. XVI. Homo loco Dei: aevum apocalypticum. XVII. Flammae flammis additae novae constitutiones. XVIII. Remedia parat solus Christianismus. XIX. Ex illo vera libertas, aequalitas, fraternitas. XX. Pura ipse et sublimis politica. XXI. Ast nullus certamini finis. XXII. In arce iuris divini, imperantium et populorum salus. XXIII. Hactenus ex viri protestantis sententia. XXIV. Imperanti, ex suo et civitatis iure, revolutio est coërcenda, si minor sit pars; XXV. item si maior. XXVI. Conclusio.

I. Quum ex protestantismo orta primum sit revolutio, qua moralis, religiosus, civilis et politicus ordo erat revolvendus, iuvat illam describere ex protestantis viri sententia, scilicet ex doctore Sthal in Berlinensi Universitate iuris antecessore, in dissertatione habita sub initio anni 1852. Petit ille quid non sit, deide quid sit revolutio.

II. Ait: An revolutio actus est populi simpliciter in principem insurgentis? Nequaquam. Non actus illa est, sed permanens et continuus rerum status. Quovis tempore rebelliones extiterant, regum regnorumque casus. At revolutio fructus atque insigne est huius aetatis. An illa est libera civitatis institutio, vel nisus quilibet in imperantem? Minime. Legitima libertas ex Deo est: nec quisquam rebellem dixerit Thomam Morum, regis sui primatum in Ecclesiam reiicientem.

III. Quid igitur? Systema est universalissimum, ideale imperium exercens ab anno 1789, et leges vitae publicae definiens. Revolutio est *constitutio publici status ex hominis voluntate, excluso iure divino; doctrina est, omnem auctoritatem non ex Deo,*

sed ex homine, vel ex populo repetens; docens, uno verbo, non divina mandata societati esse praeficienda, sed arbitrariam hominis populorumque voluntatem. Haec revolutionis summa et clavis. Eius postulata videamus.

IV. Summum *populi imperium* postulat, ex quo constituenda sit respublica democratica, vel monarchia, in qua rex comitiis, legumlatorum autem comitia ei quae dicitur populi vel publica opinio, absolutissima servitute subiiciantur.

V. Petit *libertatem*, vel quaecumque audendi licentiam: proprietatis divisionem vel abrogationem, nullisque circumscriptam limitibus loquendi, scribendi, vel docendi libertatem; cultuum denique et divortii licentiam. Nec finis: poenae capitis rescissionem petit, blasphemiae impunitatem, suicidae sepulturam ecclesiasticam.

VI. Petit revolutio *aequalitatem*. Abradantur civium status classes, corpora omnia atque auctoritates, ut societas universa aequetur in nullitate.

VII. Separationem petit *Ecclesiae* a *Statu*, quasi nihil esset, aut vulgare quiddam Ecclesia in civitate. Populus in *naturali* tantum religione edoceatur.

VIII. Revolutio *chartam* petit vel constitutionem: idest, rescissionem naturalis atque historicae constitutionis, ortae atque obfirmatae ex saeculorum usu et gentium moribus; ut pennulae ductu alia gignatur constitutio, iura delens anteriora, novaque instituens, ea tantum ratione, quod in ea chartula descripta fuerint.

IX. Tandem, cum acquisita quaecumque spernat iura, contra ius gentium revolutio novos imperiis et nationibus limites ponit: omnes Germanos, Polonos, Italos, reipublicae unitate simul ipsa recolligens.

X. Haec omnia, variis quidem formulis, ab anno 1789, modo petitionis, modo minarum specie agitantur. Sed unum artificii movens, quod ita verti potest: Regem nolumus *Dei gratia* constitutum, sed delectos a nobis homines, usque dum placeant nobis. Ergo, nullus rex! Vel si uno indigemus, delegatis nostris ille obsequatur, hi autem nobis. Societatem volumus, in qua non Dei mandata dominentur, sed nostra: videant sponsi, nec nostra refert, ne homo non separet quod Deus coniunxit. Constitutionem nolumus Dei gratia genitam, sed quae exclusive opus sit manuum nostrarum. Ex Dei consilio regna et nationes constitui, vel populum populo subdi potuisse, negamus. Haec omnia rescindimus atque abrogamus (a).

(a) Larvata facie processerat revolutio. Quid illa Parisiensi saevius vel civilius, cuius dux Ludovicus Philippus Aurelianensis anno 1830, qui anno 1848 eius futura erat victima? Attamen eiusdem anni 1830 non illiberalis scriptor haec illius describserat principia: Bellum in legitimitatem divinam; in legitimitatem humanam; in ius divinum; in ius humanum

Summis lineis descriptam revolutionem evolvit iam ampliori calamo Berlinensis professor.

XI. Est revolutio peccatum capitale in re civili et politica. Aliae adsunt praevaricationes, usurpatio, tyrannis, conscientiarum vexatio: quae ordinem divinum scindunt alicubi, non ita evertunt, ut pro divino ordine, humanus ordo constituatur. Radicale igitur et amplissimum crimen revolutio. Nihil sunt caedes religiosae, prae systematico terrore anni 1793: in populi sanguine, populi efferebatur deificatio.

XII. Reponent: Nonne bona plurima contulit revolutio? Esto; sed male attulit. Nam et bona bene perquirenda sunt, et bona ipsa contra divinum ordinem conquisita, mala fiunt. Sic bona est libertas civilis, sed in eo mala, quod in humana voluntate constituatur, non in iure divino: hinc reliqua omnia in malum conversa. Non exlex monarchia expetebatur: ipsaque monarchia, libertatis fulcimentum et auxilium, absorpta est in certamine. Tutela quaerebatur plebeiorum in nobiles: et illa repente in bellum evasit proletariorum in divites. Libertas conscientiae exoptabatur: athei facti sunt status et legislator.

XIII. Horum aliorumque effectuum causa vel origo latet in *rationalismo*. Id est rationalismus in religione, quod revolutio in re politica. Per rationalismum emancipatur homo a Deo, divinum ordinem perfringens, vivens sibi, nihil quaerens extra seipsum. Docet rationalismus non indigere hominem revelatione, quod ratio sufficiens sit; nec Dei gratia, quum sat firma perstet voluntas; nec ipsa denique Christi expiatione, quum homini a natura bene et per omnia provisum fuerit. Mundi quoque ultimas rationes, vel causas, audax rationalismus in humanae rationis vi constituit ubique diffusae, seipsam ita evolventis per spiritum atque materiam, ut eiusdem sint emanationes animae et corpora: coniunctissima sunt rationalismus, pantheismus et materialismus.

XIV. Maxime autem discriminatur incredulitas et rationalismus. Increduli fortasse Pharisaei et Sadducaei, non rationalistae. Rationalismus non tantum defectus est fidei in Deum, sed *opposita fides in hominem*. Aliqualem interdum christianae fidei speciem induit rationalismus, sed in sui maturitate originalem formam resumens, apparet quod est: *hominis deificatio*. De rationalismo hactenus.

XV. Atqui rationalismi exemplo, tota revolutionis natura et facies revelatur. Deum expellit homo ex arce cordis sui, ut eius locum et iura ingrediatur. Protorevolutio haec, reliquae ex illa. Propterea Dei cultum triumphans delevit revolutio, *Rationis* cultum intrudens. Haec prima eius phasis: rationis emanci-

num, in nationales libertates, mores, affectus atque institutiones (De Salvandy, *La révolution et les révolutionaires*). Fatalis haec: revolutionum via: Dei primum, humani deinde iuris aggredi legitimam auctoritatem.

patio. Altera est emancipatio carnis. Utraque in republica socialı, cuius illae sunt inscriptiones: DEIFICATIO RATIONIS — DEIFICATIO CARNIS.

XVI. Idem itaque rationalismi et revolutionis initium ac finis: *homo in loco Dei constitutus*. Absurdissima quidem miserrimae personae deificatio: sed haec utriusque systematis necessitas, ut primo iura neget divina; illa transferat deinde in rerum hominumve universitatem; ac tandem in quemlibet hominem. Nec quolibet tempore eamdem servant formam revolutio et rationalismus. Sed quum ex eodem mali principio extiterint, aptis temporibus, humanarum rerum vices et cursus ita ingrediuntur, ut ab illo certamine formam accipiant, quod in terris bonum inter et malum peragitur. Addit Sthal: « Revolutio et rationalismus initia sunt finis: *aevi* nempe *apocalyptici* ingressum signant. »

XVII. Prosequitur autem extemplo. Si itaque revolutio profunditatem tegit immensurabilem, puerile esset in viis decipi, quibus coërcenda sit. Revolutionis aevum non claudet charta constitutionalis: quae imo flammam addet flammae. Constitutiones Galli condiderunt ab anno 1789 usque ad 1852; sed illa chartularum frustula insatiabiles revolutionis fauces non expleverunt. Sed neque illam gallicum imperium extinxit: quin eam in solium evexit.

XVIII. Revolutionis aevum unicus, nec iam alter, claudet Christianismus. Hic aliud extremum est, peccato revolutionis oppositum: quia humanam vitam in divino ordine ille solus constituit. Dicam insuper: si quae bona a revolutionibus efflagitantur, a solo Christianismo illa proficiscentur.

XIX. E Christianismo vera libertas, legitimum scilicet facultatum omnium exercitium, quarum auctor, inspector, tutor ac vindex Deus.

E Christianismo vera aequalitas, in quolibet homine imaginem colens, ius atque honorem Dei.

E Christianismo vera fraternitas, non socialistica, humanam in individuis speciem sterilibus verbis frustra extollens, sed illa quae operose atque humiliter diligit, infortunia miseretur ac sublevat, vitia corrigit vel patitur, nullam cum populorum vitiis habens fraternitatem.

XX. E Christianismo politices idea, omnium purior ac sublimissima, quae e caelo descendit. Hinc omnium problematum, iurium atque officiorum solutio. Si electoris vel legislatoris ius sibi arrogat proletarius, ex illo pete, num ex Deo ad illud muneris requisitas conditiones ac missionem ipsam habuerit; si autem dives exclusiva sibi vindicat iura, ita rebus suis utendi ac fruendi, quin aliorum provideat incolumitati, postula an Deus illa tradiderit, ut pro libidine insumantur.

XXI. Solus igitur revolutionem exscindet Christianismus;

quia solus ipse libertas est, revolutio autem libertatis imago ridicula et mendax. Ubi ille affulserit, qui est libertas simul et veritas, umbrae et mendacia diluentur. Ast revolutio nunquam funditus evelletur, quia nunquam in terris veritas integra et sola dominabitur. Sternetur illa, pedibus conteretur; resurget iterum, custode consopito vel decepto: quemadmodum vetus Amalecita, Moyse brachia demittente.

XXII. Non talia itaque tempora instant, quibus, regibus atque principibus, suis tute otiis, aemulationibus, iniustitiis vitiisque indulgere liceat. Hostis humanae societatis, continuo accinctus, occasionem scrutatur nec dimittet, qua ipsi ex divinorum officiorum arce recedant. In divina illa arce, salus. Nostra quoque in divino tribunali sita est, quo undique circumdati sumus. Nobis quoque, eorum subditis, claudere oculum, vel arma demittere, nefas est: omnes milites sumus et iuris custodes, ut in revolutionem dimicemus. Mali imperium est revolutio. Bellum hoc non in aggeribus tantum vel in castris peragitur: christianus quilibet, Deo fidelis et regi, temperans, honestus, heros fit in revolutionem. Expulso peccato, concidet illa, quae superbiae est peccatum. Nemo externum vincet hostem, nisi interno debellato, qui latet in corde. Ultima revolutionum clades est FIDES CHRISTIANA. Nos dicemus: FIDES CATHOLICA.

XXIII. Usque huc Sthal, iuris socialis doctor egregius: cuius effata ex protestantis ore ideo arripuimus, quia nec suspecta; rationalismi vero, indeque genitae revolutionis indolem, cognationem, processus ac fines graphice describunt. Iamvero, expositis revolutionum placitis, quibus nec minae desunt nec vis in publicam societatem, quid iuris sit in imperante exquiramus.

XXIV. Quum Revolutio minima sit civitatis pars, neque invertendae societatis mandatum ab ipsa obtinuerit societate, factio est nec populari principatu tecta vel suffulta, iniqua in ius civitatis atque imperantis. Atqui vim vi repellere, iura omnia clamant. Ergo imperans, quo iure externos hostes a se atque a civibus arcet, sic aget in internos: ius enim servandum, iniuria a civibus propulsanda.

XXV. Quid si superius exposita Revolutionis postulata, maior civium pars a principe abstrahere nitatur? Qui populare iactant imperium, numerice definiendum (*la sovranità del numero, la maggioranza*), noxia quaecumque populo efflagitanti ac decernenti concedenda fore a principe, necessaria conclusione definient. Nam si populi est imperium, si voluntas populi eminet principis auctoritati; populi voluntas quum in data hypothesi suprema potestas sit atque irreformabilis, ipsa fiet summum ius in civitate, cui obsequi iustum sit, nefas autem refragari. Ergo officium erit principis et sanioris civium partis, plurimorum sequi iniquitatem. Incivilissima haec conclusio simulque iniquissima, ex populari principatu recta fluit, qui, si existit, nulla alia

quam numerica ratione supputari potest. Eius patroni unum hoc habent quo se tueantur: fieri non posse ut maior pars in malitiam vel errorem labatur. Atqui, reponimus, maior Atheniensium pars Aristidem iustum expulit e civitate, Hierosolymis Christo praetulit Barabbam. Generatim vero virtus et sapientia in mortalibus rarescunt, rarissima autem sapientia quae regendae civitati apta sit. Fieri ergo potest, et fiet saepissime, ut pars numerice maior sectetur, ceteris noxia vel iniqua: tuncque vel illa obtinebunt, et fiet ius ex iniuria; vel si a principe iusto repellenda sunt et coërcenda, imperium illud numericum est reiiciendum.

XXVI. Haec itaque concludunter: 1. Revolutio quum fundamentalia societatis principia aggrediatur, iniqua est in principem, in civitatem, in naturam. 2. Quum in ea sit minima civium pars, minis licet et clamoribus validior, populi neque nomine neque auctoritate suffulcitur. 3. Si maxima quandoque fieret populi pars, quum nihil stultius habeatur quam iura non ex iustitia, sed ex numerica insipientium quantitate vel elicere vel dimetiri, tunc quoque esset per se iniqua et cohibenda.

TITULUS VI.

REGIMINUM FORMAE DEFINIUNTUR ET COMPARANTUR.

I. Tres regiminis formae. II. An misceudae. III. Ex Cicerone, omnium aequalitas, in virtutis inaequalitate, est indecora et iniqua. IV. Idem mixtum praefert, ut puram democratiam excludat. V. Sed iam, aliqua tamen praecautione, regium laudat atque exornat. VI. Primo, rationis exemplo, cuius in homine unicum est imperium. VII. Deinde exemplo familiae et navis, amplissimisque experientiis. VIII. Quam inepta lasciviens libertas: dictatoria potestas. IX. Immodicae libertatis descriptio et effectus. X. Nimine libertati proxima servitus. XI. Mixtum illud laudatur, in quo « suo quisque est gradu firmiter collocatus. » XII. Persarum disceptatio. XIII. Otanis sententia pro republica. XIV. Megabysis pro aristocratia. XV. Darii pro monarchia. XVI. Abusus ubique possibilis, sed atrocior in multitudine.

I. Hactenus de regimine constituendo, cuius hostes sunt insurrectio et revolutio: nunc de eius formis. Regiminis vulgatissimae formae vel species sunt *monarchia, aristocratia, democratia.* Inquit Tacitus: « Cunctas nationes et urbes populus aut primores aut singuli regunt 1). » « Quare, subsumit Tullius, cum penes unum est omnium summa rerum, regem illum unum vocamus, et regnum eius rei publicae statum. Cum autem est penes delectos, tum illa civitas optimatium arbitrio regi dicitur. Illa autem est civitas popularis, sic enim appellant, in qua in populo sunt omnia 2). »

1) *Annal.*, IV, 33.

2) *De Repub.* I, 26.

II. Discrepat autem a Cicerone Tacitus, an miscendae sint hae formae, necne. Negat Tacitus: « Delecta ex his et consociata reipublicae forma, laudari facilius, quam evenire; vel si evenit, *haud diuturna esse potest* 1). » Paulo antea commemoraverat « discordias consulum adversum tribunos, plebis et optimatium certamina 2). » Tullius vero, sive eius in libro de Republica interlocutor, non perfecta illa, sed quibusdam conditionibus tolerabilia affirmat: « Atque horum trium generum quodvis, si teneat illud vinculum, quod primum homines inter se rei publicae causa societate devinxit, non *perfectum* illud quidem, neque mea sententia optimum, sed *tolerabile* tamen, et aliud alio possit esse praestantius. Nam vel rex aequus ac sapiens; vel delecti ac principes cives; vel ipse populus, quamquam *id est minime probandum*, tamen, *nullis interiectis iniquitatibus aut cupiditatibus*, posse videtur aliquo esse non incerto statu 3). » In quibus duo sunt animadvertenda: 1. Monarchiam atque aristocratiam possibiles dixit; 2. democraticum imperium *minime probandum* vel iis conditionibus quae nunquam existunt: quando enim populus imperans habebitur, *nullis interiectis cupiditatibus vel iniquitatibus*?

1) *Annal.*, IV, 33.
2) Ibi, 32.
3) *De Rep.*, I, 26.

III. Pergit adhuc Cicero, cuiusque regiminis vitia ita commemorans, ut ceteris maiora in populari imperio deprehendantur: « Sed in regnis nimis expertes sunt ceteri communis iuris et consilii (in illo intellige regno ubi rex despotice agat): et in optimatium dominatu vix particeps libertatis potest esse multitudo, cum omni consilio communi ac potestate careat (scilicet multitudine in paucorum despotismo redacta): et cum omnia per populum geruntur, *quamvis iustum et moderatum* (quod vix fieri posse iam indicaverat), tamen *ipsa aequalitas est iniqua*, cum habet nullos gradus dignitatis 4). » Vellicat deinde Athenienses, quod « sublato Areopago, nihil nisi populi scitis ac decretis agebant; quoniam distinctos dignitatis gradus non habebant, non tenebat ornatum suum civitas. » Conditionum atque honorum, dignitatis quoque et auctoritatis distinctiones et gradus, sicut ingeniorum ac virtutum adsunt varietates, praeterire igitur, ut pura iubet democratia, iniquum est: « Cum enim, addit, par habetur honos summis et infimis, qui sint in omni populo necesse est, ipsa aequitas iniquissima fit 5). »

4) *De Rep.*, I, 27.
5) Ibi, 34.

IV. Pergit: « Atque hoc loquor de tribus his generibus rerum publicarum non turbatis atque permixtis, sed suum statum tenentibus. Quae genera primum sunt in iis singula vitiis, quae ante dixi; deinde habent perniciosa alia vitia: nullum est enim genus illarum rerum publicarum, quod non habeat iter ad finitimum quoddam malum praeceps ac lubricum. » Ast democratiae iter lubricissimum: « Iam Atheniensium populi potestatem omnium rerum ipsi, ne alios requiramus, ad furorem multitudinis licentiamque conversam, pestilentem fatentur. « Conquisito

Atheniensium exemplo, populi romani odium a se removet. Non minus tamen evidenter in Atheniensium ac Romanorum rempublicam concludit: « Itaque quartum quoddam genus rei publicae maxime probandum esse sentio, quod est ex his quae prima dixi, moderatum et permixtum tribus 1). » Regiam nempe maiestatem, optimae regiminis formae praeesse oportere, luculenter affirmat.

1) *De Rep.*, 28, 29.

V. Verum et ultra progressus, si electio daretur, ceteris regium praefert: « Sed si unum et simplex probandum sit, regium probem atque in primis laudem 2). » Primo, quia « occurrit nomen quasi patrium regis, ut ex se natis, ita consulentis suis civibus, et eos conservantis studiosius quam adigentis in servitutem: ut sane utilius sit facultatibus et mente exiguos sustentari unius optimi et summi viri diligentia 3). » Regia haec et paterna charitas, quam Cicero laudat, elucet maxime in monarchia hereditaria. Verum, ne optimates ipsumque populum apertissime laederet, illorum laudat consilium, huius autem libertatem: « Ita charitate nos capiunt reges, consilio optimates, libertate populi: ut in comparando difficile ad eligendum sit quid maxime velis 4). » Imo nec difficile, quum cito ipse Tullius, Iovis exemplo, qui « et rex et pater haberetur omnium, » in terris quoque regis praeferat imperium. Quod et gentium factis, est sapientum confirmat auctoritate: « Ita consensisse gentes, decretis videlicet principum, nihil esse rege melius, quoniam Deos omnes censent unius regi numine 5). » Quod alio ipse loco retulerat: « Omnes antiquae gentes regibus quondam paruerunt 6). » Tum ipsam denique Romam a regibus et virtutis et granditatis suae exordia retulisse, Tarquinio tandem expulso, non regni sed hominis vitio: « Regale civitatis genus, probatum quondam, postea non tam regni quam regis vitiis repudiatum est 7). »

2) Ibi, 35.
3) Ibid.
4) Ibid.
5) *De Rep.* I, 36.
6) *De Leg.* III, 2.
7) *De Leg.* III, 7.

VI. Quum autem Scipioni haec disserenti regereret Laelius, apud se, ut apud bonum iudicem, argumenta plus quam testes valere; tum Scipionis nomine prosequitur Cicero. Probat scilicet regium in homine vel monarchicum esse oportere rationis imperium, quo avaritia, iracundia, aliarumque cupiditatum in rationem ipsam seditiones compescerentur. Tum Laelium urget Scipio: « Probas igitur animum ita adfectum? Laelius: Nihil vero, inquit, magis. Scipio: Ergo non profecto probares si, consilio pulso, libidines quae sunt innumerabiles, iracundiaeve tenerent omnia. Laelius: Ego vero nihil isto animo, nihil ita animato homine miserius ducerem. Scipio: Sub regno igitur tibi esse placet omnes animi partes, et eas regi consilio. Laelius: Mihi vero sic placet. » Tunc maiori impetu Scipio: « Cur igitur dubitas quid de re publica sentias? In qua, si in plures translata res sit, intelligi iam licet, nullum fore quod praesit imperium: quod quidem, nisi unum sit, esse nullum potest 8). »

8) *De Rep.* I, 37.

VII. A privati hominis exemplo, in quo unius rationis con-

silio reguntur omnia, ad alia delabitur Scipio: « Quid domi? Plures ne praesunt negotiis tuis? Laelius: Immo vero unus, inquit. Scipio: Quid? Totam domum num quis alter, praeter te regit? Laelius: Minime vero. Scipio: Quin tu igitur concedis idem in re publica singulorum dominatus, si modo iusti sint, esse optimos? Laelius: Adducor igitur, et propemodum adsentior 1). » Inde assurgens Scipio: « Tum magis adsentiare, Laeli, si omittam similitudines, uni gubernatori, uni medico, si modo digni sint iis artibus, rectius esse alteri navem committere, aegrum alteri, quam multis, ad maiora pervenero 2). » Sunt autem illa maiora, facta publica quae continuo subiiciuntur: « Vides, Tarquinio exacto, mira quadam exultasse populum insolentia libertatis: tum exacti in exilium innocentes, tum bona direpta multorum, tum annui consules, tum demissi populo fasces, tum provocationes omnium rerum, tum secessio plebis, tum prorsus ita acta pleraque, ut in populo essent omnia 3). » In quem locum addit Maius: « Easdem calamitates narrat Polybius accidisse in urbe Messene, quo tempore ibi fuit democratia; ne recentiora apud nos exempla commemoremus, quae sunt notissima. » Haec ille, anno 1822. Quid, postea? Eadem semper, in libertatis insolentia: « Plebs soluta regio metu, agitari coepta tribunitiis procellis 4). »

1) *De Rep.*, 39.

2) Ib., 40.

3) Ibid.

4) Tit. Liv., II.

VIII. Illa vero lasciviens libertas quam ineptissima foret, tradit Scipio: « Licet enim lascivire dum nihil metuas, ut in navi ac saepe etiam in morbo levi. Sed ut ille qui navigat, cum subito mare coepit horrescere, et ille aeger ingravescente morbo, unius opem implorat; sic noster populus in pace et domi imperat et ipsis magistratibus minatur, recusat, appellat, provocat; in bello sic paret ut regi: valet enim salus plus quam libido. Gravioribus vero bellis, etiam sine collega, omne imperium nostri penes singulos esse voluerunt, quorum ipsum nomen vim suae potestatis indicat. Nam dictator quidem ab eo appellatur quia dicitur; sed in nostris libris vides eum, Laeli, magistrum populi appellari 5). » Revera « nono anno post reges exactos, cum gener Tarquinii, ad iniuriam soceri vindicandam, ingentem collegisset exercitum, nova Romae dignitas est creata, quae dictatura appellatur, maior quam consulatus 6). » Adeo non populus, non senatus, sed una mens unaque manus labenti succurrit imperio; quod Livio quoque animadversum: « Trepidi Patres ad summum auxilium decurrunt, dictatorem dici placet. Dictatoris edictum pro numine semper observatum 7). » Ergo populi salus in regia vel in dictatoria demum auctoritate.

5) Cic., *De Rep.*, I, 40.

6) Eutrop., *Brev. histor. Rom.*, ad an. 253.

7) Tit. Liv. VI.-Dionys. Halic., V.

IX. Tandem rem conficit Scipio, ex effectibus popularem libidinem describens: « Si quando aut regi iusto vim populus attulerit, regnoque eum spoliavit; aut etiam', id quod evenit saepius, optimatium sanguinem gustavit, ac totam rem publicam substravit libidini suae; cave putes autem mare ullum aut flam-

nam esse tantam, quam non facilius sit sedare, quam effrenatam insolentia multitudinem 1). » Deinde disertissimam laudat Platonis sententiam, popularium commotionum historiam vel effigiem describentis: « Cum enim, inquit, inexplebiles populi fauces exaruerunt libertatis siti, malisque usus ille ministris, non modice temperatam sed nimis meracam libertatem sitiens hauserit; tum magistratus et principes, nisi valde lenes et remissi sint, et large sibi libertatem ministrent, insequitur, insimulat, arguit; praepotentes, reges, tyrannos vocat. » Prima haec insolentiae exordia, ex Platone; unde illa sequuntur: « Eos qui pareant principibus agitari ab eo populo, et servos voluntarios appellari; eos autem qui in magistratu privatorum similes esse velint, eosque privatos qui efficiant ne quid inter privatum et magistratum differat, ferunt laudibus et mactant honoribus. » Idest, adulatorios atque imbecilles magistratus diligit populus, ut licentiosa ipse exultet libertate: « Ut necesse sit in eiusmodi republica plena libertatis esse omnia; ut et privata domus omnis vacet dominatione; et hoc malum usque ad bestias perveniat. Denique ut pater filium metuat: pater filium negligat: absit omnis pudor, ut plane liberi sint: nihil intersit civis sit an peregrinus: magister ut discipulos metuat et iis blandiatur, spernantque discipuli magistros: adolescentes ut senum sibi pondus adsumant, senes autem ad ludum adolescentium descendant, ne sint iis odiosi et graves. Ex quo fit ut etiam servi se liberius gerant; uxores eodem iure sint quo viri. In tanta libertate canes etiam et equi, aselli denique liberi sint, sicque incurrant, ut iis de via decedendum sit. » Haec Plato; unde colligitur: « Ergo ex hac influita licentia haec summa cogitur, ut ita fastidiosae mollesque mentes evadant civium, ut si minima vis adhibeatur imperii, irascantur et perferre nequeant: ex quo leges quoque incipiunt negligere, ut plane sino ullo domino sint 2). »

1) Cic., *De Rep.* 1, 42.

2) Ibi, 43.

X. Restat ut immodica libertas ad servitutem populum rapiat, quemadmodum potentiae abusus vel excessus infirmat vel evertit regis principatum: « Nam, prosequitur Scipio ex Platone, ut ex nimia potentia principum, oritur interitus principum, sic hunc nimis liberum populum libertas ipsa servitute adficit. Sic omnia nimia, cum vel in tempestate, vel in agris, vel in corporibus laetiora fuerunt, in contraria fere convertuntur, maximeque in rebus publicis evenit: nimiaque illa libertas et populis et privatis in nimiam servitutem cadit. Itaque ex hac maxima libertate tyrannus gignitur, et illa iniustissima et durissima servitus. » En autem quomodo populus tyrannum sibi constituat et servitutem: « Ex hoc enim populo indomito, vel potius immani, deligitur aliquis plerumque dux contra illos principes adflictos iam et depulsos loco, audax, impurus, consectans proterve bene saepe de re publica meritos, populo gratificans et aliena et sua: cui quia privato sunt oppositi timores, dantur impe-

ria et ea continuantur, praesidiis etiam, ut Athenis Pisistratus, saepiuntur: postremo a quibus producti sunt, existunt eorum ipsorum tyranni. » Hinc novae commotiones populorum, regnorumque conversiones: « Sic tanquam pilam rapiunt inter se rei publicae statum, tyranni ab regibus; ab iis autem principes aut populi: a quibus aut factiones aut tyranni: nec diutius unquam tenetur idem rei publicae modus 1). »

1) Ibi, 41.

XI. Quae cum ex Platone 2) recitavisset Tullius Scipionis nomine, pro sua concludit sententia: « Quod ita cum sit, tribus primis generibus longe praestat mea sententia regium. » Annuit Plato in Politico, et Plutarchus in brevi scripto de unius in republica dominatione; ab Isocrate quoque, in Nicocle, monarchia ceteris politicae generibus studiose praefertur: de monarchiae praestantia totus est Stobaei sermo XLV. « Sed, inquit Maius, de tam celebri re cumulare scriptorum testimonia, abutentis otio est. » Quum tamen et Romae scriberet Cicero, neque exlegem diligeret principatum, subiungit: « Regio autem ipsi praestabit id quod erit *aequatum et temperatum tribus optimis rerum publicarum modis*. Placet enim esse quiddam in republica praestans et regale; esse aliud auctoritate principum partum ac tributum; esse quasdam res servatas iudicio voluntatique multitudinis. » Quam longe absint haec a regimine repraesentativo prout nunc circumfertur, videbimus infra. « Haec constitutio, subdit, primum habet aequabilitatem quamdam magnam, qua carere diutius vix possunt liberi; deinde firmitudinem, quod et illa prima facile in contraria vitia convertuntur, ut existat ex rege dominus, ex optimatibus factio, ex populo turba et confusio: quodque ipsa genera generibus saepe commutantur novis. Hoc in hac iuncta moderateque permixta conformatione rei publicae, non ferme sine magnis principum vitiis evenit. Non est enim causa conversionis, ubi *in suo quisque est gradu firmiter collocatus*, et non subest quo praecipitet ac decidat 3), » Illa verba, *ubi in suo quisque est gradu firmiter collocatus*, innuunt hoc saltem: reiiciendas nempe esse illas iurium permixtiones, quibus neque rex, neque optimates, neque populus, suo essent gradu firmiter collocati, ita ut intestinae dissensiones et certamina facile orirentur. (*a*).

2) Plato, *de Rep.* VIII.

3) Ibid. 15.

(*a*) Ne in re maxime nos falli contingat, animadvertendum est *aequatum et temperatum tribus optimis rerum publicarum modis*, Ciceroni non illud esse imperium in quo inter reges et optimates et populum summa potestas aequaliter distrahatur. Hoc enim modo neque rex vel optimates vel populus *suo essent gradu firmiter collocati*. Sed illud potius intelligendum, quod, summa potestate in principe *firmiter* constituta, et sua optimatibus, legum ex gr. parandarum, officia distribuantur, et populo rerum, v. g. municipalium, certis cautionibus, cura concredatur. A qua longe abhorret prudentia, prout a nostris intelligitur, regnum mixtum vel repraesentativum, distracta in partes summa potestate. Siquidem multiplicata suprema illa potestate, potens discordia eor gentis ingreditur: quum « eodem loci *potentiam* et *concordiam* esse » arduum semper habitum fuerit » (Tac. *Annal. IV*). In hanc potestatis legislativae mix-

XII. Ista ex praestantissimis rerum publicarum magistris decerpisse iuvabit, ut constet quam in optima inquirenda regiminum forma iam illorum exercerentur ingenia. Imo, ut veteriora adhuc recolamus, nihil forsan iucundius atque utilius, quam illa disceptatio a septem Persiae optimatibus habita, usurpatore expulso, qui mortuo Cambyse, imperium invaserat. Hanc refert historicorum pater Herodotus. Otanes ita pro republica locutus est:

XIII. « Unius auctoritas, nimia et periculosa. Nostis quot mala, Cambyse et audacissimo praesertim usurpatore agentibus, passi sumus. Effrenis potestas hominem vel sapientissimum depravat ac suburget in tyrannidem: hinc reliqua fluunt. Rex adversantes sibi egregios cives vel repellit, vel odio habet; iniquos assentatores diligit, et cumulat honoribus. Neque unus omnia per se videt aut gubernat, falsis saepe relationibus vel accusationibus indulgens: leges evertit ac mores. Contra, imperium obtinente multitudine, mala haec removet ipsa aequalitas. Magistratus sorte delecti rationes reddunt, in communi consulunt atque decernunt. Monarchiam arbitror reiiciendam, populique imperium constituendum: plura in pluribus facilius inveniuntur. »

XIV. Illa Otanis opinio; verum pro Aristrocratia ita exorsus Megabyses:

« Otanis laudo sententiam de abiicienda monarchia, at non ille mihi videtur rectum ingressus iter, populi praeferens imperium, cuius mira insipientia vel audacia. Cur unius exolvemur potestate, ut insanae ac effrenis multitudinis tyrannidem incurramus? Si fallitur rex, consiliorum saltem est capax: at non ratio, non discrimen in vulgo; iustitiam cum decore atque humanitate, ceteris sibique utilia ignorat; impetu deinde agitur ac temeritate, veluti torrens, disruptis aggeribus, exultans. Si igitur Persarum ruina delectamini, populo imperium deferte. Puto ego paucos et optimos esse diligendos, quibus rerum summa conferatur. »

XV. Ita Megabyses; post illum Darius:

« Megabysi assentior populare imperium reiicienti; sed neque ille rectissime, paucorum laudans imperium. Certum est, unius et quidem boni regimine, nihil excogitari perfectius vel utilius. Tunc imperii secreta hostibus facilius subtrahuntur. Dum plures imperant, aemulationes primum et simultates, singulis opinionem suam efferentibus; factiones deinde et bella civilia, quae imperium et gentem scinduut, donec unus iterum rerum

turam intendens Boehmerus, vere et graviter fatebatur: « Sed si vel maxime talis reipublicae forma mente concipi queat, tamen adhuc dubium remanet, an talis *mixtura* existere possit in rerum natura, et si existat, utrum tale *monstrum* reipublicae recte cohaeraet, et an non potius longissime aberret a fine reipublicae imperato a lege naturae » (*Introd. in ius publ. univ.*, par. spec. lib. I, c. 3, n. 26).

summam consequatur. In imperio autem populari pravitas multa et corruptio. Aequalitas ipsa et libertas, scelestorum favent machinationibus, qui seipsos mutuo fovent, et bonos atque imperium vexant donec a potentiori coërceantur. Hic denuo vel dux vel rex fiet universorum. Unde liquet ad naturam propius, vel ad necessitatem, esse unius imperium: quatenus aristrocatiae dissidia et contentiones, democratiae vero corruptiones nos ad monarchiam impellunt. »

XVI. Vicit Darius: retenta a Persis monarchia. Siquidem potestatis excessus ubique possibilis: Lacedaemonum ephori, Romanorum decemviri, vel Carthaginensium suffeti, non minus quam Nero vel Caligula crudeles ac barbari. Atheniensium democratia, postquam triginta tyranni quos Lysander constituerat, aliorum sibi tria millia in consiliis adsciverant, optimorum caede foedissima et cruentissima 1). Miltiades, Aristides, Themistocles, Pericles, aliique optimi cives. vel fidelissimi duces, ea ratione habiti sunt ab eadem republica, ut in comperto sit quanta efferatur tyrannide populus caecus vel furens. Postremis autem temporibus, hoc unum poscimus, num christiana extiterit monarchia (Anglica excepta,) quae tyrannidem gallicam aequaverit anni 1793 ad 1795: quod titulo sequenti declarabitur.

1) Xenoph., *de rebus Graecis.*

TITULUS VII.

IMPERIUM POPULARE

I. Origo imperii popularis. II. Eius notio essentialis. III. Est titulus sine re. IV. Mandata popularia audacissime evertunt Comitia anni 1789. V. Execrabile martyrologium Conventio nationalis anni 1792. VI. Feritas immanissima legumlatorum, annis 1793, 1794. VII. Ministri et proconsules exequebantur. VIII. Gens a crimine excipitur, ruinae via demonstratur. IX. Populus, coronata victima, quae post reges ad supplicium ducitur. X. Ex factis ius et natura infertur imperii popularis. XI. Reliquae imperii popularis vices usque ad an. 1848. XII. Logica imperii popularis conclusio, socialismus et communismus.

I. Populare imperium, ex quo universum iam fere ius gentium eliciendum asseritur, vere non alia pollet antiquitate quam *Contractus Socialis*, qui anno 1752 evulgabatur. Quod enim Carthaginenses, vel Graeci et Romani hoc nomine appellabant, superbissima erat aristocratia, qua cives in non cives dominabantur. Enimvero si servos gentesque innumeras excludas, qui nullo civitatis iure donabantur, quotusquisque Romae aderat, qui civis laetaretur nomine et auctoritate? Certe nec centesima, nec millesima gentis pars, cuius tamen imperio reliqui omnes continebantur. Superis vero temporibus, populi nomine, litterato-

rum quaedam aristocratia intelligebatur (a). Nova itaque res populare imperium, quale nunc intelligitur, quodque singulis deferatur. Si autem optio daretur, nos hoc novum et universale libentissime eligendum censemus: si enim populi est imperium, fert ipsa aequitas, ut pariter omnibus sit adscribendum.

II. Est igitur nobis populare imperium illa facultas quae, nemine excepto, singulis asseritur, politicum sibi regimen deligendi; rem publicam vel per se, vel per delectos viros administrandi, qui non sibi placita, sed iussa populi fideliter exequantur; in re politica vel civili, quas populos iudicet mutationes inferendi; ac demum delectos a se magistratus eorumque leges repellendi, si mandata negligantur. Vel tale est imperium, vel nullum est. Nam, excepta suffragiorum universalitate, imperium tenet populi pars, non populus; si vero delegati propriam, non populi expressam efferant voluntatem, populus tot subiicietur imperantibus, quot constituit delegatos; tandem nisi in quaque re vel lege illius oracula petantur, vel odiosas a se leges aut magistratus repellendi facultas nisi adsit, quid vetat, quin amplissima quandoque tyrannis exerceatur? Ergo vel omnia illa constant, vel vacuum nomen erit populi imperium, et puerile figmentum.

III. Atqui numquam concessum, neque hodie populo conceditur, quod diximus imperium: theoria est verbis hactenus con-

(a) Aristocratica erat saeculi superioris revolutio, quae ideis concepta atque exculta apud Germanos, erupit in Gallia. Volterii verba italice vertam, ne unum quidem lateant: « La filosofia non sarà mai fatta pel volgo: la canaglia odierna somiglia perfettamente a quella di quattro mila anni fa (nimirum quum universalissima servitute conterebatur). Bisogna predicare la virtù al popolo più basso: se questo entra a ragionare, tutto è perduto. È necessario essenzialmente che vi sian dei pitocchi ignoranti. » Alibi: « Si avvicinano i tempi in cui gli uomini cominceranno a ragionare. Quando però dico gli uomini, non intendo nè il popolaccio nè il clero nè la magistratura: ma gli uomini che governano, o son nati per governare: dico i letterati degni di questo nome. » Hic Volterii populus: turba politulorum, atramento et lingua contendentium. Quae autem horum doctrina? « Non v'è che il deista o l'ateo che abbia ragione; in questo mondo non ci stiamo che per godere, il resto è follia; mettere denaro in tasca e burlarsi del rimanente; alla fine render l'anima ai quattro elementi, senza inquietarsi di quel che si farà del nostro misero corpo, e di quel che si dirà della nostra pretesa anima quando non saremo più. » Ita in epistolis: populus scelestissime contemnitur; non sanguinis, non ingenii, non virtutis, sed sycophantarum aristocratia instauratur. Nec aliter apud Germanos, ut probat illuminatorum historia. Ipse autem Hegel, qui democratiae extrema posuerat in sua philosophia pantheistica, practice tamen principi atque aulae Berlinensi pleno ore assentabatur. Sed cum doctrinis primum, invitis forsan auctoribus, revolutionum philosophia ad populum delabebatur; impellentibus deinde magistris, ut populo ad insurrectionem uterentur, tamquam veste vel machina, effectu consecuto, abiicienda vel disrumpenda. Tunc atque in hunc finem populare inventum est imperium. Coterum effrenis semper et cruenta coniuratorum mens atque sententia, quidquid efferant ab initio eorum facta aut verba. Cornicis semper et vulpis fabella peragitur. Quam bene populus suam cantat libertatem, dum quidquid ille est in vulpium ora delabitur!

clusa, ut populi verborum hamo caperentur. Imperii popularis historiam descripturus, dolores non triumphos describet: semper victima ipse populus, nunquam rex. Galliam si aspicias, ubi nova *scientiae boni et mali* arbor sata et exculta fuit, Nationalia videbis comitia anni 1789 (*Assemblée nationale*), Conventionalia deinde (*Convention nationale*), Consulatum insuper et Imperium, regimen demum anni 1830, et Rempublicam anni 1848; omnia haec videbis regimina populare imperium extulisse hypocrisi solemnissima ac mendacissima. Interim videat populus, qua auri et laborum et sanguinis vi, triste solverit mendacium. Illaque sentiet quam verissima: « Populе meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt 1). » Nec minus quandoque illa: « Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones 2). » Generatim, subitae abdicationis conditione, populus rex factus est.

1) Isaias, III, 12.

2) Id., I, 23.

IV. Comitia enimvero anni 1789, se populi tantum scita referre posse ac debere apertissime profitebantur 3). Iamvero delegatis mandaverat populus (constat ex actis), ut conscientiae libertati consulerent, ecclesiasticas tuerentur proprietates, monarchiae iura sarta tectaque servarent. Contra, illi Galliam civili cleri Constitutione et schismate obruunt, pias devorant propietates, religiosos ordines dissolvunt, maiestatem aggrediuntur, pecuniam publicam pertrahunt, regis iura discindunt. Conqueruntur plurimi: Nihil Comitiis agendum praeter vel contra mandata; reliqua pro infectis habenda. « Vos, inquiebat Maury, popularia repulissent suffragia, si quae nunc ore effertis, in electionibus attulissetis. » Sed regiam simul et popularem usurpantes auctoritatem, incoeptum opus perficiunt; eligendi ius, quod rex omnibus decreverat, ab universis in pauculos conferunt, quos minis, vel corruptionibus, vel divitum et ecclesiarum expoliationibus, tyrannidis sibi adiutores constituunt (*a*).

3) *Droits de l'homme*, art. 5.

V. Brevi, Conventio nationalis exoriebatur: horribile nomen, cuius historia inauditum et execrabile martyrologium. Danton exclamaverat: « Ut hostes proteramus, audacia necessaria est, audacia iterum, semperque audacia 4). » Populi adhuc nomine utebantur, *regnantis, non gubernantis*. Hinc duplex imperium: AUDACIAE et TERRORIS; utrumque populi nomine, sed

4) Sess. 22 Sept. 1792.

(*a*) « Quelle carrière parcourue en deux ans! Les mandataires du peuple transformés en ennemis du roi! des legislateurs recélant devant leurs lois. Appelés à tout reparer, ils avaient tout detruit; auxiliaires naturels de l'ordre, ils avaient enfanté le chaos! » (*Louis XVI*, par le Vicomte de Falloux, p. 185, ed. 1846). Digna quae legatur integra narratio auctoris fidelissimi atque ingeniosissimi. Interim vero universalem succedentium nationalium comitiorum historiam referunt illa verba: « Qui ut omnia repararent eligebantur, omnia destruxerunt; ordinis auxiliatores, chaos ediderunt. » Plus vel minus: sed hic omnium finis, qui se popularis imperii repraesentantes constituerunt. Ut initia cum fine conjunges, vide *Louis XVI detrone avant que d'etre roi*, par l'abbé Proyart.

sine populo, et in populum exercebatur. Inde non homines sed monstra, foedissima, scelestissima, quae Gallia tota evomuerat, sceptraque rapientia. Nulla electionum libertas, nisi nomine: ubique minae et terrores. Rex optimus obtruncabatur, ipso Aurelianensi duce consanguinei regis necem decernente. *Et tu quoque, fili mi!* Iisdem hominibus accusatoribus, testibus ac iudicibus; nec mulieribus venia. Saturnalia saturnalibus, caedes caedibus, fraternitatis, aequalitatis et libertatis nomine, cumulabantur. Quid populus? Impotens ac moerens patiebatur; reluctantes vel suspecti exterminabantur. Tunc pro populari imperio, Terroris regimen in populum vere constituebatur.

VI. Nova tributa, novamque militum conscriptionem Gallia silens reiecerat. Tunc in Nationali conventu insurgit quidam die 15 iunii 1793: « Quoniam nihil humanitate nostra proficimus, terrore contendamus. » Plurimorum reiicitur imperium: « Pars populi maxima prava est, scribit Melarmé, minima bona est. » Quodam edicto decernit Guffroi: « Abradantur nobiles; boni si adsunt, ipsi videant. Gladius ne quiescat (*que la guillotine soit en permanence*): quinque incolarum milliones Galliae sufficient. » Robespierre: « Qui extinctam monarchiam experti sunt, continuo eius desiderio tenebuntur: pereant necesse est qui, dum illa extinguebatur, vigesimum annum attigerant. » Fouché: « In sanguine humanitas; magnis viris ad libertatem eundum per cadavera. » Javoques: « Non ille patriae filius, qui sanguinis craterem non hauriat. » Danton: « Divites et mercatores, qui nobilium et ecclesiasticorum fato gavisi sunt, eorum bonis ditiores effecti, nunc autem nobis infensi, terribiliori fato pereant. » Barrère: « Uno remanente, hostis fiet: soli mortui non redeunt. » Haec aliaque annis 1793 et 1794, in perterrefactam Galliam populares legumlatores iaculabantur: ministri, vel provinciarum proconsules, iussa exequebantur.

VII. Robespierre, Parisiis, decem et novem centena capita obtruncabat: sequentes vero proconsules illum forte superabant. Andreas Dumont: « Cruces et crucifixos, nigraque animalia, quae presbyteri appellantur, eadem proscriptione persecutus sum. » Tallien: « Duo hominum millia, quae theatro aderant, comprehensa sunt. Una nocte, bis centum negotiatores carceribus clausi. Ex Burdigalensi civitate, pecuniae plusquam centum milliones Reipublicae accesserunt. » Lequinio: « *J'ai mis la guillotine en permanence;* sanguinis plurimum; iuvenes filias patibulum ascendere, et pedibus parentum amicorumque cadavera proterere coëgi. » Laplanche: « Presbyteros, sicut vermes, delevi; ubique libertatis tellus, superstitionis et tyrannidis reliquiis expurgatur, cadaverumque montibus libera Respublica assurgit. » Maignet: « Quaedam libertatis arbor quum diruta esset noctu, nihilque de auctoribus certum esset, sacerdotes, nobiles, emigratorum parentes, constitutas auctoritates, carceribus mancipavi,

nihil tota urbe nisi scelestorum agmen inspiciens. Pluribus capite damnatis, domus quingentae, tota scilicet urbs flammis consumpta; sata quoque deleta, ecclesia recens et pulcherrima explosa. Iuvenis filia, decem et octo annorum, pro patre quum ad me intercessura venisset, ut cum patre obtruncaretur sedulus curavi. » Goupillau: « Senem decollavi, qui octoginta et septem annos natus, a sex annis repuerascerat; itemque pueros, aetatis inter decem et quatuordecim annos. Quingenta cadavera, eadem fossa conclusi; sexque alias paravi duodecim victimarum millibus apta: calcis sufficientem vim adduxi. » Carrier: « Presbyteros nonagiuta, navicula inclusos, in Ligère (la Loire) submersi; alia nocte quinquaginta octo. Quum serus esset gladius, variam multitudinem ballistis igneis confici iussi. Terram hisce monstris expurgare humanitas est. Sed quum et igneae ballistae suo starent pretio, medio in flumine magnis navibus frequentissime demergebantur. Quadam die sexcentum pueros, alia octoginta tres puellas demersi. Delectabar, virum cum femina, presbyterum cum meretrice secum colligando, vestibus detractis, atque in flumen proiiciendo: hoc ego *republicanum matrimonium* appellabam. » Bene est, exclamabat, gaudeamus; hodie *Entis supremi* festum celebremus, cras ad opus regrediemur (*a*). »

VIII. Sed cur ista refricamus, unde implenda essent volumina, in civilissima gente, ipsoque urbanitatis aevo peracta? Ut factis constet imperium populare, utque gens ipsa quae tam ingentia passa est crimina, sicut neque imperii, sic neque in criminum partem adsciscatur. Est enim quaedam nova criminum aristocratia, paucorum tyrannide conclusa, quod verbis populare dicitur imperium. Quae tyrannis, cum rerum summam arripuerit, publicas vires, pecuniam armaque pertraxerit, sibique furentissimam plebem, rapinae et libertatis blanditiis, addixerit, populi autem maximae parti gladiis atque terroribus viam praecluserit; quid, quaeso, est, quod misera gens non patiatur, stupiditate ac necessitate compulsa? Tempus ab initio aderat, tyrannicos removendi assentatores: qui cum digito imperium tetigerint, universa aggredientur. Reformationes primum, politica deinde iura e coronae iuribus discerpta, populique nomine atque utilitate exercenda, totam deinde rapient maiestatem. tyrannico penu exercendam. *Eritis sicut reges, eritis sicut Dii!* Sero tandem oculos aperit populus, ut se nudum aspiciat, et pro uno rege millenos tyrannos a seipso constitutos. Hoc Gallia experiebatur, aliae deinde gentes, exemplis non satis edoctae.

(*a*) Vere deliciosissima, populique spirant libertatem et imperium haec mandata: « Vous pouvez tout faire, tout briser, tout renverser, tout incendier, tout déporter, tout guillotiner, tout RÉGÉNÉRER; que tout tremble, que tout s'écroule » (Lettre de Piorry, séance du 22 thermidor, an. III). Qui ita agebant, nationis deputati et repraesentantes appellabantur! Vide: *Histoire de la souveraineté du peuple en France, et des crimes commis en son nom*, par M. André Vigroux Paris, 1850.

IX. Hoc nobis solamen, gentes maxima saltem parte a sceleribus eximere, quibus recens abundat historia. Populares electiones vi, metu, fraudibus exactae: ab electis contempta populorum mandata. Vel nulla vel exigua Comitiis libertas. Sex suffragiorum milliones gallicam monarchiam tuebantur, anno 1792: supremis Comitiis septingenta quadraginta novem capita accensebantur: coniurati biscentum Parisios convolant, ceterisque contemptis, Rempublicam indicunt, totique genti imponunt. Ut illegitimam tuerentur, rex regiaque stirps erat delenda. Colligitur ferocissima plebs, vias implet, obstrepens et minax iudicibus inclamat: « Vel regis caput, vel tuum. » In Comitiis aiebat Lanjuinais: « In libera videmur aula, et sub praedonum pugione sistimur. » Rex nulla discussione damnatur; appellat ad populum, interdicitur; antequam iudicii notitia ad populum deferatur caput regis abscinditur. Excussa columna, totum aedificii opus concutitur. Praedonum vel belluarum negotium: nihil absolutissime popularis imperii vel criminis. Populus imo, coronata victima, quae, rege praeeunte, ad supplicium ducitur.

X. En facta: nunc de iure statuamus. Si enim principiorum veritas vel bonitas, quorum omnis est usus in hominum vita, ex effectibus est iudicanda, quos non per accidens, sed longo temporis tractu et constanter ipsa protulerint, quid iam de summo populi imperio decernendum? Hoc illatione certissima constituimus: Etsi in statu naturae integrae, nullis vitiis intercedentibus, commune omnium imperium excogitari posset; quod saltem valde dubium est, quum et necessarium sit rectoris officium, et regendi atque imperandi ea sit natura, ut ex alto descendat, non ex inferioribus partibus ascendat, sicuti in homine videmus, cuius vis omnis intelligendi ex capite est non ex pedibus: tamen in praesenti naturae statu, imperii subversio est imperium omnibus delatum. Nam fert nunc corrupta hominum natura, ut magis audeant ineptissimi, superbissimi atque inconsultissimi, quorum cum fit potestas, gentium clades necessario consequuntur. Abreptum autem vi vel fraudibus imperium, vi quoque et fraudibus cum sit retinendum; nemo enim, ex Tacito, imperium flagitio quaesitum bonis artibus exercuit; tunc hymni vertuntur in funera, illaque tyrannis quae populari nomine exornabatur, vera et naturali facie revelatur. Tunc, iniuriae addita contumelia, populi adhuc nomine, populus ipse proscriptionibus, exiliis, tributis omnique vexatione perfringitur, ne animo vel capite assurgat: qui non libentissime assentiantur, libertatis et patriae hostes, atque a rebellibus rebelles declarantur. Ergo summum populi ius, etsi menti arrideat speculanti, nunquam practice extitit, nunquam in hoc naturae statu existere poterit, quin libertas concidat popularis: libertatis propterea populique amore repellendum.

XI. Ast iactum olim semen nunquam exaruit, raptum in diversa. Napoleo ex Aegypto advolans, populare ius transtulit

ex Comitiis in seipsum, consul et imperator; monarchiae ruinis respublicas late inserit, ferreo pede populos conterit; insurrectionum ipse unus dux summus et universalis (a). Sed senatusconsulto diei 4 aprilis anni 1814, relata malorum serie quibus toto Imperii tempore universa gens divexata fuerat, e rerum summa deiicitur. Restauratur iuris imperium, sed ex populari et regia maiestate male consarcinatum, claudicat extemplo, angitur, discinditur anno 1830. Novi dolores, novaque monarchia, inscio adhuc populo constituta, populari tamen voluntate spuriam honestans originem, ut solent usurpatores. Minima erat fractio ille populus, qui eodem iure illam constituerat, eoque absorbebat gurgite, unde die 24 iunii anni 1848 democratica prodibat respublica, ferens socialismum et communismum: quae ultima est facies imperii popularis, si adoleverit, omnesque exerens vires in perfectam sui naturam perducatur.

XII. Ultimus hic quaestionis aspectus. Re enim vera, si universorum aequale est imperium, quod summum est ius in civitate; ergo et rationes et auxilia aequalia sint oportet, quibus illud exerceatur. Potissima autem praesidia haec ad imperium sunt in proprietate: ergo tandem aliquando proprietas, sive civilis aequalitas, eadem pro omnibus constituenda est, constituta activa et aequali ad imperium capacitate. Nam si populi est imperium, vel totum vel nihil singulis vel nemini, omnimoda inducta aequalitate et possibilitate. Atqui vis plurima est in divitiis: divitiae igitur aequandae, ne iuvent unum, alteri officiant. Si itaque iure naturali populus constitutus est rex, 1. quilibet ex populo est rex; 2. ius quoque singulis aequaliter tributum ad illa omnia, quibus primum illud ius exerceri possit. Sed usque huc populus comoediae rex factus est: rex, et egenus mendicus et famelicus et inops. Iam cesset comoedia: rex, qui talis sit, regia afficiatur ope atque honore. Quae etsi non forent necessariae principiorum deductiones, tamen adeo sensus cordaque permulcent, ut ubicumque summa populi potestas sit constituta, gens illa vel mentis vel sensuum ineluctabili argumentatione (nam et sensus ferociter ratiocinantur), necessario ad communismum prolabatur. Est plebi eritque semper quaedam factorum logica, velut Stygia Numina, inflexibilis. Si vero, retento principio, ultima conclusio pro tempore removeatur, vel populi imperium cum regis imperio consocietur; tunc certamen illud in imperio ipso constituitur, quo mixta praesertim regimina infirmantur ac delabuntur.

(a) « Napoléon avait la force de le révolution incorporée en lui toute entière. Il avait la force de la multitude qui jouissait de le voir, roi lui-même, vincre et humilier les rois, parce qu'elle les humiliait en lui. C'etaint pour le peuple les émotions de la place de la Révolution continuées avec des remords de moins, avec de l'orgueil de plus. De là vient la popularité profonde que ce grand nom conserve. Napoléon est toujours resté peuple malgré lui-même. Il était le peuple couronné; c'est pourquoi il put régner comme le peuple régne, par la tyrannie. » DE SALVANDY, *La révolution et les révolutionnaires*, lib. I, ch. 5. Brux., 1832.

TITULUS VIII.

DE REGIMINE REPRAESENTATIVO.

I. Regiminis repraesentativi praecipua elementa. II. Horum varia consociatio. III. Eius vita: defectus *unitatis* et *sinceritatis*. IV. Sicuti rex, ita et populus regnat non gubernat: imperium est paucorum et infirmorum. V. Vis numerica est vis caeca, materialis et fortuita. VI. Senatus caput flectit, rex signat, populus despicitur. VII. Corruptio publica, et gentis abiectio, ex potestate executiva. VIII. Responsabilitas illusoria vel nulla. IX. Universa paralysis. X. Militia civica et iurati. XI. Sapientia civilis repuerascit publica loquacitate et garrulitate. XII. Optabilis scribendi libertas, non licentia. XIII. Quomodo regenda, ne in licentiam vergat. XIV. Dicendi licentia insidet regimini repraesentativo. XV. Plurima inde mala. XVI. Illius instabilitas; Britanniae aristocratia, et dissimilis conditio. XVII. Regiminis repraesentativi indoles et effectus. XVIII. Sententia liquet. XIX. Libenter assentiemur veriora ferentibus.

I. Hoc nomine, imperium intelligimus ex populari et regia maiestate constitutum, hisce ferme principiis. 1. Rerum summa inter populum et regem ita dispertitur, ut a neutro directe exerceatur. Hinc: 2. Populus Comitiis a se delectis suam delegat auctoritatem; rex vero alia eligit Comitia. Unde duplex legumlatorum conventus: ille popularis, ad democratiam inclinans; regius alter, et prope ad aristocratiam. Hinc tripartitum imperium, et tres summae potestates: duo Comitia, et Rex ipse. Hoc appellant iurium et potestatum aequilibrium. Si unicus adsit Conventus nationalis, regimen ad democratiam magis deflectitur (*a*). 3. Quum in Rege et in Comitiis legum sit potestas, alia in Ministris additur, nempe executiva. Hos rex deligit, qui reiici possunt a Comitiis, subtracto fiduciae argumento. Responsabilitas omnis reiicitur in Ministros. 4. Potestati *legislativae* et *executivae* accedit *iudiciaria*, libera a principe. 5. Sicuti capitale est in hoc systemate potestates distrahere, atque alteram alteri opponere, hinc militia *civica* et militia *regularis*, iudices *iuris*, et iudices *facti*, qui appellantur iurati. 6. Quum publica discussionis facultas Comitiis asseratur, eadem extra Comitia loquendi et scribendi facultas (*libertà della stampa*) cuilibet impertitur.

II. Recensita capita quum plus vel minus pateant, prout populi imperium cum regis imperio diversimode contemperatur, bases tamen sunt regiminis repraesentativi nobis breviter expendendae.

III. Summa huius regiminis vitia, intrinseca atque insanabilia, sunt defectus *unitatis* et *sinceritatis*, *sapientiae* ac *fortitudinis*, *verae responsabilitatis*, *honestatis veraeque libertatis*, *ex-*

(*a*) Medii aevi Status generales quum ex feudorum dominis coalescerent, hique res suas, non populi agerent, ad regimen repraesentativum nullatenus pertinebant. Inde oriebatur Anglica constitutio, iura maximae et mediae aristocratiae in Comitiis referens.

peditae atque oeconomicae simplicitatis: adeout forma haec reginiinis, quae reliquarum virtutes speculative colligere videatur, practice omnium vitia collegerit, maxima usura, nec minima populorum infelicitate. Primo itaque defectus unitatis. Nam quum duo sint imperia in imperio, populi et regis, nullus erit luctae finis, ni alter alterum supergrediatur (*a*). Defectus autem sinceritatis vitium est originis. Qui enim animadverterant, concupita sibi imperia, in amplissimis gentibus, neque oritura, vel certo non permansura, systema invenerunt quo regio adhuc nomine et specie uterentur. Unde rex est constitutus, qui *regnet*, vel gaudeat, et non *gubernet:* eius scilicet nomine, mero inquam nomine, universa peragantur (*b*).

IV. Sed populus quoque, eodem sinceritatis defectu, fictitius atque impotens rex constituitur comoediam agens, *regnans* et non *gubernans*. Primo enim eligit ignorans vel deceptus: ignorans, quia cum non quaelibet regio viros ferat eligendos, suffragatur ille ignotis, falsis ut plurimum innixus rumoribus; deceptus autem a factione quae tribunis gaudeat loquacioribus vel felicioribus. Nec desunt minae, quibus honestissimi removeantur. Deinde quotus quisque est populus eligens? Negatur communiter suffragium universale, quia difficilius universus populus corruptionibus vel fraudibus pertrahitur; censu autem, pauperibus despectis, auri aristocratia constituitur. Atqui nonne ex populo pauperiores sunt, nonne maxima populi pars? Ut quid igitur populi iactatur imperium? Hoc autem irrationabilius, quod census in electoribus requiratur, nullus quandoque in eligendis; sed nec ullum scientiae et capacitatis experimentum. Unde absurdissime fit, ut nihil possidentes possidentibus tributa decernant;

(*a*) Praeterquamquod duo imperia finguntur in Statu, *populi* et *regis*; duo absurda ponuntur in populo, nulla humana vi conciliabilia, *imperium* et *subiectio*: « Qui dit *constitution*, dit pacte entre des éléments dissemblables, auctorité et liberté. Les efforts seront toujours vains pour réunir ces deux principes hostiles, et l'esprit humaine s' y perdra. C'est la pierre philosophale des gouvernements, qui ne se trouvera pas plus que celle des alchimistes » (Romieu, *Ère des Césars*). Si speculative arrideat illa elementorum consociatio, memento, non speculative, non atramento et charta, sed practice populos gubernari. Practice autem, in eodem subiecto, scilicet in populo, imperanti libertas cum subiectionis officio nunquam consistet. Illa simul constringe: fiet monstrum; nec vitale.

(*b*) Defectus *sinceritatis* hactenus sub omnibus Constitutionibus delituit. Apud Lusitanos et Hispanos, anglicanismus religiosus et politicus; apud Gallos, respublica democratica et socialistica; apud Subalpinos republicanismus, protestantismus; apud Belgas rationalismus; omnia haec Italis imminebant, anno 1849. Confitentes habemus qui ab initio extortas principibus Constitutiones hymnis ad caelum extulerant. In Mediolanensi enim diario *L'Italia del popolo*, ineunte anno 1848, Joseph Mazzinius sincerissime fatebatur: « I patti costituzionali sono transazioni bastarde, fondate sopra una menzogna di equilibrio fra tre elementi, ognuno de' quali tende inevitabilmente al predominio degli altri, generatrici di corruttele e di politica ipocrisia. » Nihil verius et laudabilius. Eadem Armellinius in Comitiis Romanis, die 5 feb. 1850.

qui nec familiam regere valeant, rem publicam gubernent; qui de trivio sunt, sanctum ac verendum legumlatorum officium usurpent. Quo quid insipientius, iniurius vel perniciosius? Medicus, rabula, miles, artifex, barbitonsor, per omnia et de omnibus leges conscribunt; quaeque olim tam rara legum erat sapientia, ut felix illa gens quae uno gauderet Lycurgo vel Solone, iam in plateis, in circulis atque officinis efflorescit atque affluit. Unde dicendum sit, vel cuilibet cerebro ingenitam esse hac aetate legum prudentiam, vel adeo profecisse homines atque nationes, ut illam esse ignorent, vel ea uti recusent.

V. Sapientes, inquiunt, non deficient in tanta electorum multitudine. Respondemus. Ut quid ergo tanta, sine delectu, et incondita multitudo, unde paucorum recte sapientium vox, et sententia obruitur? Deinde nullo prorsus criterio sapientes ab insipientibus secernuntur. Nam suffragia numerantur, non ponderantur: quod si aequum esset in pari sapientum concione, inter sapientia inaequales iniquissimum fiet. Quis enim sanae mentis feret in condenda lege, iurisconsulti spectatissimi sententiam, militis vel artificis placito coaequari? Si ubique vera illa Ciceronis: « Gravior et validior est decem virorum bonorum sententia, quam totius multitudinis imperitae 1); » non fallent certe in delegatorum conventu, quo populares passiones et tumultus constantissime a popularibus electionibus transferri necesse est. Non ergo rationis iudicium, sed numerica vis imperat in hoc regimine: quae est vis caeca, fortuita et materialis, barbarorum, uno verbo, non civilium populorum.

1) *Pro Plancio.*

VI. Ita eiaculatae leges, qua nimirum sapientia et velocitate glandes excuti solent, regis saltem vel populi sensu reformabuntur? Ubi Senatus adest *(camera alta)*, hic iners plerumque et popularium Comitiorum humilis pedisequus, ut auram captet, ne in populares furores incidat. Rex, qui regnat non gubernat, nomen apponit (*a*). Quid de populo? Quasi non esset rex hic pauperculus, eius nec mens nec voluntas perquiritur: ipse subiiciatur et solvat. Sed olim aliqua saltem populi erat pars in legibus, ubi populi erat imperium. Fateor: nunc autem id solum obtinet ut imperans populus, ab illis quos ipse legumlatores sibi constituit, absolutissima et despotica aliquando regatur voluntate. Ergone viget absolutismus? Imo nunquam magis, quum delegati suae unice obtemperent voluntati. Qua ratione potestas legislativa, a rege atque a populo abstracta, in paucorum transit dominationem, quae oligarchia nuncupatur.

(*a*) Inquit Hegel, rara verborum proprietate ac felicitate: « Il re è la punta dell'edificio sociale: egli segni del suo nome. Il re è l'uomo che dice *Sì*, che mette il punto sulla *i*. Quando il re sia di più, lo Stato non è ancora ben conformato all'idea. » Sicca arundo in vertice republicano, en regem constitutionalem! Hinc merito feminae viros antecellunt quae forsan magis scite ac venuste punctum ponunt *sulla i*.

VII. Quid de potestate executiva? Illam habent regis Ministri, qui toties repelli possunt a Comitiis, donec grati eligantur: unde infirmitas illorum praeclarissima, atque versatilis mens et sapientia, ut dominanti factioni obsequantur, ne pereant. Nam cum ambitio ambitionem, factio factionem premat in regimine repraesentativo, quo omnes passiones coacervantur, Ministris ingenio contendendum est, non ut recte clavum teneant, sed ne supplantentur. Primum itaque se stipant amicis, incontinenter ad munera publica irrepentibus, veteribus reiectis saepe experientia et fide praecellentibus: hisce si pensio additur, frustra aes publicum effunditur; si negatur, iniuste agitur. Adversariis quoque offa plurima iniicienda, ne noceant. Emendi ephemeridum scriptores, ne elatrent. Corrumpenda electorum collegia. Haec omnia populi pecunia sunt peragenda: unde vehementes aeris publici dilapidationes aliquam recipiunt explicationem. Maiora autem mala sunt, versutiae exempla, venalia omnia, virtutis dissolutio, et corruptionis schola, ex imperii culmine in subditos profluentia. Hinc animorum et gentis abiectio, intus et foris: dum enim liberum regem sua impellit utilitas ut gentis suae tueatur libertatem, e contra minister constitutionalis sua allicitur utilitate, ut ab extera quandoque gente illam sibi mendicet quam intus non habet firmitatem. Hinc decrescens Lusitaniae, Hispaniae, Galliae et Pedemontis externa libertas et vis. Hinc demum Britanniae ardor ut regimina haec promoveantur: emptis enim ministris et comitiis, illa ubique dominatur (*a*).

VII. Quum soli Ministri facti sint *responsabiles*, illud mirabile actum est, ut nemo iam de re publica teneatur. Non Rex, qui nihil agit sine Ministris, ut pupillus sub tutore constitutus; non Comitia, quibus superius tribunal non invenitur; non ipsi denique Ministri, nisi illusoria verborum fictione, neque condita unquam lege hac de re. Nec forsan condenda: sperat enim quisque et se ministrum fore. Vere quidem Ministri e gradu deiici possunt: sed quid hoc ad populum, cum populi aes et negotia sub-

(*a*) Invictissima factorum demonstratione, quae ante annum 1848 esset Subalpinorum sapientia civilis, dignitas, vis atque aestimatio apud ceteras gentes, nuper evicit mente atque animo egregius vir, comes Solaro della Margarita, in gravissimo opere: *Memorandum storico politico*; Torino, 1851. Quae postea fuerit gentis et rei publicae *crescens felicitas*; ultra fidem exhausto aere publico, conversa armorum fortuna, provinciarum concordia penitus abrupta, scriptis obscoenissimis et legibus religione sacrilege contempta, politica et morali aestimatione apud gentes imminuta: haec omnia nec referenda sunt, quum oculis pateant. Si illa erat tyrannis, qua octo saeculorum gloria gens illa laetissime excreverat; si illa quae nunc obtinet civilis appellatur sapientia; nonne verba rerumque essentiae immutantur? Heu, patria! Heu, dolor!..... Fuimus Troes! Illa occurrunt, vera nimis, tristia et miserabilia: « Siccome la buona fede una volta che perduta è non si riacquista più se non si ricomincia il giro per la barbarie, io veramente non so che augurio fare. » (Botta, *St.* contin. Guicciar., lib. XVI).

versa sunt? Contra, responsabilitas moralis atque efficacissima aderat in rege absoluto. Nullum tribunal, quo iuridice compellatur: sed nonne verendum regi tribunal mens et fama universorum? Coacervata in se odia effugit Minister, officio valedicens: at semper eadem Regis persona, cui propterea odia cayenda sunt, amore sui et successorum. Fictitia igitur et illusoria Ministrorum responsabilitas in regimine repraesentativo: verior et populo utilior illa quae regem absolutum nunquam dimittit.

IX. Quin imo paralysis universa illud est, quod tantopere iactatur, virium aequilibrium. Nervi regiae maiestatis plene dissolvebantur, cum immanentia maiestatis iura, potestas nempe *legislativa*, *executiva* et *iudiciaria*, a rege distracta sunt. Quae licet per idoneos viros exercenda, radicaliter tamen ex uno stipite proficiscantur necesse est, uti vita omnis ex corde; nisi mavis « irregularem rempublicam et male cohaerentem, » quam Puffendorfius detestabatur 1). Hac primum edita ruina, vis militiae regularis per civicam militiam elisa est; magistratuum et iudiciorum vis, per *iuratos*; omnium denique recte sapientium vel agentium sententia, per obscoenam conviciandi licentiam, quae verborum et scriptorum libertas appellatur.

1) Huius lib. tit. II, § XI.

X. Iamvero, militia civica sive nationali agente vel patiente, omnes insurrectiones peractae sunt, usquedum societatis existentiae ultimo minabatur communismus: unde civica militia *insurrectio armata* dicta est. Iurati cives, sorte delecti, ut iudicium ferant de facto in re criminali, iudicia facile turbant, quia experta, non ignara mens, de factis prudenter iudicat; tum quia facti ratio saepe cum iure coniungitur. Finge causam agi de episcopo reluctante legi civili quae dubium ferat haeresis vel schismatis: facti solutio pendet ex iure. Quid autem hic videt caupo, faber, salsamentarius? Nonne ridiculum foret illorum iudicium, ridicula lex, ridiculus legislator, ridicula gens hisce contenta iudicibus? Hoc tamen fit; et quotiescumque insana facti sententia praecessit, nihil magistratibus relinquitur, nisi ut ipsi inter poenae maximum vel minimum constituant. Ratio huiusmodi legis haec erat, distorquere iudicia, magistratuum integritatem irritam facere, innocentibus vim, reis impunitatem afferre, iustitiae nervos concidere (*a*). Quid ergo superest in civitate? Non rex,

(*a*) Frater olim ordinis Praedicatorum, nunc ab ordine atque a religione apostata lectissimus, Achilli, vitam agens in Britannia quam solent apostatae, inter protestantes iam suos Ecclesiam catholicam mendaciis et calumniis vehementer insectabatur: hoc quoque apostatarum more. Quis esset Achilli, et quae eius vita, ex publicis factis declarabat doctissimus Newman, ex protestantismo ad catholicismum conversus. Vocabatur iste in ius. Seductae mulieres, et testes plurimi facta testabantur. Protestantes agitantur, verentes ne constet, se animarum magistrum tam sordidum hominem constituisse. Efferunt iurati: « non constare de factis; testes corruptos vel deceptos fuisse. » Haec eveniebant ineunte anno 1852: neque obliteranda eorum memoria, ut pateat quam commoda sunt *per iuratos* iudicia, qui sententiam ferunt, quin rationem ullam reddere teneantur. Res vero

non miles, non iudex: sive potius, nomina supersunt, officia viribus cassa, personae autem sopore et paralysi detentae.

XI. Virili atque excelsa negotiorum discussione, per verba vel scripta, res publica proficiet; sed repuerascit vel inflammatur, tributa pueris vel agitatoribus libera garriendi facultate. Atqui puerorum vel tribunorum, rem publicam gerere contendentium, aliquando plurima turba; sapientes autem perpauci, qualibet aetate. Gestiunt illi se in publicum efferre; hi autem latere. Dices: Cadent illorum verba, horum sententiae confirmabuntur, iudice populo. Ita ne? Circulator commovet gentem, quae vix patitur gravia et utilia disserentem; sic nempe est vulgus: « sine comparatione probat, esse melius non sentit; ex veritate pauca, ex opinione multa aestimat 1). » Ille in vulgo sapientior, qui et loquacior, imo dicacior: « in turbas, ex Tacito, et discordias, pessimo cuique plurima vis. » Lingua, ex Cicerone, flabellum seditionis: adde impietatis, calumniae, universae corruptionis. Divine quidam: « Ecce quantus ignis quam magnam silvam incendit! Et lingua ignis est, universitas iniquitatis,... inflammata a gehenna, . . . inquietum malum, plena veneno mortifero 2). »

1) Cic., *de Claris Orat.*, et *pro Roscio.*

2) *Epist.* B. Jacobi, III, 1-8.

XII. Aiunt: Expromendi quae cogitaveris, quae sentias, libertas est divina, adultis iam populis non invidenda. Si aequa illa sint, concedimus; si mala, negamus, Nostrorum autem prudentia, cultus et civilitas, si ex diariorum scriptoribus dimetienda essent, pudore suffunderemur. Nam, si sapientiam quaeras, nullam fere invenies: abiecta omnia et plebeia, sententiae ac verba. Paucos si excipias, raros nantes in gurgite vasto, in reliquis permanens coniuratio in Deum, in mores, in familiam atque in civitatem: adeo ut nunquam foediora evulgata sint, quam hoc ipso aevo, ab anno scilicet 1848 ad 1852. Erit ne ergo turpissima haec licentia, civilitatis mors an subsidium? Hac indiget revolutio, sed illam expellit libertas civilis. Iubet enim libertas civilis, ut tuta sint honestorum fama, decus civitatis, mores, religio: qui haec aggrediuntur, non liberi sed liberticidae, non civiles sed barbari; non rectores qui haec patiantur, sed corruptores (*a*).

illa adeo iniqua et turpis visa est, ut diaria quoque Londinensia, *Times* ex. gr., pro suae gentis honore, de corrupta ac venalita iuratorum sententia conquesta sint.

(*a*) De extincto nuper in Gallia regimine repraesentativo, propter imminutam disceptandi concionandique libertatem, vehementer conquerantur nonnulli, inter quos clarum Montalabertii ingenium acgre recensemus. Sed meminerint illi, dicendi licentia, seditionum flammam in universam Europam fuisse prolatam. An clarissimi oratores, quibus alia ex parte gratulamur, gentes ab impendenti iam socialismo et communismo abstraxissent? Quid de Gallia, quid de parta iam civilitate, nisi lux Decembris secunda adstitisset? Nimiam ergo, mortiferam, nec sanabilem, orbis inflammandi licentiam, ademptae quandoque libertatis particulae ne praeferamus, quaeque in civitate vere iusta sint atque utilia, non ex propriis moribus atque opinionibus, sed experientia duce, ex factis aestimemus. At-

XIII. Quid ergo pro iure constituendum, ut libertas a licentia secernatur? Rem quaeris, in omni iure politico, perdifficillimam: dum enim et nobis optatissimam fatemur, omniumque pulcherrimam et laudabilem disceptandi et scribendi libertatem, nihil novimus illa iniquius et periculosius, si excedat. Si illam itaque nimium coërceas, rem pretiosissimam, iuraque ingeniorum atque intelligentiarum auferes e civitate; pestem vero immittes, si illam intemperanter effundas. Quae cum ita sint, generaliora haec constituimus. 1. Quaecumque censura expers libertas, in angelorum tantum societate possibilis fiet, ubi sola detur electio inter bonum et melius; non vero in hac nostra, ubi pessimo cuique plurima vis. 2. In corruptissimo imperio absoluta libertas est expetenda, ut saltem aequa iura permaneant veritati et falsitati; estque mos perantiquus, ut libertatem iactent dum imperium evertant, illo autem everso, libertatem aggrediantur quae ipsis iam noxia videatur. Corrupto itaque imperio, corrupti censores, corrupta libertas: quae fit libertas erroris et criminis, captivitas autem veritatis et aequitatis. 3. Censura praeveniens, quae vetat ne mala scripta evulgentur, praeferenda est censurae subsequenti, quae post facta poenas decernit: eiaculata enim calumnia vel flamma, plaga manet, ignis serpet vel exardescet. 4. Hoc teneant censores vel iudices: non licere illa effari, quae non licet agere. Est enim prolatum verbum iam incoepta actio. 5. In regimine repraesentativo, scribendi loquendique temperantia est fere impossibilis. Nam amplissimus patet licentiae fons in nationalibus Comitiis, quorum homines cum se populi negotia agere dictitent, omnia quoque audent, quasi ex suprema populi auctoritate. Quae non minima est huius regiminis *deformitas* et *infelicitas* (a).

XIV. Deformitas. Hi enim populorum tribuni, maximi privilegiorum hostes, omnium tamen privilegia in seipsis colligunt, quum se liberos ad licentiam, et inviolabiles decernunt. Facta in oculis versantur. Qui cum, illis non sentiant, contumeliis onerantur, unde simultates et iurgia: novum gladiatorum non legumlatorum genus, ut ex iustitiae aula, factiones, convicia, scandala in populum profundantur. Honestos quoque cives, quod opinionibus sibi adversos putent, tamquam hostes patriae traducunt; patria videlicet in seipsis conclusa. Illis nihil sanctum: legislatores enim extemplo constituti, se supra leges arbitrantur; legumlatorum decus et civilem fere humanitatem ignorant vel conte-

illi certe in nimium absolutismum digitum intendebant, illa praesertim ex parte, qua ecclesiasticam supergreditur libertatem. Nos rem tenemus, principes vero exoramus ut iustam monarchiam, Deo et civibus amabilem efficiant; in hostes autem societatis non imbecillam, non ancipitem.

(a) Vide opus italicum: *L' opinione e la stampa nelle loro attinenze colla morale e colla politica da Fortunato Cavazzoni Pederzini modenese*; Modena 1850. Recta insistens via, plurima edisserit auctor temporibus nostris aptissima atque accommodatissima.

mnunt. Quasi caelites facti, qui populari unda ex imo ad summum delati sunt, principes et reges, res sacras et civiles foedissimo ore proscindunt. Boni si adsunt, inter clamorum non argumentorum certamina, obruuntur, ut illa quotidie renoventur: « Pauci tamen boni inerant, qui moesti, inter sui dissimiles et moerentes sedebant, et contagione turpitudinis vehementer permovebantur 1). » Stipata quoque adest turba, ex condicto uni plaudens, alteri convicians; ut ex ipsis nationalibus Comitiis libertas expellatur. Hi ne homines et loca, quibus leges et gravissima rei publicae negotia peragantur? Ex vero et nudo haec describuntur: acta consulantur. Hac autem flamma in nationis corde exardescente, petimus an, per omnes Musas, dicendi temperantia ac sapientia in gente esse possit! Accidentalia haec sunt, inquies. Imo, reponimus, ex rerum atque hominum natura proficiscuntur: ex effervescentibus enim populi electionibus, ut plebeia quoque legumlatorum capita enascantur, nonne naturale est?

1) Cic., *ad Attic.* lib. I, ep. 16.

XV. Infelicitas. Qualis nempe et quanta est, civitatem continuis agi tempestatibus. Nam, fatentibus adversariis, essentia regiminis repraesentativi est in opinionum lucta: unde scinduntur nationalia comitia in partem dexteram, et sinistram, in centra insuper et extrema dexterae item atque sinistrae. Pars extrema sinistrae, ex qua minantia quaelibet et ferociora prodibant, altero saeculo *Mons sanctus* appellabatur (*la Montagna*): nostro, Montem arripuerunt socialistae et communistae. Inde concertationes quibus gens ipsa commovetur, atque cives a civibus, fratres a fratribus, a patribus filii in opposita distrahuntur. Haec ne urbis fortitudo et felicitas, an vero, adiecta linguarum licentia, Babylon et pandaemonium? Thersitem ducibus conviciantem, et populo blandientem, virgis confutavit prudentissimus Ulysses 2); pugni ictu interfecit Achilles (*a*).

2) *Iliad.*, II.

XVI. Nihil ergo mirum si hisce elementis consarcinata regimina, *monstra* haec *reipublicae* dicta a Boehmero, post gentium dolores, in absolutam rempublicam convertantur, ut, emenso dolorum cursu, ad quid vere monarchicum regrediantur. Neque Britanniam semper obiiciant. Nam neque imperium populi, neque populus est apud Britannos; sed in duplici aristocratia, auri et sanguinis, sunt omnia (*b*). Ditissimi imperant, qui

(*a*) « Graecorum respublicae sedentis concionis temeritate administrantur. — Graecia concidit LIBERTATE IMMODERATA et LICENTIA CONCIONUM » (Cic. *pro Flacco*). Dicendi praesertim immoderata libertas, et concionum licentia, concidentium imperiorum novissimis temporibus fuerunt, suntque hodie, non dubia argumenta. Nam loquaciora tempora sunt animisque factisque remissiora. Sic degeneres iam Athenienses omnes, et advenae hospites ad nihil aliud vacabant, « nisi aut dicere aut audire aliquid novi » (*Act. Apost.*, XVII, 21). Ubi vero insipiens loquacitas legibus atque imperiis dominetur, nonne malorum extrema impendent?

(*a*) « En Angleterre la coalition aristocratique qui s' est formée con-

veteris moris sunt tenacissimi, utque stabile perstet imperium, eorum iubet utilitas qui ad imperium accedunt; unde illa Britannorum prudentia, ut quum de materiali agitur utilitate, politicae opiniones conquiescant. Alibi vero democratia pro substantia est; aristocratia impotens, imbecillis, vel pro forma. Pauperrimi imperium arripiunt vel spirant, quorum interest rerum summam evertere, quum in politicis conversionibus plurima sperent, nihil habeant quo sibi timeant. Britanniae exemplar, excepto regio nomine, vides in republica Veneta; nec politica dissimilis. Et qui illic regis vel reginae cultus? Quale et quantum fulciendae religionis studium? Haec autem duo, quae maxima sunt regiminis subsidia, quam alibi desunt, ubi democraticum elementum regibus et religioni aequaliter se exhibet infensum! Tandem nec contemnendum est discrimen in frigida et calculatrice Britannorum ratione, quae a ferventi meridionalium populorum imaginatione longissime distat. Quae simul collecta ostendunt quam inepte Britanniae exemplo complurimi utantur; tum quam insidiose Britanniae rectores democratica regimina appellent sibi similia, utque talia penes omnes gentes tueantur ac foveant. Quorum agendi ratio iniquissime peccat in ius gentium, cum universale quodammodo imperium sibi arrogent, et pedem in alienam domum audacter inferant, et populos in principes concitent. Sed neque firmam vel invidendam Angliae felicitatem, sapientissimi iam suspicantur (*a*).

tre le trône, soutient la lutte avec succès... Dès son origine, la royauté a été reelle: cent cinquante ans après son établissement, la féodalité s'est brisée en deux parts, dont l'une est devenue la *haute aristocratie*, l'autre *le corps des communes* du pays » (Guizot, *Essais sur l' hist. de France*, résumé). Duplex apud Anglos aristocratia: ubi populus? Hoc autem *aristocraticae* insurrectionis proprium est, ut, expleta victoria, se sistat, quia intelligentiam possidet, quia ordine indiget ut seipsam servet. Contra, insurrectionis *democraticae* nullus finis, quousque ad communismum pertingat. Hinc possibilis Britannica constitutio: ceterae, ex democratia genitae, impossibiles. Nec diuturnam istae vitam recipient ex aliqua aristocratiae particula (*senato, camera dei pari*), quae in domocratiae turbine exaresceat, vel in illam convertetur.

(*b*) In Anglicis electionibus duplex persaepe hominum genus: *corruptores et corrupti*. Accusatus enim quidam, nomine Bell, de corruptis electoribus, in nationalibus comitiis gloriabundus fatebatur, die 17 feb. an. 1852. « Signori sì io non ho fatte che seguire *illustri e numerosi esempi*. Non è egli vero che taluno di voi ha pagato la sua elezione sessanta mila lire sterline? Che tale altro confessa d' averne sborsato cinquanta mila? Che il più modesto parla di quaranta mila, e che coloro i quali non hanno speso se non cinque mila o dieci mila lire sterline, riguardano la cosa come una bagattella da non farne parola? Ebbene, quanto a me, conto fatto, la carta della mia elezione non mi ha costato che quattro mila e trecento lire sterline (ventun mila e cinquecento scudi). È una miseria: perchè occupersene? » Corruptio et impunitas, ubique et semper in popularibus electionibus: unde, originis necessitate enascentur corrupta et corrumpentia regimina. Magis autem, quo maior fiet auri vis: adeo ut iam aurum constituat ius. Quam iniquitatis faecem quis, civilis homo, non odio habeat ac detestetur? Quis tabem hanc, sanum corpus diuque mansurum arbitrabitur?

XVII. Ut rem nostram perficiamus, regimen repraesentativum ex gallica revolutione genitum, atque ex reipublicae et monarchiae laciniis assutum, bellum affert intestinum, quo suis intimis medullis infirmatur atque dissolvitur; revolutio adhuc est, non gentis libertatem sed factionis triumphum constituens. Illo non imperii abusus praecaventur, sed imperiorum nervi, unde est ordo, libertas et fortitudo, reciduntur. Abradendus efferebatur regum absolutismus; sed amplior et plebeior absolutismus, imo despotismus, mutatis solum personis et nominibus, inducebatur. Inde principum et populorum imperia amice consociari dicebantur: et principes aeque ac populi servi facti sunt. Quum, ex novis constitutis, regum personae *inviolabiles* dictae, tunc reges ad necem vel ad exilium compulsi. Populorum felicitas et restauratio decantatae: contra vero spoliationes et omnigenae vexationes peractae sunt. Coacta religio, ut suis ipsa hymnis et ritibus ferret opem et auxilia: sed cito illa quoque in mortis iudicium vocata est ab iis, qui protestantismum iam subdole impellebant in catholicismum, utrumque deinde compulsabant vel atterebant quodam vago atque incondito naturalismo vel pantheismo.

XVIII. Si haec omnia historiae et oculorum testimonio manifesta sunt; si tam est in promptu mala systematis fides (de systemate enim loquimur, non de personis); si pro effectibus sunt, corruptio ex alto in imum decidens, imperiorum infirmitas et fluctuationes, tempestates populorum, aeris publici dilapidationes, religiosae vexationes, verborum licentia effrenis et insolens, legumlatorum audax ineptitudo, legum inconstantia earumque ingens et onerosus mons, quietis demum, felicitatis et libertatis excidium; si talia, inquam, pro effectibus continua habita sunt, quid de re sentiendum sit, tutissime atque evidentissime liquet. Sed pone, ingenti ac pene divina, nec facile expectanda animorum virtute, vitiorum extrema vel minui vel praecaveri, stirps tamen vitiorumque radices permanerent, illis funditus permanentibus *unitatis* et *sinceritatis* defectibus, *sapientiae* ac *fortitudinis*, *honestatis*, *verae libertatis*, *expeditae atque oeconomicae simplicitatis*. Quae adeo permiscentur et naturali affinitate colligantur, ut unum inquirentibus, omnia se sistant; ex iisque nonnulla ab Helvetio ipso in clarissima luce prolata fuerint (*a*).

(*a*) Mirabilia sunt Helvetii iudicia de regimine repraesentativo in epistola ad Montesquieu, quae italico sermone exscribimus. « Già ve lo dissi, e lo ripeto, mio care amico: *le vostre combinazioni dei poteri* non fanno che *separare* e *complicare* gli interessi individuali *invece di unirli*. L'esempio del governo inglese vi ha sedotto: io son lungi dal crederlo perfetto, e troppo avrei a dirvene su questo punto. Aspettiamo, come diceva Lockio al re Guglielmo, che solenni rovesci, nati dai vizi di quella costituzione, ne dichiarino i pericoli. Aspettiamo che divenendo *necessaria la corruzione*, sia da' Ministri stabilita in tutti i comuni, nè più faccia arrossir persona. Questo tempo è incominciato: si vedano gli esosi mer-

XIX. Sententiam nostram non exposuimus modo, sed demonstravimus, nostra usi libertate, atque ipso adversariorum

cati delle elezioni). Allora si vedrà il pericolo d' un equilibrio , che *si dovrà rompere ad ogni ora*, per accelerare o ritardare i movimenti d'una macchina sì complicata. Sta la libertà inglese in questa costituzione, o in due o tre buone leggi che non dipendono da quella? Vi confesserò , mio caro Presidente , che io non intendo le ricantate distinzioni sulle forme dei governi. Io non ne conosco che di due sorta; i buoni che aspettiamo; i cattivi che consistono *nel far passare con diverse arti i denari della parte governata nella borsa della parte governante*. Ciò che gli antichi governi facevano colla *guerra*, i moderni lo fanno più agevolmente colla *fiscalità*. Credo tuttavia alla possibilità d'un buon governo, *senza l'equilibrio delle vostre bilance*. Sarebbe una macchina semplice e facile a moversi, senza tante ruote e contrappesi, sì difficili a regolarsi *per gl'inetti e intriganti, che si precipitano nel governo*. Essi vogliono tutto fare, e operare sopra di noi come su d'una materia morta , e rimpastarci a loro grado , senza consultare nè le nostre volontà nè i nostri veri interessi : col che dichiarano la loro stoltezza ed *ignoranza*. E dopo ciò si meravigliano che *l'* eccesso degli abusi ne provochi la riforma : essi incolpano tutto e tutti, piuttosto che la goffa loro audacia, del tracollo dei pubblici affari. » Quam egregie! Quod Helvetius praevidebat, nos factum conspicimus. Utinam pars magna non fuissemus!

Ad urberiorem insuper demonstrationem , verbis utemur Vincentii Gioberti, non propter hominis auctoritatem, sed propter experientiam et dictorum veritatem: « La copia e contrarietà dei dicitori (nelle assemblee nazionali), le interruzioni frequenti , il poco ordine che regna nelle discussioni orali, la brevità del tempo che impedisce di trattare a fondo le materie; la vaghezza di *uccellare gli applausi* e di piacere alla parte, e lo stesso uso che hanno molti di parlare all' improvviso , fanno sì che (salvo pochi casi) le diceric migliori riescono, a leggerle, deboli, superficiali, gremite di luoghi comuni, e poco o nulla insegnano, anche quando per la vivacità e la maestria del porgere , fecero effetto negli uditori. E allorchè si tratta d'una serie di deliberazioni che richieggono unità e accordo , come può un' adunanza numerosa condurle direttamente ? Quando oggi si scordano mille particolari delle decisioni prese innanzi , e non si antiveggono le avvenire. » Vere quidem : nam ipsae societates clandestinae, quarum maxima est prudentia et vis politica, maiora negotia paucissimis fidunt ordinanda et discutienda. Sequitur : « Taluni confondono le assemblee col popolo , perchè lo rappresentano. Ma tal rappresentanza è sempre imperfetta per la natura delle cose umane ; e diventa illusoria , quando il broglio e la corruttela s' intromettono nelle elezioni. Anche dove la scelta dei delegati sia buona , la somma può diventar cattiva , poichè in ogni campagnia particolare s' insinua lo spirito di corpo e di parte , che non di rado prevale all'amore del bene comune; così che i pochi tristi corrompono gli altri , e l' adunanza , quasi Stato nello Stato, diventa rivale, invece di essere interprete della nazione. « Hoc fere semper evenit; delegati seipsos non gentem repraesentant. Addit : « Il retto senso è sempre cosa di pochi, e proprio degli ingegni più singolari. I quali soli colgono nelle materie intricate la realtà , e non le apparenze ; soli veggono da lungi come il lince , dall' alto come l' aquila , dove che l' assemblee van terra terra , e il loro acume non abbraccia che una piccola prospettiva. L' ingegno non sovrastando mai di numero, vi è soffocato dalla mediocrità che prevale coi voti e coi rumori... Il giudizio e il senso pratico sono vinti per ordinario dall' abbondanza delle parole , e il *senno vi* si *misura dai polmoni e non dal cervello*. Il che ridonda a profitto e a predominio degli avvocati, cioè della classe più destituita di capacità politica , se la professione forense non è temperata da altri studi , il che non accade frequentemente. » Haec ille , post rerum atque hominum experimenta.

principio: *libertas opinionium*. Si vera docuimus, laetamur in obsequium veritatis, gentiumque utilitatem: si mala, adversarios obsecramus, ut nobis nihil ultra veritatem cupientibus, severiori ratiocinatione involuntarium auferant errorem. Unum est quod illi semper obtrudunt: *odium libertatis*. Nos e contra, libertatis amore, nostra ad amussim et accurate protulimus: libertatis nempe civilis, religiosae et politicae, quae ex adversariorum facto in captivitatem rediguntur. Sed nonne libertas quoque vapulat in monarchia? Libentissime fatemur; et ubicumque lateant vitia, in illa dimicabimus. Nulla ne ergo, sine vitiis, regiminis forma? Tunc sane cum erunt sine vitiis homines. Interim vero an aliqua sit imperii species, unitatem et fortitudinem magis servans cum partium varietate et libertate, hominum autem vitiis minus patens, sincera mente inquiramus.

TITULUS IX.

DE OPTIMA REGIMINIS FORMA.

I. Definitur optima regiminis forma. II. Unitas descendit a capite in multitudinem, non vicissim. III. Potestas una atque indivisibilis, ratione necessitatis; IV. tum utilitatis. V. Verae monarchiae descriptio. VI. Hanc tempora exoptant. VII. Iam quaestionis extrema sunt vel pura monarchia vel pura democratia: huic virtute impares sumus. VIII. Superest monarchia, expolita, libera et liberalis. IX. Lex naturae, non ferrea sed apta unitas: cuius exemplar in Ecclesia. X. In hac monarchiae unitas et robur. XI. Mixtum imperium ab Ecclesia repellitur. XII. Unitatem firmat, non scindit, ecclesiastica hierarchia. XIII. Ibi ditissima multiplicitas in unitate, atque ordo cum libertate. XIV. Vere magnifica Conciliorum sapientia atque prudentia. XV. Non alibi simile vel laudabile imperium. XVI. Democratia vel nulla, vel communis atque illustris in Ecclesia. XXII. Limites fixi: Ecclesia docens, Ecclesia audiens. XVIII. Auctoritas descendit; in electionibus gratia, non ius. XIX. Non verba miseris, sed facta praestat Ecclesia. XX. Conclusio.

I. Imperiorum rerumque publicarum historiam pervolventibus, duplex se offert politicarum commotionum vel tempestatum origo: potestatis excessus in principibus; in populis vero excessus atque ardor libertatis. Peccat imperans, iura subditorum in se uno coarctans: peccat populus, imperantis iura sibi usurpans: peccat ipsa regiminis forma, si naturaliter discreta

Concludam cum Emiliano comite della Motta: « Si vollero ordini governativi che togliessero al principe *la facoltà di nuocere*. Ciò è impossibile, senza incarcerare onorevolmente il principe nella sua reggia, e custodirlo a vista. Ma dopo, per togliere ancora la *facoltà di nuocere*, bisognerà incarcerare gli stessi carcerieri del principe, ossia il Parlamento ed i Ministri. Sententiam retuli, quam vide late expressam in *Saggio sul socialismo*, p. 886 etc.

imperantis populique iura contra naturam permisceantur. Quum evidentissima haec sint, applicationes quandoque contentionibus subiacent, non exposita principia. Ex certissimis itaque principiis criterium hoc inferre licebit: *Illa prae omnibus optima est regiminis forma, in qua et caput et partes sua ita iura et discrimina servant, ut unitas sit in varietate, vitaque floreat in multitudine.*

II. Exordiamur a capite. Caput in societate politica est imperans: atqui societas, gens nempe vel civitas, una est, ut sana sit atque integra: ergo unum caput vel imperans. Cur? Quia « unitas unitatem servat » acutissime inquit Augustinus. Sed undenam haec unitas? Non illa a multitudine in caput ascendit, sed a capite effunditur in multitudinem: « Non enim, prosequitur, a multis *unum*, sed multa ab *uno*. » Expressius: « Da *unum*, et populus est; tolle *unum* et turba est 1). » Fert igitur naturalis ordo, ut, capite constituto, vivens unitas in membris constituatur, non vero ut ex membris vis atque unitas capitis enascatur. Hoc autem ob naturalis vitae necessitatem.

1) S. Aug., *in psal.* XXX; *sermon.* XX, *tract.* XXXIII. *in Ioa.*

III. Rem altius repetit Athanasius: « Ipse dispositionis ordo, omniumque partium concors conspiratio, non multos sed *unum* mundi ducem et moderatorem esse, manifeste ostendunt. Nam si plures mundo praecssent, ordo ille servari non posset, sed omnia confusione et perturbatione plena essent, dum unusquisque omnia ad suum arbitrium traheret, et adversus alium pugnaret. Ut multos enim esse Deos, nullos esse Deos dicebamus: sic multos rectores, nullos esse rectores dicendum est 2). » Eodem sensu philosophus Nazianzenus: « Ubi nullum imperium, ibi nullus ordo; ubi poliarchia, sive multorum imperium, ibi seditio 3). » Capitis unitatem alius infert philosophus ex naturae lege universali: « In apibus, princeps unus est; grues unam sequuntur ordine litterato. Imperator unus est, iudex unus provinciae. Roma, ut condita est, duos fratres simul habere reges non potuit, et parricidio dedicatur 4). » Unde Lucanus:

2) S. Athan., *Oratione contra gent.*, 38.

3) S. Greg. Naz., *Orat.* III, *de Theol.*

4) S. Hieron., *ep. ad Rust.*

> Nulla fides regni sociis, omnisque potestas
> Impatiens consortis erit...
> Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Sed neque universus orbis Pompeium et Caesarem concordes habuit,

> Quae mare, quae terras, quae totum possidet orbem:
> Non coepit fortuna duos 5).

5) Lucan., *lib.* I.

IV. Prima igitur conditio reipublicae optime constitutae, imperii est unitas atque indivisibilitas, ratione naturalis *necessitatis*; deinde ratione *utilitatis*. Nam « quum Lydiis Croesus imperaret, fratrem in consortium imperii assumpsit. Tunc quidam ex Lydiis accedens dixit: Omnium in terra bonorum, o Rex, au-

ctor est sol, nec quidquam extaret in terra, sole non illustrante. At si gemini soles fierent, periculum immineret, ne omnia conflagrantia in pessum irent 1). » Et vere flagrantia vidimus regna quum summa rerum divisa est, donec quisque popularis diceretur rex. Tunc enim, cum capitis officia membra cetera assumpsissent, turbato naturali ordine, defecit caput et vita.

1) Sirinus, *de monarch.*, apud. Stob.

V. Si vero oportet unum esse caput in republica, non immodicum tamen, aliorumve membrorum officia usurpans vel despiciens. Est autem immodicum caput, cum unus iam rex vel imperator, vel dux vel praeses, ita omnia ad se pertrahit, ut vitalis actio ex corpore politico, sive ex universa multitudine fere abscedat. Hinc est despotismus vel tyrannis, in qua, agente capite, membra nihil agunt, sed patiuntur. Ergo undenam aequitas, ordo et vita? Haec fient si omnia, et caput et membra, sua loca et munera teneant: si emineat caput in re politica, non tamen quae sunt familiae vel singulorum in se uno abripiat, ut nimis frequenter et inverecunde illi audent qui populorum, quasi pupillorum, repraesentantes vel gestores audiunt: si princeps, qui indivisam rerum summam intelligenti ac forti manu comprehendit, consilia simul et regendi subsidia ex tota civitate, nemine despecto, conquirat. Hac enim prudentia, regendi summum ius indivisum manet, ne infirmetur vel intereat; politicae autem sapientiae lumina et vires conseruntur et coalescunt; plurimaque bona, quae in singulis regiminis speciebus dispertita sunt colliguntur. Hic regiminis unitas et robur, non fictitia illa et imbecilla monarchia quae regnat, non gubernat. Hic decora illa et sapiens aristocratia, non tantum nomine, sed animo atque opere magnifica. Hic non indocta, et contumax, et sceptra rapiens democratia, tumultus miscens, atque expolitam iam civitatem ad novam rusticitatem convertens; sed docilem rectoribus atque institutoribus animum praebens, eorumque sapientia et auxiliis proficiens; data quoque via, ut qui ex plebe sint animo et virtute nobiles ad superiora conscendant. Quae via etsi in populari regimine latior videatur, contrarium tamen experientia edocemur: qui enim apud plebem loquacior atque audentior, ille et sapientior. Contra vero iustus princeps virtutem ex virtute aestimat, atque ubicumque illa sit, per tyrocinia, per gradus atque experimenta, ad congrua eam munera perducit: non certe illud efficiens, quod in plebeio quolibet regimine, ut extemplo vel pictor, vel sutor, legislator fiat.

VI. Monarchiam descripsimus, qualem politicae conditiones illam exoptant, quamque *ad vitam quiete agendam, commodiorem magisque idoneam* affirmamus et tenemus. Huius propositionis, quae mundum civilem attingit, rationes subiicimus.

VII. Monarchiae repraesentativae dum sine fine mutantur et convelvuntur, dum populos vexant et in egestatem coniiciunt, dum a sinceris republicanis pro spuriis transactionibus inter re-

ges et revolutionem habitis traducuntur 1); ostendunt nihil esse medii inter monarchiam absolutam (non despoticam) et puram rempublicam. Quaestio politica iam duobus hisce terminis continetur: monarchia pura, vel pura et democratica respublica. Sed purae democratiae imperium nunquam extitit, nunquam sapientibus probatum, semel a Cicerone, *nullis* nempe *interiectis cupiditatibus;* non hominibus propterea, sed Diis aptum imperium dictum a Rousseau. Apud Romanos species aliqua reipublicae efloruerat, cum virtus maxima aderat, vitia fere nulla: cum « iuventus, simul ac belli patiens erat, in castris per laborem usu militiam discebat, magisque in decoris armis, et militaribus equis, quam in scortis atque conviviis, lubidinem exercebat.... Domi militiaeque boni mores colebantur: concordia maxima: minima avaritia erat, ius bonumque apud eos non legibus magis, quam natura valebat. Iurgia, discordias, simultates cum hostibus exercebant: cives cum civibus de virtute certabant 2). » Versis moribus, respublica vertebatur. Iamvero europearum gentium mores, antiquae ne Romanorum simplicitati et concordiae assimilantur, an subsecutis potius temporibus, quibus odia civilia, seditiones, ambitus, avaritia, turbae, omnisque generis cupiditates, dum impossibilem rempublicam effecerant, unius imperio viam parabant? Pluries Roma in Dictatore effugium sibi et praesidium constituerat: cogente rerum necessitate, Imperium fuit pro Dictatura (*a*).

1) Tit. preced., §. III.

2) Sallust., *Catilin.* sub initio.

VIII. Si itaque praesentia veteribus conferantur, quum ubique gentes seditionibus flagrent, hoc unum superest ut vel firma unius vis imperet, vel omne seditionis genus hominibus dominetur. Sed cum dictaturae vis tota sit in coactione, quae nec

(*a*) Quae ad democratiam inclinant regimina, nonnisi maiori virtute fulciri, atque hac recedente, illa quoque dilabi, disseritur in dialogo ab Augustino et Evodio:

« *Aug.* Ipsi homines et populi, eiusne generis rerum sunt, ut interire mutarive non possint? — *Evod.* Mutabile plane atque tempori obnoxium hoc genus esse qui dubitet? — *Aug.* Ergo si populus sit benemoratus et gravis, communisque utilitatis diligentissimus custos, in quo *unusquisque minoris rem privatam quam publicam pendat*, nonne recte lex fertur, qua huic ipsi populo liceat creare sibi magistratus, per quos sua res, idest publica administraretur? — *Evod.* Recte prorsus. — *Aug.* Porro si paulatim depravatus idem populus rem privatam rei publicae praeferat, atque *habeat venale suffragium, corruptusque ab eis qui honores amant*, regimen in se flagitiosis consceleratisque committat, nonne item recte, si quis tunc extiterit vir bonus, qui plurimum possit, adimat huic populo potestatem dandi honores, et in paucorum bonorum, vel etiam unius redigat arbitrium? — *Evod.* Et id recte. — *Aug.* Cum ergo istae duae leges ita sibi videantur esse contrariae, ut una earum bonorum dandorum populo tribuat potestatem, auferat altera, et cum ista secunda ita lata sit, ut nullo modo ambae in una civitate simul esse possint; num dicemus aliquam earum iniustam esse et ferri minime debuisse? — *Evod.* Nullo modo » (Aug., *de Lib. Arb.*, 6).

Haec sedulo perpendant qui regna ad democratiam impellere student, dum ipsi cupiditatibus flagrant, in populis autem mores cum religione dissolvunt.

amabilis nec diuturna esse potest, optimam regiminis formam, tum ex se, tum propter adiuncta, monarchiam edicimus, perfectam in suo iure, expolitam, illustrem, non suam sed omnium civium causam agentem, atque pro omnium utilitate et felicitate constitutam; moralem ante omnia, inexorabilem in seditiones, quae violant ius et libertatem singulorum; liberam denique in sua gubernandi potestate, sed liberalem quoque dum iura naturalia et civilia prosequatur populorum. In hanc Plato respiciebat: « Unius dominatio, bonis instructa legibus, omnium optima est. » Bonae autem leges, prudentum quiete ac sapientia, non populorum concionibus et tempestatibus maturantur. In hanc Isocrates, dilabentem iam Graeciam admonens: « Monarchiae principem locum praestantissimi quique deferunt. Nec immerito monarchiam tanto faciliorem esse iudicaverimus, quanto facilius est animum suum unius viri instituto accommodare, quam multis variisque opinionibus conari. » Quod si demum, Curtio graviter edocente, discissae genti neque monarchia in subsidium fiat, gens ipsa ruit ad interitum: « Imperium quod sub uno stare non potest, dum a pluribus sustinetur, ruit, et *insociabile est* 1). »

1) Q. Curt., *de gest. Alex. M.*

IX. Humanae societatis legem prosecuti sumus, a Boëtio expressam: « Omne quod est, tamdiu erit, quandiu unum erit, et tunc desinet quando unum esse desierit 2). » Non ferream tamen, sed aptam et civilem unitatem, ut capiti et membris sua munera perstent, et varietas sit in unitate: et vita cum libertate in membrorum multitudinem effundatur. Iam si exemplar quaeras, monarchiam inspice antiquissimam atque universalissimam, Catholicam Ecclesiam.

2) Boet., *de Consol.*

X. Haec perfecta est monarchia, ubi unum ovile et unus pastor: « Pasce agnos meos, pasce oves meas 3). » Ubi uni concreditae sunt claves, cum fide nunquam defectura: « Rogavi pro te ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos 4). » Haec illa unitas, ex Augustino, unitatem servans, divina et permanens. Siquidem ex Gersone, viro minime suspecto: « Nullam aliam politiam instituit Christus immutabiliter monarchicam et quodammodo regalem, nisi Ecclesiam; et oppositum sentientes de Ecclesia, quod fas est esse plures Papas, aut quod quilibet episcopus est in sua dioecesi papa vel pastor supremus, aequalis Papae Romano, errant in fide et unitate Ecclesiae, contra articulum illum: Credo unam sanctam catholicam Ecclesiam; et si pertinaces maneant, iudicandi sunt haeretici, sicut Marsilius de Padua, et quidam alii 5). » Nam, et quo amplior, pro universo scilicet mundo, Ecclesia instituebatur, eo fortior urgebat ratio, ut in uno capite cathedra una, ex Cypriano, et totius corporis vigeret compago. Est igitur monarchiae unitas et robur in Ecclesia.

3) Ioan., XXI, 15.

4) Luc. XXII, 32.

5) *De auferib. Papae.* consid. VIII.

XI. Dum autem auctoritatis quasi fluvius effunditur ex illa

fontali plenitudine, summum regendi ius remanet in capite, totum simul atque indivisum. Detectae enim et reiectae fraudes, quibus mixto regi imperio Ecclesia praedicabatur; quod Richerius efferebat, inquiens: « *Status* Ecclesiae ab eius *regimine* distinguitur: status enim monarchicus est, regimen vero aristocraticum. « Nonne apertissime illa ibi monarchia confingebatur, quae dicta est nostra aetate regnans et non gubernans? Illi favebant protestantes, rabulae, iansenistae, ipsique principes catholici ab illis edocti, qui sibi accedere putabant quidquid Romano Pontifici detrahebatur auctoritatis; principibus autem insufflabant rabulae, eo facilius coërceri episcopos, quo minus romanae inhaererent, eaque tegerentur auctoritate. Hac ratione Leopoldus Pisano conciliabulo dominabatur; et Febronius non absimile virus per Germaniam evulgabat. Sed Ecclesia nihil unquam cedens errori, integrum Pontificis imperium tuebatur. Vice versa, si summum illa ius in aristocratia constituisset, brevi ad democratiam pertracta fuisset.

XII. Est tamen Ecclesiae sua aristocratia et democratia, non permixtae, sed suo quaelibet ordine distinctae. Aristocratiam antistites efficiunt, ipsaque ordinatissima hierarchia, qua pastores pastoribus, universi autem Capiti subiiciuntur. Episcopi divinum referentes characterem, sed ex romanae auctoritatis plenitudine missionem et descriptum gregem recipientes: haec veluti municipia in universa Christi republica. Dum singulis praesunt gregibus episcopi, in ampliori coalescunt unitate per metropolitam: haec iam municipiorum proxima coniunctio, sive provincia. Episcopi vero et metropolitae quasi in gentem excrescunt, patriarchali iuncti auctoritate. Quibus demum unum eminet caput, Pontifex Romanus, successor Petri, et Christi vicarius; quem in Eugenio III universim alloquebatur s. Bernardus: « Sunt quidem et alii caeli ianitores et gregum pastores:... Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos: tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed et pastorum tu unus omnium pastor. Unde id probem quaeris? Ex verbo Domini. Cui enim non dico episcoporum, sed etiam apostolorum, sic absolute et indiscrete totae commissae sunt oves? *Si me amas, Petre, pasce oves meas.* Quas? Illius vel illius populos civitatis, aut regionis, aut regni? *Oves meas* inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil 1). » Sunt igitur gubernatores plurimi, magnifica hierarchiae varietate coniuncti, et in una principis auctoritate solidati. Cui, nimirum principi, et amplissimus adstat Cardinalium senatus, in consiliorum atque oneris partem adscitus, sed nec ipse regiminis frangens unitatem.

1) *De Consid.*, II, 8.

XIII. Si hanc regiminis inspicias sapientiam et granditatem, ubique miraberis ditissimam multiplicitatem in unitate, atque ordinem cum libertate. Plebi proximior episcopus: de quo, primo Ecclesiae saeculo, Ignatius martyr: « Episcopum siquimi-

ni, sicut Iesus Christus Patrem 1). » Extant presbyteri, senatus quoque adiuvans et consulens, aguntur comitia, sed unus episcopus pastor et legislator: pastoris unitas, gregis servat unitatem. Subiectus ipse et liber, dum plurima sua exercet auctoritate, in maioribus vero vel si officio abutatur, maiori subiacet potestati. Quum enim episcopus, quoad constitutum sibi gregem, derivata utatur iurisdictione, sic et limitata. Unde Sanctae Sedi quovis tempore reservatae sunt causae maiores, et ex universo orbe constitutae appellationes, reformata episcoporum iudicia, eorumque decretae translationes vel depulsiones: adeo ut miram fateantur ignorantiam qui ex Isidorianis pseudodecretalibus haec fluxisse arbitrantur (*a*). Sed dum uno capite moventur universa, membra quoque ipsa exhibentur vita et activitate plenissima. *Audiatur Episcopus,* ait Pontifex. Referunt igitur Episcopi, rem diligentissime versant viri totius orbis consultissimi, sapientiae documentis et consiliis undequaque conquisitis, ut quae ab uno effertur sententia, vere optimorum sit labor et consilium. Una itaque regiminis summa, atque in uno, minime vero praepotens, illiberalis, omniaque absumens, quo vitio pestifero gravissime laborant quae liberalia dicuntur regimina.

1) *Epistol. ad Smyrn.*, 8.

XIV. Sed magnifica sapientia, unitate ac varietate, maxime effulgent Concilia Ecclesiae universalia. Aguntur illa non fixis temporibus, sed cum utile sit, et graviora urgeant negotia. Non enim commovenda gens absque necessitate. Quam prudentiam illi utinam imitati essent qui exemplum ad civilia pertraxerunt. Illic non novi homines, fortuito vel tumultuose delecti, absque scientia et experientia: sed quidquid studium, ingenium, aetas, officia peracta, rerumque usus contulit prudentiae et auctoritatis. Quibus tandem praesidiis lata lex vel sententia, cunctis etiam suffragantibus episcopis, neque Ecclesiae vox adhuc dicenda, nisi Romani Pontificis calculus accesserit: cuius erat Concilium indicere, regere, dissolvere, approbare vel reiicere.

XV. Si universum excurras Ecclesiae docentis et regentis magisterium, aristocratiam reperies electam, viridem, praefinitis ministeriis adscriptam: et cum lege unitatis, sincera tamen atque apta libertate pollentem. Huic autem eminens princeps, non titulus est sine re, vel pro forma constitutus, sed ipse omnibus auctoritatem impertiens, omnia movens, omnia sustinens, dum et singuli operis sui pensum absolvunt, omniumque studia et vires in unitatem actionis et regiminis colliguntur. De Protestan-

(*a*) « Hic, si qui nihilominus perguet non insulse minus quam obstinate praedicare, iura isthaec omnia ex Isidorianis mercibus comparata esse, si quidem non eos poenitet pervicaciae, poeniteat saltem inscitiae » (Gerdil. Op. t. XI, p. 155). Quae optime videant laici homines, in regia Taurinensi Universitate, iuris ecclesiastici antecessores nescio an conditores.

tibus nihil dicimus: dissoluta gens, dissoluta civitas, in qua qui doceant vel audiant, qui imperent vel obediant, nec ipsi sciunt. Sed politicos percontamur, an ipsi imperii genus unquam perfecerint vel excogitaverint, tanta necessitudine coniunctum, tanta perspicuitate discretum, tanto ordine, firmitate ac libertate praeclarum.

XVI. Democratiam dixi, sed verius dicam: despecta plebs, vel imperium attingens nulla est in Ecclesia. Hinc enim Ecclesia *docens*, illinc *audiens;* hinc pastores, illinc oves. Oves autem sunt quicumque non sint pastores: sapiens vel idiota, villicus aut princeps, oves sunt eo ipso quod non sunt pastores. Condita et restaurata natura eadem in omnibus: communia sacramenta, templa, ritus et mensa. Haec perfecta societas, in qua obtinet iuris aequalitas: « Quid est enim civitas, nisi *iuris* societas? 1). » Quod ius cum in quaque societate non de aequali imperio, sed de aequali communium bonorum fruitione intelligendum sit, nunquam latius patet quam in Ecclesia. Iuvat autem, dominum servo, et subdito principem aequari in religione, ut omnes eiusdem naturae participes, et cives eiusdem civitatis, eiusdemque patris filii, se esse nunquam obliviscantur.

1) Cic., *de Rep.* I, 32.

XVII. Hac inter pastores et oves iure divino constituta distinctione, perfecta vero inter oves aequalitate, ius Ecclesiae politicum et publicum suis limitibus apprime definitur. In pastoribus regendi ius collatum a Christo: ovibus autem obediendi officium pariter indictum a Christo, quacumque in civili dominatu illae fulgeant dignitate. Ergo Ecclesiae aristocratia non latius patet, quam sacra ipsa hierarchia: in laicis vero, respectu Ecclesiae, nulla est democratia vel aristocratia, sed filiorum ac fratrum una eademque familia.

XVIII. In divina igitur Ecclesiae constitutione nihil plane intellexerunt qui circa sacra ipsa principibus saecularibus iura aliqua contulerunt, et pascendi quoque ac regendi iurisdictionem, vel ex inferioribus clericis, vel ex plebibus retulerunt. Democraticum hoc sistema eo ipso explodítur, quod spirituale imperium ex Christo illabebatur in Apostolos, ex his vero in inferiores clericos, neutiquam vero ex istis vel ex plebibus in illos assurgebat. Plurics quidem ruina haec, ecclesiasticum magisterium penitus evertens, pertentata est in Ecclesia, novissime quoque atque ardentissime a Protestantibus, a legulcis deinde et Ianscnistis ad illorum placita accedentibus, quod summum erat populo collatum imperium; verum Christi verbis firmiter inhaerens Ecclesia, servavit seipsam, suam retinens institutionem. Nam quemadmodum episcoporum, ipsiusque patriarchae Constantinopolitani, imperatorum fraudibus et violentiis suffulti, in Romanum Pontificem repulit insurrectiones; sic nec passa est presbyteros vel parochos insurgentes in episcopos; eoque minus quamcumque plebium auctoritatem in pastores. Plebem ultro accivit in electionibus, po-

stulationis gratia, non iure suffragiorum; sed prudenter sustulit quod libere contulerat, turbis iam et factionibus omnia miscentibus. Unde mirum est, populorum turbis hac foecundissima aetate, extitisse eos qui hanc Ecclesiae prudentiam imprudenter vellicarent. Da sanctorum Ecclesiam, qualis olim obtinebat, iterum libenter non solum testimonia de pastoribus eligendis, ut nunc de ordinandis clericis, sed eae quae antiquitus in eligendis pastoribus partes restituentur: da eam quae nunc est, dum regna ipsa populorum procellis extremo dolore et fato deficiunt, et perspicies quantae esset dementiae seditionibus fomenta subministrare (*a*).

XIX. Hisce de iure constitutis, si velis democratiam inveniri in Ecclesia, populum nempe miserorum, non diffitebimur; quos appellare reges, dum omni conficiuntur amaritudine, irrisio esset atrocissima, scenicis tribunis relinquenda. Christus, non humanitatis irrisor sed restaurator, iis non imperium sed charitatis opera et subsidia elargiebatur. Prima divini pueruli verba in templo: « Evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde 1). » Qui deinde « pertransiit benefaciendo et sanando 2). » Eius vestigia legens Ecclesia, plebem conquisivit, collegit, excoluit, fovit, assumpsit, suisque gradibus et honoribus cumulavit: quae democratici inaniter crepant, opere illa perfecit.

1) Is., LXV, 1; Luc., IV, 18.
2) *Act.* X, 38.

XX. Breviter itaque concludimus: regiminis genus optimum est in Ecclesia, in qua excellit 1. imperii unitas; 2. in unitate maxima varietas; 3. in universa multitudine actio et vita. In civilibus autem genus illud optimum dicemus, quod universim naturae humanae, deinde vero acquisitis iuribus, traditionibus, moribus, temporibusque optime coaptetur. Nihil vero puerilius vel absurdius, quam traditiones populorum violenter abrumpere,

(*a*) Est quoque sua erroribus societas: nuper quum democratica praedicabantur imperia, repente democratica efferebatur Ecclesia. Semel populo commissis episcoporum electionibus, eadem mala irrumperent in Ecclesiam, quae in regimina saecularia: turbulenta omnia et lutulenta. Ius unum in Ecclesia: Pontifex Romanus iurisdictionem confert episcopalem. Haeretice Jurieu: « L'élection du peuple est seule essentielle a l'établissement des pasteurs (*Syst. de l'Eglise*, p. 578). Non recte Guizot: « Les évêques ont été longtemps choisis par leurs subordonnés » (*Hist. gén. de la civilis. en Europe*, 5 leçon). Praxis quidem varia pro temporibus: nimia quandoque principes, quandoque populi ausi sunt: nihil tamen unquam ultra postulationes laicis concessum est. Ut in clericos viri eligerentur *boni testimonii*, rite eorum nomina publicabantur. Quam sapientiam imitatus est imperator Alexander Severus: « Ubi aliquos voluisset, vel rectores provinciis dari, vel procuratores ordinare, nomina eorum coram proponebat, hortans populum ut si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus; si non probasset, subiret poenam capitis. Dicebatque grave esse, cum id Christiani et Judaei facerent in praedicandis sacerdotibus qui ordinandi sunt, non fieri in provinciarum rectoribus, quibus fortunae hominum committuntur et capita » (Lamprid., *Vita Alex. Sever.*). Quaestionem de electionibus, ex Tommasino versat Augustinus Theiner: *Lettere storico-critiche intorno alle cinque piaghe della santa Chiesa.* Napoli 1849.

morum nullam rationem habere, atque extemplo conceptam regiminis formam universis gentibus obtrudere.

TITULUS X.

RELATIONES ET VICES ECCLESIAE AD IMPERIUM CIVILE.

I. Ecclesia et Imperium sunt divino iure sociabilia. II. Recensentur temporum vices. III. 1. Status belli. IV. 2. Status foederis a Constantino, bono et malo exitu. V. 3. Primatus Ecclesiae in Imperium, toto medio aevo, ex necessitate et gentium voluntate. VI. Iniuria aberat. VII. 4. Reactio Imperii in Ecclesiam, cur et a quibus. VIII. 5. Dominatus Imperii in Ecclesiam per iura *protegendi*, *cavendi*, *inspiciendi*, *subveniendi*. IX. 6. Nunc legalis atheismus addit ius *dividendi*, ius *expellendi*. X. Divisio Ecclesiae a Statu quid sit, quid ferat. XI. In adversariis lusus verborum et mala fides. XII. Peior adhuc status *autonomia*, foedifraga, expolians, persequens, libertatis et protectionis argumento. XIII. His gradibus legalis atheismus incessit, cui ipsa gentilium politica aditus praecluserat. XIV. Alicubi via sternitur protestantismo, veluti auxiliatori politico.

I. Ecclesiam invenimus non ut exemplar modo, ex quo plurimum, si velint, proficient rerum civilium magistri; verum ut Sacerdotale Imperium, iure divino hominibus indictum. Eius ministri sunt *in Statu*, quia homines et cives sunt; Ecclesiae autem iura, quae illi administrant, non sunt *de Statu*, neque *in Statu*, sed de caelo, et in ipsa sunt Ecclesia, et res sunt Ecclesiae, cui a Christo immediate conferebantur. Sacerdotali hoc imperio, spiritibus redemptis, civilis quaedam humanitatis redemptio peragebatur, gentibus nova iura constituebantur. Ne autem ius iuri adversaretur, qui sacerdotale et civile imperium condiderat Deus, eadem fecit sociabilia. Quid enim absurdius, quam vel non sociabilia esse, vel dissocianda haec duo societatis fundamenta? Sunt igitur Ecclesiam inter et Imperium relationes divino iure constitutae et servandae. Quarum cum variae fuerint temporum vices, has primum investigemus, ut demum aliquid de iure statuamus.

II. Tempora hoc ordine recensemus: 1. status belli; 2. status foederis usque ad iuris excessum; 3. primatus Ecclesiae in Imperium; 4. reactio Imperii in Ecclesiam; 5. dominatus Imperii in Ecclesiam; 6. abscissio Ecclesiae ab Imperio.

III. 1. Status belli. Nota est persecutio quae a Nerone exarsit usque ad Constantinum. Christiani ut rei divinae atque humanae maiestatis, ut sacrilegi et perduelles, romanis legibus damnabantur. Refert Paulus iurisconsultus: « Qui novas, et usu vel ratione incognitas religiones inducunt, ex quibus animi hominum moveantur, honestiores deportantur, humiliores capite

puniuntur 1). » Vel ut declarat Heineccius: « Humiliores bestiis obiiciebantur, vel vivi exurebantur, honestiores capite puniebantur, uti de suis temporibus testatur Paulus 2). » Deficiente imperatorum feritate, imperii lege communi et universali, a praesidibus vel plebibus, sanguinis rerumque cupiditate, christiani expoliabantur et mactabantur. Tortoribus Ecclesia opponebat mansuetudinem, veritatem, suorumque virtutes atque ingenia clarissima: quicumque enim animo vel mente excellebant, ad illam confugerant. Novum belli genus! Deus illud patiebatur, ut divina Ecclesiae virtus illucesceret, ut nullo humano praesidio triumphans illa orbem subigeret; demum ut scirent Caesares huius saeculi, Deum Ecclesiam constituisse sine illis et in illos, et pro ea et contra illos se pugnaturum usque in saeculorum consummationem.

1) Lib. V. *Sententt.*, tit. 21.

2) *Exer.* IX, 1.

IV. 2. Status foederis. Ab impossibili iam certamine recesserat Constantinus, mentis prudentia, *instinctu Divinitatis* (*a*). In subsidium labentis imperii advocat Ecclesiae virtutem et sapientiam. Forum episcopale et ecclesiasticas approbat immunitates, quae adeo iuri naturali congruere videntur, ut a paganis quoque gentibus inter sacrorum iura adscripta fuerint. Magnanimo principi Ecclesia gratulabatur; sed miserabili fato, iura sacra et civilia alicubi permiscebantur. Dum enim in re civili, forensium usque iudiciorum partem Constantinus in episcopos transtulerat (*b*), episcopi sacra nonnulla, protectionis titulo, ab illo peragi patiebantur: ut externa conciliorum convocatio, annuente Pontifice Romano; *externi Episcopi* dignitas atque ho-

(*a*) Arcui Constantiniano Senatus inscripserat: IMPERATORI CAESARI FLAVIO CONSTANTINO MAXIMO PIO FELICI AUGUSTO SENATUS POPULUSQUE ROMANUS, QUOD INSTINCTU DIVINITATIS, MENTIS MAGNITUDINE, CUM EXERCITU SUO, TAM DE TYRANNO QUAM DE OMNI EIUS FACTIONE, UNO TEMPORE, IUSTIS REMPUBLICAM ULTUS EST ARMIS, ARCUM TRIUMPHIS INSIGNEM DICAVIT. In lateribus: LIBERATORI URBIS. FUNDATORI QUIETIS.

Ut vero illud magis pateret DIVINITATIS INSTINCTU, Constantinus, ut refert Eusebius, suo ipsius simulacro, dextera Labarum regenti, subscripserat: HOC SALUTARI SIGNO, VERO FORTITUDINIS INDICIO, CIVITATEM VESTRAM TYRANNIDIS IUGO LIBERAVI, ET SENATUM POPULUMQUE ROMANUM IN LIBERTATEM VINDICANS, PRISTINAE AMPLITUDINI ET SPLENDORI RESTITUI (Euseb., *Hist. Eccles.*, XI, 9).

(*b*) « Fuit hoc etiam argumentum vel maximum reverentiae, quam pius princeps erga religionem gerebat. Nam et omnes ubique clericos immunitate donavit, lege hac de re specialiter data; et litigantibus permisit ut ad episcoporum iudicium provocarent, si magistratus civiles reficere vellent; eorum autem sententia rata esset, aliorumque iudicum sententiis praevaleret, perinde ac si ab imperatore ipso data fuisset; utque res ab episcopis iudicatas, rectores provinciarum eorumque officiales executioni mandarent » (Sozom., *Hist. Eccl.*, I, 9). Item: « Quicumque litem habens, sive possessor, sive petitor erit, inter initia litis, vel decursis temporum curriculis, sive cum negotium peroratur, sive cum iam coeperit promi sententia, iudicium eligit sacrosanctae legis antistitis; illico sine ulla dubitatione, etiamsi alia pars refragatur, ad episcopum cum sermone (*allegationibus*) litigantium dirigatur » (*Extravag.* I, ad calcem Cod. Theod.]. Cui legi etsi genuitas deficeret, remanent Sozomeni dicta,

nor; in rebelles et tumultuantes haereticos tutela et praesidium. Quae adeo excurrerunt, Bysantinorum praesertim vanitate atque odio in Romanos, ut externus episcopus, legum nempe ecclesiasticarum non iudex sed defensor, in templum atque in iudicia pedem intulerit. Hinc illa malorum seges, qua, favente Iure Romano, laicalis potestas usque ad nos sacra plurima pertraxit. Gentibus tamen perutilia extiterunt illa Ecclesiae atque Imperii foedera: nam leges et mores magis magisque accesserunt ad evangelicam aequitatem, mansuetudinem atque sapientiam; illaque vi publica in dies augebatur Ecclesia, qua, irruentibus Barbaris et dilapso undique imperio, fractas gentes in novam conderet societatem.

V. 3. Primatus Ecclesiae in Imperium. Crimen a philosophis et politicis nunquam Ecclesiae dimittendum, hoc est: quod, incumbente medio aevo, extinctis legibus, Romano ipso Codice ex hominum notitia penitus obliterato, gladio et vi brutali ubique imperantibus, Ecclesia romanarum legum retineret consuetudinem, violentiis iura praeferret, Barbaros sive subditos sive principes ad aequitatem et humanitatem adduceret, veteris civilitatis reliquias, scientiarumque et artium semina foveret, atque deficientem Europam materuis ulnis amplecteretur. Tunc quum nihil salutis principibus et gentibus, praeter quam in Ecclesia, reliquum esset, illius fides et leges in constituta populorum fundamentalia evaserunt, novumque ius constitutum. Hoc ius publicum, sacrum et civile, ad sacra propterea et civilia extendebatur. Varia tamen ratione: « Nam, inquit Moehler, vere sacerdotalis auctoritas spiritualibus continetur. Si in media aetate hos limites excessit, ratio tota pendet ex illo aevo. Praeter iura *essentialia*, Pontifices ex adiunctorum vi iura acquirunt *accidentalia*, et pro temporibus mutabilia 1). » Sic autem mediae illius aetatis publicistae ratiocinabantur, exponente Friderico Eichornio, viro protestante: « Christianismus, Deo ordinante, una est totius orbis societas, iis regenda potestatibus, quas Deus ipse constituit. Potestas duplex, spiritualis et temporalis: utraque in Pontifice, Dei vicario, eiusque nomine visibiliter agente. Ex illo itaque, et sub ipso, imperium habet imperator, aliique principes, pro rebus saeculi duces constituti. Duo simul imperia amice conspirent. Omnis potestas est igitur a Deo, quum societas et imperium sint a Deo 2). »

1) Moehler, *la Symbolique*, liv. I, ch. 5, §. 43.

2) Eichorn, *Hist. de l'empire et du droit germanique*, t. II, p. 376; 3. edit., 1831.

VI. Exceptiones aderant: nihil tamen in exposito iure, quod Ecclesiae crimini verti possit. Si hisce temporibus liberum videtur, iura publica elicere ex summa populi potestate, cur non licuisset antiquis dignius illa attingere, etsi cum aliqua exaggera-

unde constat voluntarium quidem, sed verum et supremum fuisse in re civili episcoporum iudicium. Quod nec gratuito constituebatur: diutius enim didicerant christiani ad episcopos lites deferre, quorum aequitas et gentiles ipsos attraxerat.

tione, ex summa Dei potestate? Si Britanniae, aliisque nunc imperiis constitutum est, imperandi ius eo ipso exui principem qui reformatam abiiciat religionem, cur gentibus mediae aetatis integrum non fuisset constituere, ut eadem poena reges plecterentur, si in haeresim incidissent? Quis autem haeresis iudex, nisi Pontifex? Hoc certum est ex Leibnitio, ius illud divinum europearum gentium familiam ex naufragio abstulisse, atque ad iuris et concordiae unitatem perduxisse. Hoc pariter documenta confirmant, Pontifices auctoritate semper usos in iurium defensionem, iniuriarum autem coërcitionem: adeo ut « iure affirmari possit, *ne exemplum quidem esse* in omni rerum memoria, ubi Pontifex processerit adversus eos qui, iuribus suis intenti, ultra limites vagari in animum non induxerunt 1). »

1) Senkenberg, *Methodus iurisprud.* addit. 4. *de libertate Ecclesiae German.* §. 3.

VII. 4. Reactio Imperii in Ecclesiam. Doctrinam qua imperia saecularia veluti emanationes existimabantur divinae potestatis per Ecclesiam, principes ipsi provocaverant atque sanxerant, ut imperia ipsa in populorum aestimatione quamdam consecrationem acciperent. Interdum tamen in illam, atque in sic constitutam pontificiam auctoritatem nitebantur, iam labente medio aevo, ut in diuturna ac vehementissima quaestione de investituris; imperatores autem, si constituto Pontifici se subiectos fatebantur, in illo eligendo et constituendo varias sibi partes arrogaverant. Hinc plurimae concertationes, et principum et imperatorum, cum Romana Sede explicantur. Tandem, exeunte vel dilapso medio aevo, haereticorum versutia, et rabularum ignorantia, Romanos Pontifices veluti regnorum iuriumque civilium invasores tradiderunt. Historici deinde quam plurimi, ut Claudius Fleury, et qui ex Iansenistis prodiderunt theologi vel canonistae, mediae aetatis publicam iurisprudentiam minime intelligentes, vel malitiose detorquentes, principum reactionem in Ecclesiam totis viribus fovere nisi sunt. Nunquam verior quam in hac re, et levissima hac aetate, s. Hieronymi sententia: « Multi labuntur errore propter ignorantiam historiae. » Sed illud iam divina providentia factum est ut protestantes ipsi Müller, Raumer, Wilken, Voigt, Ranke, Hurter, catholicos nonnullos iusto pudore suffunderent. Si vero rabulis et Iansenistis politicos addas ultimae aetatis, constrictam aciem perspicies, Imperii nomine, iura Ecclesiae proterentem.

VIII. 5. Dominatus Imperii in Ecclesiam. Sedulo hic perpendenda errorum series, qua modo audax, modo invida, modo haereticalis quaedam iurisprudentia nos ad propositam Ecclesiae et Status calamitatem perduxerat. 1. Ius *protegendi* in tutelam conversum est, quo rabulae, principum favore, Ecclesiae res et iurisdictiones in regiam contulerunt potestatem. Hinc *libertates gallicanae*, verius dictae ab ipso Fleury *servitutes ecclesiae gallicanae*, in Italiam abundantius translatae. 2. Iure *carendi* ex Protestantibus mutuato, Ecclesiae auctoritas pure divina, a ca-

tholicis diu oppugnata atque demissa. Hinc leges Iosephinae et Leopoldinae, quibus iam praecesserant leges plurimae Neapolitanae et Subalpinae. 3. Iure *inspiciendi*, communicatio fidelium vel episcoporum cum Romano Pontifice vinculis obstricta est ac fere impedita: in quo Iosephus II, eiusque successores excelluerunt, usque ad praesentem imperatorem Iosephum Franciscum, cuius recta mens Ecclesiae meliora atque Imperio salubriora pollicetur. Hinc *regium exequatur*, quoddam quasi vectigal, quo regii ministri sibi litteras Pontificis subiiciunt, quasi pertimescentes ne illis prohibitae merces in Statum deferantur: inventio odiosa atque incivilis, ni esset in religionem iniuriosa atque indecora (*a*). Hinc quoque censura religiosis scripturis, atque episcoporum litteris, missalibus et catechismis indicta: quae nullibi acrior viguit, quam apud Subalpinos, usque ad annum 1848. Iure demum *subveniendi*, appellatio introducta ab ecclesiastico ad civile tribunal, dicta *ab abusu*, quia hoc illius iudicium, propter iuris abusum, suscipiebat reformandum. Calliditas haec primum inducta pro possessorio, sive ad tuendam possessionem, ex illo subdole irrepsit in petitorium: idest, a facto externo ad ipsam iuris rationem. Indigna catholicorum versutia: si enim in officium peccat episcopus, accessus patet ad superiorem in eadem linea, nunquam vero ab Ecclesia ad Imperatorem (*b*).

IX. 6. Iura (sive abusus) *protegendi, cavendi, inspiciendi, subveniendi*, principes iam arguebant ad protestanticam Status praeeminentiam conversos. Nuper vero, quum legum imperiorumque atheismus, pro optima iuris publici forma, indictus fuerit, alia ineunda erat via: rescissio nempe Ecclesiae a Statu, eiusque expulsio: ius *dividendi*, ius *expellendi*.

(*a*) Regium *Exequatur* non damnat ibi Auctor per se atque universim, ad instar iuris *protegendi*, quod clarissimum est munus regiae Maiestatis; sed propter abusum, quem apud nos avertit Principis religiosa mens atque fidelitas. Imo fit in Ecclesiae praesidium: ne, puta, apocryphae Pontificis litterae pro genuinis venditentur; vel ne forte, ante executionem, ea Pontificem lateant, quae ad rem spectent, eique propterea a Principe eiusve ministris fideliter subiicienda. Hucusque Ecclesiae atque Imperii concordia communisque utilitas fovetur et corroboratur (*Nota Editoris neapolitani*).

(*b*) Appellatio *ab abusu* vel propter abusum, nudum possessionis factum respiciebat ab initio, ne quis inconsulto e re sua turbaretur ante prolatam a iudice ecclesiastico sententiam. Rabulae vero, tractu temporis, ad omnia illam protulerunt, et ridiculi facti sunt. Anno enim 1844, quum Em. C. de Bonald, Lugdunensis archiepiscopus, *Manuale iuris Canonici* censura perstrinxisset a Dupinio consarcinatum, appellavit hic ad Status Consilium, sub rege Ludovico Philippo. Damnatur Archiepiscopus, in re ecclesiastica, a laicis, militibus forsan, iudaeis vel protestantibus. Nonne ioculare iudicium? Nuper autem apud Helveticos et Subalpinos, quum deputati ad Comitia nationalia eligerentur presbyteri suspensi vel suspendendi (mos est), appellatio quoque ad eadem Comitia interponebatur. Nonne ridicula appellatio? Comitia vero ad quae soli fere deputantur huius furfuris presbyteri, nonne plusquam *honorabilia*? Vide: *De l'appel comme d'abus, son origine, son progrès, et son etat présent*, par M. Archevêque de Paris 1845.

X. De hoc ultimo politicorum invento sequentia certissima sunt. 1. Athea lex, progressu temporis, gentes earumque mores in atheismum detrudit. 2. Quum nulla unquam gens extiterit vel esse possit, sine positiva aliqua religione, vera aut ficta, Status a religione divisus seipsum interimit. 3. Si Ecclesia et Imperium (cuiuscumque hoc sit formae), divina ordinatione, eidem regendae societati constituta sunt, non magis in principum erit facultate Ecclesiam a Statu divellere vel expellere, quam Dei legem effringere, eius opera evertere, hominis destinationem abrumpere, humanam in brutorum naturam convertere; uno verbo, Deum ex homine atque e societate expellere.

XI. Inquiunt: Permixta Ecclesiae et Status iura, minora fiunt atque incertiora; seiuncta, liberiora fient et validiora.

Egregia hypocrisis et mala fides: Nam, *indifferentismus* Imperii ad Ecclesiam est impossibilis: vel enim cavet imperans ne illius laedat iura, vel non; in primo casu, velit nolit, aliqua cum Ecclesia amicitia vel societate coniungitur; in altero, fiet inimicus et persecutor. Nos autem nec mixta nec permiscenda Ecclesiae et Status diximus iura: distincta illa sunt, ut animae corporisque officia, non tamen seiungenda vel distrahenda in opposita, ne intereat societatis vita. Distrahuntur autem non ut legitima polleant libertate Ecclesia et Imperium, sed ut Status nullo demum divino vel ecclesiastico iure teneatur, Ecclesia vero durius in Status servitute mancipetur. Huc illa recidit Ciceronis de Epicuro sententia: « Etiam Epicuri liber est de sanctitate. Ludimur ab homine, non tam faceto, quam ad scribendi licentiam libero. Quae enim esse potest sanctitas, si Dii humana non curant? Epicurus re tollit, oratione relinquit Deos 1). » Nostri laudant Ecclesiae libertatem: itaque libellum repudii libenter accipiat, et gratias agat. Sed, boni viri, illi ne quoque bona iuraque dotalia remittitis, quibus divinitus instructa fuit? Minime: ingrati filii, matrem nudam expellitis; et cum apud vos manere debeat, ubi alios habet filios, vos illam coërcetis et in captivitatem deducitis. Ludimur ergo ab hominibus, non tam facetis, quam ad agendi licentiam liberis: *Ecclesiam re tollunt, oratione relinquunt.*

1) *De natura Deor.*, I, 44.

XII. Peiora adhuc habemus et luctuosiora. Cultuum tolerantia, vel Religione etiam Catholica exclusive in legum fundamentalium capite inscripta, ii deinde qui de eius protectione gloriantur, Status *autonomia* in medium adducta, iuratam Pontifici fidem aenea fronte perrumpunt, Ecclesiae leges dissolvunt, excommunicatione laetantur, episcopos excommunicationis societatem repellentes expoliant, in carceres atque in exilia detrudunt. Novis hisce dominatoribus civilis autonomia idem est ac absoluta a quocumque humano vel divino iure emancipatio, Ecclesiae contemptus, et omnium turpissima persecutio. Nam persequebantur Ecclesiam Nerones et Domitiani, sed nulla Imperii lege

protectores Ecclesiae constituebantur. Persecutio itaque novo *protegendi* iure inducta. Sed novum libertatis aevum iactant. Hinc iure *libertatis*, Iudaeis, Valdensibus, Lutheranis, Calvinistis laeta omnia vertantur; Catholicis autem suos habere episcopos, solemnia retinere vota, bonis sacris in sacros fines uti non liceat. Hi ne liberales? Contra, Status autonomia, nisi Titanum sit, suo orbite exercetur, iura divina, leges et pacta veneratur. Protectionem, quae nihil affert praeter vexationes et expoliationes, naturalis sensus execratur. Latens vere protestantismus qui cuiusque nominis sectarios libertatis nomine amplectitur, solos autem catholicos in catholica regione angit ac caedit, explicita apostasia vilior est, periculosior ac foedior.

XIII. Recensiti errores, iura scilicet *protegendi, cavendi, inspiciendi, subveniendi, dividendi,* Status denique *autonomia,* sive nullis limitibus circumscripta auctoritas atque libertas, ad religionis contemptum, et Status atheismum nos perduxerunt. Nec iuvat dicere, statum omnium cultuum esse defensorem, et consequenter nullum se profiteri posse vel debere: qui rem publicam administrant, ut privati cives, religione teneantur; Status vero a quacumque abstineat. Petimus enim an quidquam peioris exempli civibus sit, Statui autem miserabilius, quam illos nullo publico religionis exemplo permoveri, hunc autem, nulli communi religionis signo, se, leges, acta vel gerenda negotia Divinitati commendare. Nova haec, novorumque hominum politica, veteribus sane omnibus inaudita. Graecis, Romanis, aliisque, primum imperii robur religio. Romanis praesertim, nulla erat hominum aetas, nulla conditio, nulla fere actio privata vel publica, nullus vitae gressus, quibus non praeesset a numine Deorum tracta religio. « Maximum et praestantissimum in republica ius est augurum, et cum auctoritate coniunctum, » scribit Cicero, quia augurum oracula ut Deorum habebantur. « Neque vero hoc, prosequitur, quia ipse augur ita sentio, sed quia *sic existimare nos necesse est.* » Necesse, inquam est: extollit enim vires fides publica in Divinitatem; auguris decreto, quasi ductante Numine, ruebant milites in bello, et vincebant. Superstitionem rident nostri. Esto: sed quid utilius civitati, superstitio an nulla religio? Ciceronem audiant sacerdotum iura et vim exscribentem: « Quid enim maius, si de iure quaerimus (*sacerdotum*), quam posse a summis imperiis et summis potestatibus comitiatus et concilia, vel instituta dimittere, vel habita rescindere? Quid gravius, quam rem susceptam dirimi, si unus augur alio die dixerit? Quid magnificentius, quam posse decernere, ut magistratu se abdicent consules? Quid religiosius, quam cum populo, cum plebe, agendi ius aut dare, aut non dare? Quid, legem, si non iure rogata est, tollere? ut Titiam decreto collegii; ut Livias, consilio Philippi consulis et auguris. Nihil

domi, nihil foris, per magistratus gestum, sine eorum auctoritate posse cuiquam probari? 1). »

1) Cic. *de leg.*, III, 12.

XIV. En! Tunc, vera exulante religione, hominum naturam optime interpretantes rerum publicarum moderatores, saltem ex falsa omnia auspicabantur: nunc vesanus furor veram expellit e legibus, e Statu, ut facilius ex imperantium populorumque mente expellatur! Non enim audentes politici anglicani, inter catholicos catholicam fidem eiurare, illam a Statu praecidunt, ut a Papa et Ecclesia liberi fiant. Quod gentes illae videant, quibus ex hac quoque porta, minax instat protestantismus: cuius patroni, gentis suae iura, statuta et codices evertunt, ut illum veluti politicum auxiliarem in civitate excipiant (*a*).

(*a*) Dum Subalpinorum codice religio catholica *pro Status religione* declaratur; dum rex se eius gloriatur *protectorem*, ut eius legum *observantia promoveatur*; dum *Ecclesias et Status concordiae*, magistratus rex ipse iubet advigilare; anno 1851, divisio Status ab Ecclesia a Ministris, a conductis scriptoribus, a iuris professore in Taurinensi universitate praedicabatur. Hae atque aliae quae praecesserant, cumque aliis quae iam impendent, legum fundamentalium violationes, declarant hominum bonam fidem, qui regiminis repraesentativi laudant moralitatem atque legalitatem. Vera quidem legalitas, cum lex quoque *regnat*, idest scripta iacet, sed *non gubernat!*

Plurimas Statuti infractiones a legumlatoribus peractas, recenset vir antiquae fidei, et armorum disciplina illustris, Comes della Torre, sermone ad Senatum habito, die 14 iunii, anno 1852. Inclamat ille: « Abbiamo ancora lo Statuto? Nol penso. » Sanciam deinde legibus religionem et politicam regni constitutionem apertissime demonstrat.

Quam fidelissima rerum magistra, imperantium et populorum historia!

TITULUS XI.

VERA RELATIO ET CONSTITUTIO ECCLESIAE AD IMPERIUM.

I. Distinctione Status ab Ecclesia, animarum captivitas dissolvebatur. II. Spiritualis servitutis et libertatis dogmata. III. Nova captivitas, libertatis nomine invecta. IV. Repellitur iure libertatis et Divinitatis. V. Quaestionis duplex methodus: *rationalistica*, omnia dissolvens; VI. *positiva*, ex factis Ecclesiae constitutionem inferens. VII. Hac verus Deus mediam in societatem revocandus. VIII. Sacerdotium et Imperium ex iure publico Iustinianeo. IX. Ex iure medii aevi. X. Mutua vice in necessitatibus fovebantur. XI. Hinc ordo; XII. libertas; XIII. et salus: nec Inquisitio restauratur. XIV. Ergo fit iuris publici concordia Ecclesiae cum Imperio. XV. Democratica regimina maiori indigent virtute, et religionem oppugnant! XVI. Concordiae servandae canones. XVII. Tempus est, ut hominis iuribus succedant iura Dei.

I. Saeculi huius imperatores corporibus animabusque dominabantur, cum ex Palaestina Romam illa advenerunt: *Reddite quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo.* Irati vehementer Caesares, quod caeli imperator, illis rerum materialium gubernationem relinquens, sibi animarum et religionis imperium vindicaret. Trium saeculorum caedes nondum iniuriam abluerant. Romani imperatores caelum Deo relinquentes, terrarum et rerum atque hominum qui in terra sunt, sibi adscripserant dominatum. Temeritas in iis reviviscit, qui Ecclesiam, divinam nempe civium cum pastoribus societatem, humano coërcent dominatu. Iactant ipsi libertatem. Verbum explicemus: si libertatis nomine ius intelligant se ab humano et divino quoque iure emancipandi, optime quidem illorum sententia; si quae iusta sint libere agendi, non leviter desipiunt ita ratiocinantes. Libertatis enim publicae ius, servitutis iure successerat, quum Dei imperium, super Caesarum et Status imperium constituebatur.

II. Revera, antiquae et novae servitutis dogmata haec sunt: *Caesarem adora; Statum adora.* Sed quid Status, terrena haec divinitas, quae caelestis Divinitatis iura est ingressa? Olim erat despotica interdum monarchia: nunc est manipulus quidam novorum hominum, qui romanorum Caesarum arrogantiam imitantur vel praetergrediuntur. Respondet Libertas, divinum scilicet ius: *Statum non adorabo; quae Status sunt Statui, quae Dei Deo.* Dei autem iura immediate definit et promulgat Ecclesia.

III. Maximum ergo libertatis publicae fundamentum, divinae Ecclesiae iurisdictio, a Statu independes. Haec libertas per omnium fidelium corpus diffunditur, quum sit Ecclesia *fidelium societas, legitimis coniuncta pastoribus, atque in primis Romano Pontifici, omnia quae Dei sunt, interna atque externa, peragens in terris.* Christus hac nos libertate donavit. Obstrepant veteres

vel novi; respondebimus: Neque Caesarem neque Statum adoramus. Hinc novorum irae in Ecclesiam, praesertim in Pontificem, quo illa coadunatur et fulcitur. Hinc in Italiam, in qua caput et cor magni corporis asservantur, violentiae, fraudes, cuiusque generis machinationes. Hinc *moderatorum* secta, qui sinceram, profundam observantiam in Ecclesiam profitentes, verbis eam praedicant e Statu praecidendam, factis vero, modo forum ecclesiasticum, modo matrimonii sacramentum, alias bona Ecclesiae et ordinum vota abradunt: novissimae aetatis Scribae et Pharisaei, qui in re politica se habent ad socialistas, uti ad Lutheranos Iansenistae. Eorum finis, in res, in corpora, in animas ferrea dominatio. Iis unicum ius gentium, Status; prima lex et Divinitas, Status. Eorum systema, universalis captivitas sub nomine libertatis.

IV. Nos e contra superbissimum dominatum repellimus, iure civitatis, iure gentium, argumento libertatis et verae Divinitatis. Quae divinitas locuta est, cum duplex instituebat imperium in terris, Caesaris et Dei. Ecclesiae itaque et civilis imperii relationes sunt perquirendae: ad hanc enim quaestionem graviora nunc iuris publici problemata referuntur.

V. Duplex methodus: *rationalistica*, qua Protestantes et nuperi ferme omnes politici utuntur; *positiva*, qua ex factis recte constitutis iura et conclusiones deducuntur. Methodo rationalistica, iam nihil superest certi in philosophia, brevi nihil erit in iure religioso et civili. Nam pro divina Ecclesia, alia naturalis et rationalistica conficta est a Marsilio, Richerio, De Dominis, Pebronio, universimque a protestantibus, cuius summum imperium esset in multitudine *radicaliter*, in episcopis vero atque in Pontifice *usualiter* vel *ministerialiter*. Multitudinis autem iura, alii eiusdem multitudinis, alii Dei nomine, regibus et principibus contulerunt, quorum saltem gratia et patrocinio tegerentur. Conscripto multitudini imperio utramque everti potestatem, malo eorum fato, duces politici minime adverterant. Sed cum rationalismum flamma sit omnia dissolvens, nullum tandem ius divinum, civile, vel ecclesiasticum, praeter multitudinis arbitrium, reliquum fuit. Atqui ubi arbitrium, ibi nullum a priori summum ius, nulla relatio fixa ac permanens Ecclesiae ad Imperium. Rationalistis accedunt qui, catholicam confitentes Ecclesiam, populi vel Status vel principis nomine aut praetextu illius leges atque instituta suo arbitratu moderari nituntur, unde imperia civilia concutiuntur primo, atque ad necem usque pertrahuntur (Cf. PHILIPPS, *Droit eccl.* t. III, *Rapports de l'Église et de l'Etat*. Paris, 1851). Laudentibus, vel somniantibus rationalistis, methodum positivam obiicimus.

VI. Methodo *positiva* utitur homo ferè a nativitate, quum inspiciat an terra sit an abyssus, priusquam pedem figat; an flos vel serpens; an vitalis cibus an venenum. Sic iura politica et so-

cialia describens, perpendat necesse est, quid et unde homo eiusque societas, quam legem a Deo retulerit, quo tendat, quibusque viis: oracula, uno verbo, consulenda sunt naturae et Divinitatis. Haec sunt facta positiva et realia, a quibus si abstrahas, rationalismo et somniis delectaberis; phantasticum hominem, societatem et Statum effinges. Facta vero illa sunt creatio hominis, eius casus, atque divina restauratio, necnon homini superaddita ac divinitus affulgens revelatio. Si factorum historicam fidem admittis, si Alexandri vel Caesaris existentiam, ergo et Christi eiusque factorum admittes, inter quae sunt miracula, Divinitatis signa. Si Christus est Deus, ergo divina Ecclesia, vices eius gerens, tota atque integra hominibus et principibus recipienda. Hoc nixus fundamento, Ecclesiam inquire: illam divina maiestate, divino iure atque autonomia, sive divina libertate praeditam invenies; imo iam invenimus de vera religione pertractantes 1). Ex Christi enim institutione et saeculorum testimonio, est Ecclesia Catholica non collegium, non familia, non imperfecta vel privata societas: sed Regnum est sui iuris, non *de hoc mundo*, nec de mundi huius imperatoribus iura referens, quae immediate extulit e Deo Patre per Christum. Irreformabile Regnum atque Imperium, quod frustra docent rationalistae ab Imperio civili fore absorbendum, et demum, progrediente humanitate, Ecclesia et Imperium civile absorbeantur in Socialismo, veluti in vere libera et redempta familia. Videant principes ne iura Ecclesiae absorbendo in seipsis, primum illud socialistarum caput exequantur, ipsimet eodem gurgite absorbendi. Hoc iamdiu impelluntur, atque utinam non delabantur! Si Christus talem Ecclesiam instituit, superest ergo ut vel Deum et Christum reiicias, vel liberam a Statu Ecclesiam admittas 2).

1) Lib. I, tit. XI

2) Cf. *Saggio intorno al Socialismo e alle dottrine e tendenze socialistiche*, Appendice.

VII. Positiva hac methodo, omnium verissima ac simplicissima, ex profundissimo gurgite saucia et laborans societas extrahenda, Deus in mediam societatem iterum est advocandus. Deus, iniquam, non Dei nomen tantum, non phantasma Divinitatis, quod homini vel Statui subiiciatur; sed verax Deus, qualis seipsum per dogmata revelavit; per conscriptos codices, qui codices fiant et Status et populi; per Ecclesiam, quae eius visibile est imperium in terris constitutum; per eam demum Ecclesiam, quae vere opus sit Dei. Nam qui illam constituit Deus, illam quoque gentibus et regibus praefecit, ut iam inde una familia unaque civitas coalescerent, terrena simul et divina, *Ecclesiae atque Imperii officiis amice coniunctis, non permixtis.*

VIII. Expressam ultimo sententiam verbis efferam Imperatoris, illis nempe temporis, quo societas e paganismo laboriose ad christianismum assurrexerat: « Maxima quidem in hominibus sunt dona Dei, a superna collata clementia, SACERDOTIUM et IMPERIUM: et illud quidem divinis ministrans, hoc autem humanis praesidens, ac diligentiam exhibens. Ex uno eodemque prin-

cipio utraque procedentia humanam exornant vitam. « En duo fundamenta, quibus nova et exordiens societas constituebatur: Sacerdotium, Imperium. Nunc de eius concordia: « Bene autem, prosequitur, omnia geruntur et competenter, *si rei principium fiat decens et amabile Deo*. Hoc autem futuntur esse credimus, si *sacrarum regularum observantia custodiatur*, quam iusti, et laudandi, et adorandi inspectores et ministri Dei verbi tradiderunt Apostoli, et sancti Patres custodierunt et explanaverunt 1). » Attende haec duo: 1. *si rei principium*, unde utriusque potestatis iura secernantur, non sit aemulatio et invidia, sed *fiat decens et amabile Deo* (*a*); 2. officia Imperii illa sunt, ut *sacrarum regularum observantia custodiatur*: quae est regia vis et protectio. Rationem alibi affert Imperator: « Quia quod in religionem divinam committitur, in omnium fertur iniuriam 2). » In iniuriam scilicet Ecclesiae et Imperii, unde utraque sunt potestate coërcenda.

1) Iustin., *Nov.* VI, praef., ad clacem *Codic. Iust.*

2) *Cod Iust.*, lib. I, tit. 5, 4.

IX. Sacerdotium et Imperium, *ex uno eodemque principio utraque procedentia*, se mutuis fovent praesidiis. Dum enim Sacerdotium imperantibus obedientiam iubet adhibendam, divina omniumque efficacissima auctoritate; ex alia parte imperantes ipsi decreverant: « Volumus atque praecipimus, ut omnes suis sacerdotibus, tam maioris ordinis quam et inferioris, a minimo usque ad maximum, ut summo Deo, cuius vice in Ecclesia legatione funguntur, obedientes existant. Nam nullo pacto agnoscere possumus, *qualiter nobis fideles existere possunt, qui Deo infideles, et suis sacerdotibus apparuerint;* aut qualiter nobis obedientes, nostrisque ministris ac legatis obtemperantes erunt, qui illis, in Dei causis et Ecclesiarum utilitatibus, non obtemperant... Iubemus ergo ut omnes eis, pro viribus, ad eorum peragenda ministeria, et ad malos et peccatores atque negligentes homines distringendos, summopere obedientes existant. Qui autem in his, quod absit, negligentes eisque inobedientes fuerint inventi, sciant se nec in nostro imperio honores retinere, licet etiam filii nostri fuerint, nec in palatio locum, neque nobiscum aut cum nostris societatem aut communionem ullam habere, sed magis sub magna distinctione et ariditate poenas luere, ... sed etiam infames atque reprobi manifeste apparentes notabuntur, eorumque domus publicabuntur, et ipsi exiliabuntur 3). »

3) Baluz. *Capitular.* t. I, p. 347; anno 803.

(*a*) Quum principium illud *decens et amabile Deo* in gentibus invalesceret, praeter ea quae stricti sunt iuris, illa quoque quae religionem vel pietatem utcumque afficerent, ecclesiastica iurisdictione censebantur. Huius generis sunt testamenta, pacta et obligationes quibus iurisiurandi fides accederet, matrimonii effectus pure civiles propter sacramentum, viduarum et orphanorum causae, peregrinorum vel naufragorum bona etc. Universalem adeo consuetudinem nec ipse protestantismus extinxerat ab initio (Walter, *Droit eccl. de toutes les confessions chrétiennes*. § 176). Abundabant illi; sed videant nostri num civilior fuerit illa societas, qua graviora negotia religionis numine tegebantur, an praesens qua religiosa iurisdictio et vis latissime despicitur.

X. Hac procedebant concordia, ad societatis constitutionem, ordinem et decorem, Ecclesia et Imperium: quae concordia, difficillimis temporibus, magis firmabatur, quemadmodum, impendentibus hostium copiis, vires omnes colliguntur. « Tempus est, episcopos alloquebatur Edgarus rex, insurgendi contra eos qui dissiparunt legem Dei. Ego Constantini, vos Petri gladium habetis in manibus: iungamus dexteras, gladium gladio copulemus, ut eiiciantur extra castra leprosi, ut purgetur sanctuarium Domini... Non deerit regia potestas, ut et episcopali censura et regia auctoritate, turpiter viventes de ecclesiis eiiciantur, et ordinate viventes introducantur 1). » Alter vero rex ad Pontificem scribebat: « Nihil tibi, Sanctissime Papa, possum negare, cui per Deum omnia debeo. Omnia quidem, quae pro Ecclesiae necessaria reparatione, synodaliter instituit et reformavit Paternitas tua, *ut filius laudo, confirmo et approbo;*... et in aeternum mansura, et *inter publica iura semper recipienda,* et humanis legibus solemniter inscribenda,... coram Deo et Ecclesia ita corroboramus 2). »

1) *Oratio* Edgari *ad Dunstanum*; ap. Labb., *Concil.* t.IX, p.697.

2) Henrici *resp.* ad Bened. VIII., Labb., ibid., p. 831.

XI. Inde, obiiciunt, confusio, duplicata tyrannis, inquisitio. Inde, reponimus, ordo, libertas, salus.

Ordo. Quemadmodum enim ordinatur familia ex patris et matris consensione; ita mutuis auxiliis, atque alterna legum civilium et ecclesiasticarum sanctione, ordinatur civitas christiana.

XII. Libertas. Consentiens enim Ecclesiae rex, et tyrannice imperans, nunquam extitit, nec fiet: contra, ordinarie loquendo, qui Ecclesiam et populos vexant. Ecclesiae de regibus doctrinam, politicis fidenter subiicimus expendendam: « Rex a *recte agendo* vocatur. Si enim pie et iuste et misericorditer agit, merito *rex* appellatur; si his caruerit, non *rex,* red *tyrannus* est,... Regale namque ministerium specialiter est *populum Dei* gubernare et regere cum aequitate et iustitia, et ut pacem et concordiam habeant studere. Ipse enim debet primo defensor esse Ecclesiarum et *servorum Dei,* viduarum, orphanorum ceterorumque pauperum, necnon et omnium indigentium 3). » Qui rex, qui tyrannus dicatur, perpende: non suis ille servis praeest, sed *populo Dei, servis Dei.* Haec iam disserebant Concilia, Parisiense, Aquisgranense, Moguntinum, annis 829, 836, 888. Hisce maiori affinitate iungebantur Ecclesia et Imperium. Hisce reges ipsi in Capitularibus, mixtis nempe comitiis, subscripserant. Quam vero haec absunt a nostris, qui larvatam tyrannidem in sua illa Status autonomia instaurant ac promovent! Quando igitur non iura ferrent divina, iuberet tamen populorum libertas, ne Ecclesiae auctoritatem principes despiciant, atque cum illa ex concordi animo et communi sententia iustitiam administrent.

3) Balut., *Capitular.*, t. I, p. 1146.

XIII. Salus. Perversis animi affectibus et doctrinis, non minus quam factis, nisi cohiberentur, salus publica intercideretur. Atqui doctrinis et affectibus praesertim advigilat Ecclesia; Im-

perium iis tantum quae patent. Si utriusque opus adspiret, nonne securior erit civitas? Hic vero nihil cum Inquisitione commune: in haereticos, veluti reos divinae maiestatis, poenam sanguinis tulerunt imperatores, non Ecclesia; hispanicae Inquisitionis excessus. Pontifices expressis litteris reprobaverunt. Generatim, ut de Inquisitione verbum afferamus, quum illa exorta est, non de aliquo errore, sed de servanda agebatur societate: iam enim extunc haereticis communis erat insurrectio in Ecclesiam, in imperia atque in societatem; quod deinde opus Protestantium plurimae sectae prosecutae sunt. Ipsa, quam non laudamus, hispanica Inquisitione, a Mauris Hispania libera evasit, nec Protestantismum suscepit, a quo cruentioribus armis et caedibus subacta fuisset. De hac Balmes: « Nostramne nobis intoleratiam vel feritatem obiicient exteri? Respondemus, dum religiosis bellis Europa sanguine aspergebatur, Hispania erat in pace. Quoad victimas, civilissimas gentes Britanniam et Galliam provocamus, ut suas eorum temporum historias ostendant et conferant: comparationem non pertimebimus 1). »

XIV. Hoc unum volumus: divinam ordinationem, cum populorum utilitate, ut Ecclesiae atque Imperii concordia pro gentium publico iure constituatur, iubere et expostulare. Constat ex dictis. Nunc addimus: popularia regimina maiori adhuc urgeri necessitate.

1) Balmes, *Il Cattolicis.* cc. XXXVII., cf. Maistre, *Lettres sur l'Inquis. espagn.*

XV. Vigent enim illa virtutibus, ait Montesquieu. Atqui ubinam virtus sine religione? Popularia quaeque regimina, virtutis defectu conciderunt. Ante et post Cromwellum, « Britannia ingenti atque inefficaci conatu democratiam quaesiverat, et non invenit, vanitate iam omnia possidente, atque factione factionem impellente: in priori itaque et damnato regimine iterum consedit 2). » Non alia nunc causa, populorum plagis plagas addit democratia pura vel mixta, nisi quia virtus cum religione defecit. Quod tandem Britannia ipsa intellexit, religionis suae reliquiis firmiter inhaerens; dum alibi novi homines religionem, subdola vel aperta persecutione insectantes, popularia regimina ad interitum urgent. Imbecilles! Britanniam adorant, genuflectunt et non imitantur. Quis illic convicium in religionem proferet? Alibi, quodnam vile convicium quod in religionem non recidat? Hi autem cum religione virtutem, et cum virtute libertatem perimunt, et cum libertate imperium excidunt. Nec Statum iuvat legibus quamdam scribere religionem: vanitas enim est religio legalis, aeque ac charitas legalis. Res illa est animorum, ad quos legibus humanis nullus patet accessus: suadetur divinitus, non humanitus imperatur. Itaque regimina quae ad democratiam inclinant, et religionem oppugnant, non infirmantur, sed mortua sunt: belluam exsolvunt ac nutriunt, a qua devorabuntur. Non suspecta auctoritate concludimus: « Graeciae politici, in regimine populari, non aliud quam in virtute, imperan-

2) Montesq., *Esprit des lois*, III, 3.

di praesidium agnoverant: nuperi nihil nisi de machinis, de commerciis, de divitiis, vel de luxu loquuntur 1). »

1) Montesq., ib.

XVI. De concordia igitur generatim servanda inter utramque potestatem, nullum superest dubium: adversa opinio, Guizot fatente, miserabile est subterfugium, utramque evertens, praetextu mutuae libertatis. Applicationes vero facile occurrent, si bona fides adsit. Nam si Deus in Ecclesia umbratilem non instituit societatem, quae ad dogmata, ad mores, ad cultum internum atque externum, necnon ad fidelium corruptionem pertinent, ecclesiasticae iurisdictioni adscribentur. Singillatim vero iura illa removeantur *protegendi, cavendi, inspiciendi, subveniendi*, prout titulo X exponebantur. Deinde Ecclesiae sarta ac tuta sint sequentia. 1. Libera omnium episcoporum et fidelium cum Romano Pontifice communicatio. Qui enim Pontificum catholicis gentibus *exteram* dicunt *potestatem*, vel tyranni sunt, Henrici instar et Elisabet reginae; vel scurrae. Quis namque proximior vel intimior, quam pastor ovibus, vel filiis pater? 2. Libera evangelii praedicatio, errorum expunctio, rerum ecclesiasticarum possessio vel administratio, et conciliorum convocatio. 3. Libera in disciplinis ecclesiasticis clericorum institutio. 4. Libera ad expromenda consilia evangelica, votorum professio et associatio, propter heroica virtutum exempla, scientiarum praesidia, viriumque coniunctarum incrementa (*a*). 5. Puerorum in fide et moribus libera educatio: ut iuventus, una simul, ad litterariam et moralem sive religiosam vitam componatur (*b*). 6. Vigentium Ecclesiae legum, nec matrimonialibus exceptis, executio. 7. Concordatis ple-

(*a*) Homines *novi* tyrannicam reipublicae vel Status dominationem, quam Plato in sua *Republica* descripserat, ubique restaurant. Dogma hoc capitale in republicanorum codice, Triumviri romani candide expresserant die 27 aprilis 1849: « La republica Romana in nome di Dio e del Popolo, considerando che la *vita* e le *facoltà* dell'uomo appartengono *di diritto* alla Società ed al paese; che la Società non può ammettere vincoli irrevocabili che alienino da lei e restringano in certi limiti la *volontà* e l'*azione* dell'uomo: il Triumvirato decreta » etc. Ita religiosi ordines eorumque vota dissolvebantur, plenissima illa potestate, qua « *la vita, le facoltà, la volontà e l'azione dell'uomo appartengono di diritto alla Società:* » *cioè allo Stato o al Triumvirato.*

(*b*) Ex eodem principio illud proficiscebatur tyrannidis genus, quo omnes *filii populi* a Statu, veluti a patre universali, sint educandi. Interim vero Status ipse pantheismum docet, revolutionem, atheismum: quod fiebat in Gallia, saltem ab anno 1830 ad 1850. Est enim quasi ius, ut Revolutio europea iuventutem sibi instituendam arripiat, quo incoeptum opus ad exitum perducat. Ecclesia itaque, et praesertim ordines religiosi, ab educatione erant expellendi. Verum, bonam finge intentionem. Ubi catholici iuvenes, hebraei et protestantes simul colliguntur, quamnam habebunt institutionem? Nullam certe religiosam; imo irreligiosam: etenim praeceptor, qui simul esse non potest catholicus, protestans vel hebraeus, in litteris tradendis, vel historiis, vel scientiis, auditorum interdum offendat fidem, necesse est. Igitur in patres et filios inconsultissima est tyrannis, Status exclusiva educatio in hisce adiunctis. Hoc unum ius est possibile ac legitimum: *ubi viget libertas cultuum, libera institutio et educatio ipsis cultibus relicta.*

na atque sincera fides, ubi adsint. Quae, aliaque, breviter colligebat Imperator: « si rei principium fiat decens et amabile Deo, si sacrarum regularum observantia custodiatur » (§ VIII). Aurea haec sunt, ipsaque sufficient si recto animo perpendantur.

XVII. Nihil non molitum est, ut sacerdotalis et regia potestas, suprema vitae civilis fundamenta, a se invicem distraherentur, sicque facilius oppugnarentur. Ubertissimam inde, nimiumque miseram fructuum segetem, principes et populi collegimus. Tempus esset, ut, unde mala orta sunt, illic remedia afferantur. Revolutio quae anno 1789 a fallaci *iurium hominis declaratione* sumebat exordia, non quiescet nisi principes et gentes regrediantur ad *iura Dei*. Quam politicae societatis restaurationem per ius divinum aeque ac pontificium, amplissima rerum experientia atque sapientia, versat accuratissime vir animo potius quam nomine excellentissimus, comes Solaro della Margarita, in opere cui titulus: *Avvedimenti politici;* maxime capite XIX: *Relazione dello Stato colla Chiesa*. Iamdiu illa vox insonuerat: ET NUNC REGES INTELLIGITE! Utinam feliciori exitu, iam excrescente flamma, ac fere omnia pervadente.

TITULUS XII.

DE CONCORDATIS.

I. Notio. II. Concordatorum initia. III. Omni aevo, Pontifices vi sua cum Principibus ecclesiastica negotia gerunt. IV. Indulta haec et privilegia: utilitates. V. Concordatorum forma definita sub Nicolao V et Leone X. VI. Historiae corollaria. VII. Duplex rerum genus quae Concordatis subiiciuntur. VIII. In primo genere sunt principum officia. IX. In altero indulta pontificum. X. Rei cardo, contrahentium personae. XI. Concordata actibus internationalibus non sunt sequiparanda. XII. Nulla religiosa et nationalis autonomia in gentibus catholicis. XIII. Fallimur dum Anglicanismi frustula ad Ecclesiam unam atque universalem transferimus: Romae princeps, non pontifex, negotia gerit internationalia. XIV. Idem cum principe extra Ecclesiam existente. XV. Obiectio. XVI. Concordata summo iure non sunt pacta synallagmatica. XVII. Mutuam tamen obligationem pariunt. XVIII. Primatus civilis R. Pontificum, Dei providentia constituitur.

I. Gesta a summo Pontifice cum imperantibus, circa res sacras, ius peculiare in gentibus constituentia, *Concordata* appellantur; ut, quemadmodum actus sui generis sunt, ita peculiari nomine veniant. Dicemus de eorum *origine, natura* et *vi*.

II. Vix civili christianae religionis inauguratione peracta a Constantino, Concordatorum initia visa sunt in illis concessionibus, quibus leges ab imperatoribus condebantur de ecclesiastica disciplina, delegata aut vicaria Pontificis auctoritate. Illis enim

legibus aut factis, explicita vel implicita, generalis vel particularis Pontificum sanctio accesserat. Magnum rei documentum extat initio Codicis, ubi Romanum Pontificem alloquitur Iustinianus: « Quum recta atque irreprehensibilis fides, QUAM PRAEDICAT SANCTA DEI CATHOLICA ET APOSTOLICA ECCLESIA, nullo modo innovationem recipiat; nos sequentes sanctorum Apostolorum, et eorum qui post eos in sanctis Dei ecclesiis conversati sunt, dogmata, iustum fore existimavimus, cunctis manifestum facere, qualiter de fide quae in nobis est sentiamus, INSISTENTES et adhaerentes traditioni et confessioni sanctae Dei Ecclesiae ca-
1) Lib. I, tit 1, 8. tholicae 1). » Non doctor sed discens, non imperans sed obsequens filius, prosequitur Iustinianus: « Reddentes honorem APOSTOLICAE SEDI ET VESTRAE SANCTITATI (quod semper nobis in voto et fuit et est), et ut DECET PATREM HONORANTES VESTRAM BEATITUDINEM, omnia quae ad ecclesiarum statum pertinent, festinavimus ad notitiam deferre Vestrae Sanctitatis... quae caput est omnium sanctarum ecclesiarum. » Quonam fine? « Quoniam semper nobis fuit magnum studium UNITATEM VESTRAE APOSTOLICAE SEDIS, et statum sanctarum Dei ecclesiarum
2) Ibid. CUSTODIRE etc. 2). » Respondet Ioannes laudans et approbans: « Quod, quia apostolicae doctrinae convenit, NOSTRA AUCTORI-
3) Ibid. TATE confirmamus 3). Facultas concedebatur evulgandi leges ad Ecclesiam pertinentes, harmonia declarabatur, Concordatum peragebatur.

III. Eadem iuris publici disciplina toto deinde medio aevo asservabatur; leges vero, quae Ecclesiae adversarentur, reiiciebantur. Sic octavo generali Concilio vetitum est, ne principes aut duces saeculi in episcoporum electionibus se immiscerent,
4) Can. 22. neve Ecclesiae libertatem quidquam imminuerent 4); Paschalis II, vix a sacrilegis Henrici IV manibus liber, investiturae concessionem revocat in Lateranensi Concilio, quam imperatoris violentia extorserat; Leo X, alio Lateranensi Concilio, Basileense conciliabulum damnat, quod *Pragmaticam Sanctionem* de ecclesiastica disciplina ediderat, quae a Carolo VII in Galliam illata, zelum Pii II, Sixti IV, Innocentii VIII, Alexandri VI et Iulii II, vehementer exercuerat. Sed universim Ecclesiae libertatem promovit Tridentinum; Innocentius III leges principibus in sacros canones latas abrogavit; iusiurandum fidei catholicae adversum, Anglis prohibuit Paulus V; Innocentius X pacis Westphalicae pacta nonnulla propulsavit. Deinde Benedictus XIV, Pii VI et VII, in gravissimis cum Imperio disceptationibus, alia absolute reiecerunt, alia definitis placitis ad concordiam adduxerunt. Igitur, tum foederis tum reactionis aevo, quod supra attigimus, sive in approbando, sive in reiiciendo, sive in concedendo, Pontificum cum principibus tractatio plurima fuit. Quocumque autem modo, in prosperis atque in adversis, in iure publico gentium christianarum, Pontificum auctoritas in gerendis Ecclesiae negotiis vi sua luculenter enituit.

IV. Concessionum, quibus potius quam concertationibus Pontifices laetabantur, plurima exempla. Illarum duplex utilitas: 1. post lites, animi conscientiarum quiete, Ecclesia et Imperium concordia reficiebantur; 2. Principes ad diligendam et tuendam Ecclesiam alliciebantur. Hisce rationibus permoti, Eugenius IV et Benedictus XIV Venetae reipublicae episcopum deligendi ac praesentandi privilegium concesserant; ideinque Hispaniarum regibus, aliisque, vario tempore Pontifices. Quae dum agebant hi, ut summi Sacerdotes, de rebus quoque temporalibus, ut principes, tractatus inibant: sic Benedictus XIV Sardiniae regem pro feudis vicarium suum constituerat, reservata pensione bis mille scutorum, quam rex ipse iuraverat, quaeque anno tantum 1851 fuit denegata. Concordati vero nomen iis solúm apostolicis indultis vel privilegiis adscriptum, quibus Ecclesiae canones, legis vi, pro aliqua gente temperabantur: quemadmodum inter Nicolaum V et Fridericum III, inter Leonem X et Franciscum I, factum fuerat. Quo tempore concordatorum forma vere fuit constituta: rationes et circumstantiae, non indignae ut a nobis recolantur.

V. Eugenius IV, qui Felici V antipapae successerat, ut commotas Germaniae ecclesias paci restitueret, principes quoad beneficiorum collationes privilegiis pro tempore auxerat. Novis deinde postulationibus interpositis, Nicolaus V, Concordato habito cum Friderico aliisque principibus, rem firmiori et ampliori ratione composuit: se velle unitatis amore principibus, ut filiis, indulgere, sedulo animadverteus. Similiter, abrogata a Ludovico XI Pragmatica Sanctione, renitentibus vero pluribus laicis atque ecclesiasticis ordinibus, totaque Gallia tempestate commota, Bononiam petiit rex Franciscus I, maiorum exemplo, Leoni X tunc in Pontificem electo gratulaturus. Roganti regi assensit Leo ut Pragmaticae Sanctioni novus rerum ordo, vim legis retinens, subrogaretur. Edita itaque est Constitutio *Sacro approbante*, declarans concessiones ibi, indultus et privilegia impertiri. Sic de ceteris.

VI. Concordatorum igitur origine atque historia probatur: 1. quae exterius religionem afficiunt, non potuisse a regibus componi aut gubernari sine Pontificum auctoritate; 2. haec, veluti beneficia, indulta fuisse benemeritis principibus vel gentibus, ut dissidia tollerentur, stictior et suavior cum Apostolica Sede coniunctio efflloresceret, huius denique lege et auctoritate gentes firmo rerum ordine conquiescerent. Hisce praemissis, cuius *naturae* sint Concordata facilius apparebit.

VII. Actus publici natura, ex *rerum* et *contrahentium* indole definitur. Res, quoad concordata, duplicis sunt generis: aliae intime inhaerent Ecclesiae, eique necessariae, nec alienandae; aliae etsi nec veram alienationem accipiant, gratiae tamen favore in laicos transferuntur. Prioris generis ea fere sunt, quae

superius recensuimus 1). Secundi generis esset dioecesum nova circumscriptio vel ordinatio, approbante Pontifice; de cuius plenitudine pastoralis auctoritas proficiscitur. Beneficiis praesidet, qui officia confert, scilicet Pontifex, cuius est potestatis iura aliqua vel in laicos transferre, excepta auctoritate spirituali. Rerum ecclesiasticarum alienationes vel sanationes; fori ecclesiastici limites et iudiciorum formae; appellationes in propria natione, ut Sedi Apostolicae ultima reservetur.

1) Tit. XI. § XVI.

VIII. Discrimen inter duo haec genera in eo est, quod in primo officia principum, in altero pontificum largitates ordinario contineantur. Si enim principes recta via incessissent, nunquam de primo genere Concordata inita fuissent. At historia Concordatorum, historia dolorum! Afflicta vel eversa aliquando religione, ut a gallica alterius saeculi republica, Ecclesiae etiam essentialia publico foedere sanciebantur, ut possibilia sanarentur, novoque iure catholicorum libertas firmaretur. Est enim religionis conditio, quod saeculi huius rectores sedula mente perpendant, ut sociabilis sit, suoque cultu, pastoribus atque institutionibus libere uti possit: ablata vero ut restituantur, strictae iustitiae officium est, non terrenae maiestatis beneficium. Habet itaque Ecclesia divinum civitatis ius, vel non laedendum unquam vel sarciendum, Praeterea nullibi eius libertas, principum aut populorum officit libertati, quae naturalibus divinisque legibus non adversetur: nullam respuit regiminis formam, peregrina in hac vita, sua libertate contenta. Quid illa petebat a cruentissimis imperatoribus, a cruentissima Galliarum republica, nisi ut divinam missionem perageret in terris, unde et homines sociabiliores ipsaque imperia evaderent feliciora? Materialia possidet, quia eius ministri et filii cives sunt, civilique iure potiuntur. Societates clandestinae gentes et imperia commovent: quae adeo insipiens vel barbara hominum potestas sodalitia vetet, quae partam a seipsis civilitatem, perenni vitae sacrificio sustentant ac fovent? Principes igitur dum Ecclesiam tuentur a Deo institutam, vel revocant expulsam, vel oppressam reficiunt, sive catholici sint sive acatholici, divina servant iura. Si laudandus Napoleo, Concordato anni 1801, catholicis catholicam restituens Ecclesiam, nihil tamen neque Galliae neque Pontifici de suo elargiebatur, nisi addita a seipso, et reiecta ab Ecclesia, statuta *organica* (*articles organiques*).

IX. In altero rerum genere diximus contineri Pontificum gratias et largitates: aliqua scilicet, quae neque ordinis neque iurisdictionis potestatem requirant, per principes exercenda, vel Ecclesiae forum et disciplinam limitibus circumscribentia. Si assentatores principum audias, vel Status adoratores, Ecclesia nullo gaudet foro externo, quia illa spiritus est: contra, si Ecclesiae naturam et saeculorum documenta inspicias, quia sociabilis est. Sed non adeo limites fori civilis et ecclesiastici praecisi

sunt, ut declarationes non accipiant: est enim affinitas quaedam utriusque iuris, quae in studiorum quoque ratione a catholicis academiis ubique retenta est. Igitur quotiescumque pactiones de foro vel de ecclesiastica disciplina intercesserunt, iura Ecclesiae patuerunt, non tunc constituta sunt. Ex adverso, consensit vel passa est Ecclesia ut nonnulla ad res sacras pertinentia principibus accederent vel catholicis magistratibus, quasi suo nomine exercenda. Cum itaque societas sui iuris dicenda sit Ecclesia, cumque circa sacra ius nullum competat laicis imperantibus, ea evidenti ratione quia laici sunt, idest extra Ecclesiae principatum, oves scilicet et non pastores; si quae huiusmodi vel consuetudinibus vel concordatis adscripta illis fuerint, Pontificum largitates et privilegia dicenda erunt.

X. Rerum perquirentes naturam quae Concordatis subiiciuntur, ad personas delapsi sumus. Hic nervus quaestionis, et cardo quo rei summa continetur.

XI. Concordata hactenus ad gesta internationalia referri visa sunt. Nihil tamen minus recte et vere. Sunt enim nationes veluti personae morales, quarum cum discreta sint iura, mutuam ineunt societatem, ut quae ad pacem, vel ad defensionem, vel ad commercia attinent, liberis pactionibus definiantur. Atqui Christianismus una est societas quae gentes et nationes sub uno divino iure et capite complectitur, ut ipsi principes, ex Ambrosio, imo ex Deo ipso, intra Ecclesiam sint, non supra Ecclesiam. Henricus VIII, atque gratiosissima Elisabet eius filia, catholicos cum Romano Pontifice, veluti cum extraneo principe, quacumque ratione communicantes, poena capitis multare poterant; catholicis autem gentibus communem pastorem ac patrem, extraneum appellare, idem est ac protestantismum aperto ore profiteri. Atqui huc ventum est; reformatorum labem imis visceribus attraximus! Gentes atque imperia quae catholico nomine gloriantur, doctrinis, moribus, legibus, quotidie ad protestantismum delabuntur. Heri adhuc legem afferens de abstrahendo ab Ecclesia matrimonio, aiebat Subalpinus Minister dictus *gratiae et iustitiae:* « La magistratura non può ammettere che le leggi *interne* del paese siano mai argomento di trattati con chicchessia 1). » Quum illic de matrimonii vinculo agatur, quod iure divino Ecclesiae concreditur, eo absurdam quamdam et acatholicam *magistraturam* (si Ministro aliqua fides), quae legibus internis, internam sive protestanticam constituit ecclesiam, vel saltem praetextu civilis autonomiae, segregat se a communione legis atque Ecclesiae universalis: « In novissimo tempore venient illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus. Hi sunt qui *segregant semetipsos,* animales, spiritum non habentes 2), » Rem ipsam ex certissimo et divino iure definimus, hominum mentem non inquirimus.

1) Die 12 iunii 1852.

2) *E* 1ª

XII. Quum ergo universalis societas sit Catholicismus, nul-

lis conclusus terrae limitibus, sub uno militans summo legislatore ac duce, Romano Pontifice; nulla quoque interna vel nationalis religiosa autonomia, neque in episcopis, neque a fortiori in magistratibus confingi potest, quin eo ipso, unitatis atque universalitatis vinculum abrumpatur. Sero autem et inexperte Itali quidam magistratus, recedentem ex Germania et Gallia sententiam, de nationali autonomia in Pontificem et Ecclesiam, ipsi tuentur: ab orbe catholico damnantur.

XIII. Ex hac magnifica et sublimi catholicae religionis universalitate, quae sit Summi Pontificis, quae principum persona, manifestissime patet. Ille pater, hi filii: inter quos familiares habentur relationes, non nationis ad nationem. Dum enim ex iure civili vel politico nationes plurimae constituuntur; ex iure divino, humanis limitibus expunctis, una fit societas. Nos vero fallimur dum politicas distinctiones, necnon Anglicanismi errores et ecclesiarum fractiones, ad excelsam et perpetuam Ecclesiae unitatem plus minusque traducimus. Quaestionis extrema comprehendentes, in Pontifice Romano universalem episcopum a rege particulari secernimus. In iis quae de rebus spiritualibus, iisque adnexis, inter principes catholicos et universalem patrem peraguntur, quum illa in eadem agantur societate, nulla internationalium gestorum imago haberi potest: secus in iis quae de re materiali et civili inter principes et Romae principem sint pactis concludenda.

XIV. Quid si princeps contrahens extra Ecclesiam sit?

Peto an hic, in re spirituali, aliquid de suo in Concordatis positive conferre possit? Nihil sane: sed simplex illorum exercitium quae a Deo iussa, ex illius arbitrio et potestate subtrahuntur. Ergo neque haec internationalis tractatio vere dici poterit, in qua semper aliquid proprium ex utraque parte confertur.

XV. Obiicies: quum distinctae et summae sint potestates Ecclesia et Imperium, collisio autem oriri possit, pactum quo illa aequetur, internationalem formam exhibere. Sed contra, pactum internationale non quilibet est actus quo duae concurrant summae potestates, verum ille tantum cuius materia utriusque potestatis dominio et competentiae pariter subiiciatur; quae certe non est spiritualis. In hac propterea principis officia sunt, rem cum adiunctis exhibere et postulare; pontificis, sapiens ac paternum iudicium efferre 1).

Haec si teneas, *obligatio* tandem ipsa ex rectis iuris principiis definietur.

XVI. Quaesitum est an synallagmaticis pactionibus Concordata accenseri possint. Harum natura quum ea sit, ut a contrahentibus aliquid sui iuris ultro citroque in pactum conferatur: quumque in re spirituali nihil sui iuris habeat princeps quod contrahenti conferat pontifici; sequitur Concordata synallagmaticis

1) Cf. *natura e carattere essenziale dei Concordati*. Parigi, 1850.

vel bilateralibus pactis, summo iure, non accenseri. Laudabilia quidem principum in religionem beneficia, sed *in* sacra nihil iuris conferunt; publicae utilitates, rationes sunt quibus Pontifices permoventur; Ecclesiae libertas vel defensio, quam principes spondent, officia sunt ad quae divino iure tenentur. Undequaque igitur, concessa principibus in rebus spiritualibus, iisque adnexis, ex sola Ecclesiae auctoritate proficiscuntur.

XVII. Est tamen obligatio utrinque exorta, ea servandi quae promissa sunt: nam et spectabiliores habentur contrahentes, et in gentium oculis positi, unde bonae, non malae improbaeque fidei documenta expectantur. Acta ipsa hoc demonstrant, interiecto regio nomine et sacramento. Contrariam et foedifragam doctrinam regibus insusurrans Febronius, vix auditus fuit: turpissima enim principibus et gentibus fracta fides et periura. Unde vehementer obstupuit et doluit orbis, sive catholicus sive acatholicus, quum anno 1850 a quibusdam legumlatoribus, in Italiae finibus, nulla Concordatis fides habita est. Mutata inquiebant statuta regni fundamentalia. Verum eodem modo religio in novo statuto asservata et commendata est: frustra igitur circa Concordata novum ius ex puro putoque arbitrio inducitur. Sed respondeant illi: Potestne princeps novas leges efferre, quae iuribus tertio constitutis, aliis puta principibus officiant, vel publicos tractatus rescindant? Negat ius naturae et gentium: si religionem addas Concordatis praesidentem, argumenti robur validius efficies. Sed quemadmodum iura, ita iurium violationes se invicem amplectuntur. Statuebatur a Taurinensibus comitiis, anno 1849 « Gentibus ius est se constituendi; » idest reges exauctorandi vel expellendi. Anno sequenti Concordata dissolvebantur. Hinc atque inde ius publicum frangebatur. Ita praeceps in ruinam agebatur Gallia ab anno 1789 ad 1801, quo per Concordatum discissa iura reficiebantur (*a*).

XVIII. Appendix. Quum libertas conscientiarum ex summi Pontificis in docendo et regendo fluat libertate; quum hic nullius gentis, sed omnium sit rector et pater; quum suspicio ipsa avertenda, ne gentis alicuius vel principis pareat imperio: spirituali temporalis principatus additus est, tam veteri providentia, tantoque gentium consensu, ut nihil iam certiori et communiori suffragio asservandum habeatur 1). Si originem aspicias, post Constantini discessum, veluti Numine illum pertrahente, Roma-

1) Cf. *Pouvoir du Pape au moyen age*, Par. 1845— Orsi, *dell'origine del dominio e della sovranità del R. Pontefice*.

(*a*) Dum heroica loquacitate, ut solent legulei, in Taurinensibus comitiis Concordata perfringebantur, non meminerunt magni illi viri, Concordatorum vi, plurima non solum privilegia, ut nominatio ad beneficia consistorialia, sed regionum quarumdam civile imperium, ex Pontificum largitate, Sabaudae Coronae accessisse. Rescissis titulis, nonne privilegia illa dissolvebantur, nonne concessae olim regiones, ad Pontifices possessores suos, si de iure quaeratur, illico revertebantur? Quid ad haec magnifici illi viri, principis coronam inscite expoliantes, dum illam tuendam aggrediebantur?

norum fides, in angustiis praesertim civilibus, in Pontifices non frustra conversa est. Iconoclastis imperatoribus, Romam Longobardorum rapinis et caedibus fere derelinquentibus, catholicam autem fidem persequentibus, Romani ducatus incolae Beatum Petrum ut principem et regem in Gregorio II, eiusque successoribus, circa annum 726, acclamantes elegerunt. Sedat animos Gregorius, sed ab anno 754 ad 800, rerum necessitate ac libera hominum voluntate, politicum Romae imperium a graecis imperatoribus ad Pontifices translatum fuerat. Defensores igitur et restitutores Pipinus et Carolus Magnus, potiusquam donatores. Legatis Constantini Copronymi (Leonis Isaurici filii) civitates repetentis e Longobardorum invasionibus subductas, Pipinus ipse profitebatur: « Se nulla penitus ratione pati, easdem civitates a potestate Beati Petri, et iure Ecclesiae Romanae vel pontificum Apostolicae sedis quoquomodo alienari 1). » Idea vero christiani imperatoris, nullibi verior et sublimior, quam in Carolomagno. Pontifices interea, regia aucti libertate et dignitate, christianis universi orbis liberam edunt vocem; reges cum regibus agunt, dum humiles adhuc piscatores despicerentur; Romae vero aeternum atque universale asservatur imperium.

1) Anast. Biblioth. *in vita Stephani II.*

TITULUS XIII.

DE CULTUUM LIBERTATE IN IURE CIVILI.

I. Cultu et coniugiis restaurata societas. II. Libertas conscientiae, ius naturae humanae. III. Alia est res cultuum libertas. IV. Scinditur civitas, scissa cultus unitate. V. Hoc senserunt gentes antiquae. VI. Nullibi extat libertas cultuum, mendacium ipsa et fraus. VII. Cur vexetur ubique catholicismus in ipsa cultuum libertate. VIII. Limes dictae libertatis solus atheismus. IX. Irritae conditiones, ut cultus existens sit, et nihil peccet in mores. X. Rabbinismus, protestantismus et catholicismus falso iuris affinitate consociantur. XI. Status ex integro iure divino cultum accipiat ac servet, non ipse illum instituat. XII. In praxi, 1. falsorum cultuum non admittenda libertas, nisi ad maiora mala praecavenda; XIII. 2. semel concessa libertas, sincera atque integra servetur; XIV. 3. viae parentur vero cultui et gentium unitati. XV. Libertas cultuum est status transitionis ac necessitatis.

I. Quam tenemus vitae civilis consuetudinem duo praestiterunt: verus Dei cultus, vera et sancta coniugia. Dum cultuum pluralitatem et libertatem, coniugiorum autem licentiam prosequimur, nonne seligionis et familiae fundamenta concutimus, animorum et corporum sanctitatem abiicimus, ad polytheismum et veterem morum foeditatem revertimur?

II. A cultuum libertate, conscientiae libertas apprime est secernenda. Fert libertas conscientiae, ne ulla conscientiis vio-

lentia adhibeatur, verba vel facta extorquendo quae firmis animi persuasionibus opponantur. Est ius naturae rationalis: nam cum nefas sit homini agere in conscientiam etsi vincibiliter errantem 1); sic nemini ius, ut in alterius conscientiam vis inferatur. Hinc duplex via: tyrannidis una, altera libertatis et aequitatis. Illam ingrediebatur polytheismus, christianos cogens ad cultum idolorum; hanc inivit Ecclesia, non reluctantibus animis, sed iam edoctis et volentibus, religionem inserens; quae autem ipsa puniebat in haereticis, facta erant publica, societatis iure coërcenda. In conscientiam igitur nullum est hominum imperium, sed Dei; qui, licet summe potens, disponit cum reverentia, non frangit hominum voluntates: « Tu autem dominator virtutis, cum *tranquillitate* iudicas, et *cum magna reverentia* disponis nos 2). » Quam sublimia, atque hominibus a divino exemplari transcribenda!

1) Lib. I, tit. IV, § XIV.

2) *Sapient.*, XII, 18.

III. Ad maiora se extendit cultuum libertas, facultas scilicet non solum ne cui repugnans conscientiae cultus ingeratur, sed quibusque externis et placitis actibus Deum colendi. Si privatim, cultus dicitur toleratus, ut in Italiae finibus protestantismus et iudaismus; si publice, cultus omnes lege civili aequiparantur. Hinc patet 1. quanta rei ignorantia laborent qui conscientiae et cultuum libertatem confundunt ac miscent: 2. quam errent illi qui cultuum libertatem in illorum absoluta aequalitate constituunt. Nonne hactenus, Romae liberi sunt Iudaei, etsi illorum cultus christiano non coaequetur? Quum autem, vulgari sermone, cultuum libertas et aequalitas pro uno habeantur, videndum an illa iure naturali et divino, vel saltem politico admittenda sit.

IV. Ab uno Deo expressa, atque ad Deum unum conversa natura, ad quamdam adspirat familiae unitatem et fraternitatem. Haec nostra thesis, quum sit haec ipsa naturae vocatio et perfectio, hominibus exoptanda, legum latoribus autem pro viribus conquirenda. In hoc naturalia et divina et politica iura conveniant necesse est, quum naturam alere, fovere, atque ad suam adducere perfectionem et felicitatem, sit iurium omnium finis et officium. Atqui hanc fovet animorum et civitatis concordiam atque unitatem unitas religionis, qua Deus in eodem templo veluti in eadem familia, ab iisdem fratribus, iisdemque ritibus veneratur, unus omnium pater. Familia et civitas scissae sunt, hac scissa unitate.

V. Principii huius non ignoratione sed applicatione laboraverunt gentes antiquae: communis quippe fuerat illa duodecim tabularum lex: « Separatim nemo habessit Deos 3). » Rationem affert Livius: « Iudicabant enim prudentissimi viri omnis divini humanique iuris, nihil aeque dissolvendae religionis esse, quam ubi non patrio sed externo ritu non sacrificaretur 4). » Cultus adeo unus, ut Socrates Athenis, Romae christiani capite multa-

3) Cic., *de L.* II, 8.

4) T. Liv. XXXIX, 1

rentur. Cultuum libertate a Constantino vix indicta, a subsequentibus imperatoribus, et per universam deinde Europam adeo sublata est, ut unitas religionis primum iuris publici fundamentum evaserit, quo europea unitas exorta, atque in Saracenos viguit praecipue et confirmata est. Igitur persenserunt gentes, optimum esse civitatis statum in cultus unitate; rem tantum volumus, applicationes non inquirimus.

VI. E contra cultuum nunc libertas pro iure gentium effertur. Haec, primo, gratior nobis fieret ac suavior, nisi a protestantibus ipsis unde orta est, a philosophis deinde et Robespierio tantam sanguinis sanctionem habuisset; nunc autem fraudibus aut violentiis, America forsan excepta, non patrocinaretur. An sincera libertas in Germania passim, apud Britannos, Belgas, Helveticos vel Subalpinos? Britanni verbis liberam efferunt, factis autem vexant catholicam religionem: quotannis Papae imago diris et flammis devovetur; lege anni 1852, episcopi suos vel titulos assumentes, aere et corpore plectuntur. Gallia, vix sub praesenti dominatione, concilia ineundi, et aliqua docendi libertate utitur. Ut constet qua apud Belgas liberales homines utantur aequitate in catholicos, acta recolantur post annum 1847. Quae in ecclesiasticam libertatem, hominumque dignitatem, reliqui peccant scriptis et factis et legibus, rapinis denique et exiliis, ipsi detestantur liberiores homines, libertatis amore, quam illi faciunt turpem et exosam. Mendacium itaque et fraus, cultuum est par tolerantia vel libertas. Americam excepimus, quae adhuc in gentis infantia versatur: sed iam veneno inficitur quod ex corrupta Europa diffluit.

VII. Causae duae sunt: 1. Amplitudo, vis et robur catholicae religionis, ac propterea a protestantismo eiusque amicis coërcenda (*a*); 2. imperantium et magistratuum cupiditas, catholicorum sacris, protestantium more dominandi. Quum adeo flexibilis sit protestantium cultus vel fides, ut illis principes absolutissimo imperio dominentur; eccur, recitant legistae aliique principum adulatores vel imperiorum aucupatores, eccur Ecclesiae leges, saltem externae, Statui non subiicientur? Si omnia aequalia sunt in civitate, cur Ecclesia catholica (excepta conscientiarum fide) reliquis cultibus non aequabitur? Inde persecutio in catholicos, qui nempe fidem neque Ecclesiae leges Statui subiiciunt. Hinc sophistae, legislatores facti, quoscumque periurii et excommunicationis reiicientes societatem, Status divinitati mactant libentissime ac devotissime; quod nudius tertius conspeximus. Dum

(*a*) Haec Taurinensium libertinorum ratio machiavellica: *Il cattolicismo è troppo forte contro di noi; bisogna deprimere le massime ed i ministri.* Hinc plurima mysteria, homines quoque et facta revelantur, protestantismus deligitur, suscepti operis executor. Hic omni tempore tolerantiam extulit, ut iurium consors haberetur: mox, vel solus regnat, vel se recipientes persequitur.

igitur hoc ferret cultuum libertas, ut seipsum regat quilibet cultus iuxta propriam naturam et constitutionem, e contra omnes regantur a Statu, uno subacti iugo, ea conditione, ut catholicismus, utpote fortior atque indocilior, maiori legum pondere urgeatur. Nec nova haec iurium abusio, sed ex quo, illiberaliter atque irrationabiliter, cultus vel cultuum Minister vir laicus est constitutus.

VIII. Sed bona adsit fides, quam nunquam perspeximus in tolerantiae doctoribus, quosnam habebit limites cultuum libertas? Hoc fieri posse iure divino, intelligo et scio; humano autem iure, nullo modo fiet. Vel enim cultus admittitur, iure divino constitutus; vel hominis conscientiae relinquitur; vel a Statu ipso constituitur. Ultima hypothesis extremum infert tyrannidis: nam si iure romano servus caput non habet, iure hoc novo civis nec conscientiam nec Deum haberet, sed Status et Deum et conscientiam singulis effingeret. In secunda hypothesi, tot cultus erunt quot homines: vel uno reiecto, libertas cultuum destruetur. Atheismus ipse pro civili doctrina habendus foret, ut Augustae Taurinorum docent nonnulli religionis magistri: « Noi vogliamo che sia fatta libera facoltà ad ognuno che il voglia, di non ammettere l'esistenza di Dio 1). » Deinde: « La libertà dei culti non solo si deve estendere a tutte le credenze religiose, ma ben anche ad ogni qualunque setta, o accademia, o scuola che non riconosca nè religione nè Dio... Alcuni temono che sia l'umana società disciolta e irreparabilmente perduta, ove si dia libero accesso all'ateismo. Ma questi sono timori oratorii 2). » Qui ita loquuntur, magistri sunt ex Valdensibus, veram edentes protestanticae fidei professionem: quae, *privato examine* vel arbitrio pro omni iure et veritate constituto, necessario ad nullismi vel atheismi consecrationem perducit. Libera haec confessio erat colligenda, ut inclarescat quid homines studeant, quidque velint. Logica tamen est, et hoc quidem respectu laudanda: data enim cultuum libertate, sequitur libertas Iovem, vel Christum, vel Mahumedem, vel nihilum adorandi, pro cuiuslibet privato examine et iudicio. Taurinenses igitur protestantium magistri verissime ultimum protestantismi eliciebant consectarium, atheismi cultum. Haec illi pro nova libertate rependunt!

1) In diario Taurin., *la Buona Novella*, p. 109.

2) Ibid. p. 234.

IX Aiunt qui *moderati* appellantur: Non ferendus quilibet cultus, sed qui inveniatur in Statu, nec peccet in mores.

Respondemus. Pessime vos iura infertis ex facto: si enim pro iure est cultus libertas, eadem et praesentibus et futuris est concedenda. Pessime quoque, morum repellitis libertatem, constituta cultus libertate. Nam si cultus renovetur Carthaginiensium qui victimis delectabatur humanis, si Cinensium quo uxor cum defuncto marito exuritur, si Babylonensium, Corinthiorum vel Romanorum, quo turpia quaeque amoris Deae litabantur; si haec dictet conscientia quam vos liberam dicitis, quid a-

getis, boni viri? Mores appellatis. Sero tamen: numquam enim didicistis, morum iudicium religionis esse et non vestrum? et, quiquid legibus contendatis, mores sequi religiones? Sed haec repugnantia, qua continuo laboratis: cultuum libertatem praedicatis atque adimitis; tolerantiam extollitis et repellitis. Affirmatis itaque et negatis, vos semper conscientiarum et cultuum iudices et magistri. Concedite igitur, vel tolerantiam usque ad atheismum et morum dissolutionem fore admittendam, vel eius modos et limites non ex vestro, neque ex humano quolibet iure esse requirendos.

X. Regerunt: Iudaismum, Protestantismum et Catholicismum admittimus, qui uno divino iure fulciuntur.

Verene uno divino iure fulciuntur? Iudaismus, rabbinorum fabulis, ius divinum amisit; neque abhorruit a christianorum sanguine azymis commiscendo; idemque Christum aspernatur, quem catholici Deum venerantur, quem protestantes talem esse patiuntur! Sed nonne troianus veluti equus, dilectus adeo protestantismus, in quo sectarum omnium deliramenta, ipse denique pantheismus et communismus amice concluduntur? Protestantium Numen, vere *ignotum Deum* appellavimus 1): recte ipsi iam dudum imagines et cruces amoverant, ut illorum cultus omnium subderetur voluntatibus. Pax ergo Westphalica, in uno Protestantismo, omnes errores in iure civitatis acceperat. Igitur sive ex iure humano vel civili, sive ex corrupto iure divino (Mahumedismus quoque est corruptio iuris divini), nulla eruitur norma, nullusque limes cultibus adscribendus.

1) Pag. III, in nota

XI. Quid aget princeps vel Status? Hoc unum reliquum habet, ut cultum illum pro vero iudicet, qui ex vero et integro iure divino sit constitutus. Nam sicut in omnibus veritas quaerenda est, sic maxime divina principibus; et sicuti errori veritatem aequiparare, insipientis est, sic falsis religionibus veram parem facere. Hoc non suadet modo, sed imperat, ius divinum, nisi forte, non iuribus servandis, sed evertendis, principes constituti sunt. Neque illi, hac ratione fiunt conscientiarum dominatores; sed divini iuris executores: non ipsi cultum constituunt, sed a Deo constitutum accipiunt: nec illum subditis violenter imponunt, dum illi soli veritatis honores conferunt.

XII. Haec nullam a priori, detractis nempe circumstantiis, dubitationem admittunt; in praxi vero quum non semper id possit fieri quod est optimum, sed aliquando mala toleranda sint in civitate, sic et cultus his conditionibus tolerari possunt.

1. Ubi vera dominetur religio, publica cultuum libertas non est admittenda nisi in extrema necessitate, ad maiora praecavenda mala. Est enim malum per se gravissimum libertas erroris in religione, ex qua omnia sequuntur. Verae autem religionis criteria adeo perspicua sunt, ut illa pervidere, iisque uti princeps teneatur. Secus reus fiet iuris divini cuius spernendi offert

opportunitatem, et iuris civitatis, a qua scandala et sacrilegia amovenda sunt, quae comitantur cultuum libertatem. Quid enim unus cultus, nisi negatio alterius? Ex collisione autem et negatione quid superest nisi purum nihilum? Nimis vere: plures cultus ad nullum recidunt cultum. Hinc religiosus indifferentismus, quo civilitas nostra ad mortem infirmatur.

XIII. 2. Instituta semel libertas adeo fideliter servanda est, ut quilibet cultus suas existendi atque agendi rationes petat ex seipso, non illas princeps vel Status imponere, coërcere vel immutare audeat. Sic enim ab hominum superbissimis illudimur, ut cultuum iactent libertatem, dum ipsis liceat diripere templa, docentis vel praecipientis Ecclesiae nullam rationem habere, eius ministros vel cultores, nisi iniquis vel schismaticis legibus subscribant, ut perduelles patriae multare. Cessent legum et legumlatorum mendacia: cultibus libera detur facultas sese exercendi, possidendi, docendi, disceptandi, sodalitia constituendi. Non optima sane reipublicae forma, in qua eadem iura errori et veritati adscriberentur: quae tamen veritati sufficiat. Quod cum homines eidem infensi optime noverint, libertatem praedicant, et tyrannidem exercent.

XIV. 3. Quum ad veritatem atque unitatem aspiret gens humana, rectorum autem sit officium naturam sequi et perficere; divino iure tenentur rerum publicarum moderatores, vero Dei cultui obstacula removere, viamque illi doctrinis et suasionibus et exemplis parare. Enimvero si non est potestas nisi a Deo, si ministri Dei sunt qui terrena moderantur, illorum quoque summum erit officium, iussa Dei explorare et facere, omniaque et legibus et factis ad illum referre: « Hoc iubent imperatores quod iubet et Christus, quia cum bonum iubent, per illos non iubet nisi Christus 1). » Qui consulunt vel praecipiunt, Statui nullam religionis habendam esse rationem, politicum et nationalem atheismum constituunt.

1) S. Aug., *Ep.* 103.

XV. Haec pro summa retineantur: 1. civilitatis regressus est, ex vero cultu ad cultuum dilabi pluralitatem; 2. cultuum libertas pro statu habeatur non optimae civitatis, sed transitionis ac necessitatis.

TITULUS XIV.

DE IURE PRINCIPIS IN MATRIMONIUM.

I. Divina atque immediata matrimonii institutio: fons illa sanctitatis; obliterata, universae corruptionis. II. Christus matrimonium ad naturalem revocat integritatem, non externa addita benedictione, sed contractum vetus in sacramentum. III. Mulieris domestica et civilis dignitas restaurabatur. IV. Pudica mens non sine religione: christianorum matrimonia. V. Mulier christiana. VI. Ecclesiae labor et perseverantia, ut hoc tueretur societatis palladium. VII. Mediae aetatis ferocitatem emollit ac temperat matrimonii sacramentum. VIII. Protestantismus, vel invitus, deleti olim sacramenti mala patitur. IX. Vere desipiunt qui matrimonio pure civili, familias affirmant ordinari ac perfici. X. Frustra praetexunt libertatem et civium aequalitatem. XI. Pro civilibus matrimonii effectibus, divina eius constitutio et vinculum usurpatur. XII. Peccat rector in civitatem criminibus viam parans. XIII. Revolutio principibus, suis veluti ministris et praecursoribus utitur. XIV. Deum ipsum principibus matrimonii vinculum subduxisse, traditio est generis humani. XV. Ecclesia e coeno matrimonium abstraxit, atque ad caelum evexit. XVI. Eadem suis semper legibus ex divino iure communivit. XVII. Matrimonii sanctitas ipsis incredulis optanda ac retinenda. XVIII. Conclusio.

I. Principis consilio cum plurima permitteret Deus, cultum subtraxit quo homo divinam societatem ingreditur, tum matrimonii sanctitatem, veluti humanae societatis origo et fundamentum. Lex igitur lata ab origine mundi: « Quod Deus coniunxit, homo non separet 1). » Sancta ex tunc effecta viri et mulieris coniunctio, atque in signum assumpta unionis Christi cum Ecclesia: « Societas nuptiarum ab initio ita fuit constituta, ut praeter sexuum coniunctionem, haberet in se Christi et Ecclesiae sacramentum. 2). » Hanc, cum vera fide, retinuerunt matrimonii sanctitatem viri Dei: « Et nunc, Domine, tu scis quia non luxuriae causa accipio Saram coniugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in saecula 3). » Contra, hac fide amissa vel corrupta de divina matrimonii institutione, lege autem de illo veluti de communi re statuente, corruptio carnis incubuit orbi terrarum. Mulier, ut Demosthenis mater, apud Graecos a marito venumdabatur. A Romanis cedebatur: sic Marciam Hortensio amico cessit Cato, *morem antiquum* secutus, frigide addit Strabo. Nefandum morem ius romanum tuebatur, fingens maritum de uxore veluti de filia disponere: *filiae loco*, ait Caius. Eadem clarissimorum, quae Mecaenatis laus: « Uxorem millies duxit 4); » « quotidiana repudia 5). » Mores, familia, urbs, imperium dissolvebantur.

1) Matth. XIX, 6.

2) S. Leo, *ep.* 2 *ad Rustic. Narbon.*

3, Tob., VIII, 9.

4) Sen., *epist.* 114.

5) Id. *de Prov.* III.

II. Renovata originali coniugii sanctitate, Christus societatem funditus restauraverat. Primo, repudii legem abrogat, quae infrunito populo ob duritiam cordis permissa fuerat; deinde coniugium ipsum non tantum externa atque addita exornat sacra-

mentali benedictione et dignitate, sed naturalem contractum in verum et proprie dictum vertit novae legis sacramentum; tandem, quum sacra sacris legibus regantur, christianorum coniugium Ecclesiae ministerio et auctoritate gubernandum concreditur. Quidquid ferant romanae leges ethnicis adhuc elementis consarcinatae, quidquid novi autument iuristae protestantismi labe infecti, sacramentum a contractu frustra secernentes, tale ex iure evangelico est christianorum coniugium, ut ubi non perficiatur sacramentum, nec adsit naturalis contractus, et quod dicitur *matrimonium civile*, purum sit adulterium vel concubinatus. Rem in tuto posuerunt theologi et canonistae: nos hac una contendimus ratione. Quae iuris sint divini, ab Ecclesia non a iuristis catholici ediscunt. Placet ne? Hic totus est catholicismus: extra, protestantismus. Atqui nullum esse contractum ubi nullum sit sacramentum; contractum vero et sacramentum dum unam actionem constituunt, quoad sui validitatem, Ecclesiae subesse iurisdictioni, definita est sententia. Nam definitum est 1. « matrimonium esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis 1); » 2. potuisse Ecclesiam « constituere impedimenta matrimonium dirimentia 2); » 3. « causas matrimoniales spectare ad iudices ecclesiasticos 3). » Haec tria, in negantes indicta ubique anathematis poena, rem totam absumunt; contendentes vero validum esse inter catholicos civilem contractum, quin sit sacramentum, catholicis moribus et doctrinis absonos efficiunt. Nam si matrimonium ipsum (non nuptialis benedictio) universim sacramentum est; ergo nullum adesse poterit matrimonium, quin sit sacramentum. Si Ecclesia impedimenta dirimentia iure constituit; ergo sua habet in potestate matrimonii vinculum, quo tam contractus quam sacramenti natura, unico veluti actu, continetur. Si demum causae matrimoniales ecclesiastica iurisdictione censentur; ergo ecclesiastici est iuris ipse contractus, ex quo illae perfluunt. Quae omnia cum ad sacrorum iura pertineant in Ecclesia catholica, ab ipsa ne Ecclesia, an vero a rabulis perdiscemus? (*a*)

1) Trid., sess. XXIV. can. 1.
2) Id. can. 3 et 4.
3) Id. can. 12.

(*a*) Qua ecclesiastici temeritate notarentur, principum leges ad libitum accommodantes, nonne eadem iuristae in rebus ecclesiasticis? Audiant ergo Pontifices: « Qui praeter formam a se praescriptam, matrimonium contrahere attentant, eorum Tridentina Synodus non sacramentum modo, sed *contractum ipsum irritum* diserte pronuntiat, atque, ut eius verbis utamur, eos ad sic contrahendum *omnino inhabiles* reddit, et huiusmodi *contractus irritos* esse decernit » (Bened. XIV, ad Hollandiae mission., 14 Sept. 1746). Benedicto XIV concinit Pius VI: « Dogma fidei est, ut matrimonium, quod ante adventum Christi nihil aliud erat nisi indissolubilis quidam contractus, illud post Christi adventum evaserit unum ex septem legis evangelicae sacramentis, a Christo Domino institutum. Hinc fit ut ad solam Ecclesiam, cui tota de sacramentis est cura concredita, ius omne ac potestas pertineat suam adsignandi formam huic contractui ad sublimiorem sacramenti dignitatem evecto » (Pius VI, ad episc. Motuleus.m, 16 Sept. 1788). Brevi diei 22 augusti 1851, Pius IX oppositam Ne-

III. Divina hac ordinatione, mulieris domestica et civilis restauratio peragebatur, gentisque humanae procreatio sanctitatis corona induebatur. Quid mulier in civilissimo Romanorum iure, quae *usu* et *coëmptione* viro acquirebatur? Res nimirum, quae empta semel, iure iterum vendebatur, cedebatur, legabatur. Vere hoc *civile* erat *matrimonium*, ad quod libenter reverterentur novi populorum, quasi gregum, moderatores. Quae tunc mulieris dignitas, quae nec mariti, nec filiorum quos ipsa genuerat, societatem ingrediebatur? Quis illius amor, cui illa continuo impendebant: « Satis est; pulchriorem inveni; discede. »

Tres rugae subeant, et se cutis arida laxet;
Fiant obscuri dentes, oculique minores:
Collige sarcinulas, dicet libertus, et exi:
Iam gravis es nobis, et saepe emungeris, exi
Ocius et propera; veniet sicco altera naso 1).

1) Iuven., *Sat.* VI.

Equidem praeter *usum* et *coëmptionem*, Romanis tertium erat genus matrimoniorum per *confarreationem*, cum, certis verbis et decem testibus, solemnique farris sacrificio, mulier in manu viri conveniebat. Hoc sacrificium et nuptiarum coniunctio fiebat per pontificem maximum et flaminem Dialem, teste Servio, eratque ex Plinio maxime religiosa: qua, communicatis inter virum et uxorem sacris, communicatio quoque totius vitae significabatur. Traditio nimirum generis humani de religiosa matrimonii natura, nullibi erat extincta. Sed paulatim in desuetudinem cum abiisset confarreatio, et in solis tandem sacerdotum coniugiis servaretur, denique omnino adhiberi desita est, ut colligitur ex Tacito 2). Tuncque, legibus frustra obsistentibus, mulierum simul captivitas, et licentia, et immanitas eruperant. Coniurationibus et seditionibus aderant, ut Sempronia Catilinae; aliisque tristis ille utebatur, quae Romam incenderent, et maritos obtruncarent 3). Retulit Caecina in Senatu: « Quoties repetundarum aliqui arguerentur, *plura uxoribus obiectari* 4). » Centum septuaginta, sublatis veneno maritis, damnatas, narrat Valerius Maximus 5). Haec autem fiebant cum feminarum illustrium plures, vel cum servis, vel per arenam foedari, non dedignabantur 6); cum Clodius, nobilissimis mulieribus iudicibus traditis, absolvebatur. Legibus quidem agebatur, sed frustra « senatus decretis libido feminarum coërcita 7): » dum, una cum matrimonii sanctitate, feminarum pudor, amoris religio, et familiarum decus exaruerant. Vere cum nihil sit muliere affectuosius et sublimius si cor eius religione et pudicitia floreat, nihil e contra ferius vel execrabilius.

2) *Annal.*, XV, 46.

3) Sallust., *Catilin.*, 25.

4) Tacit. *Annal.* III. 33.

5) Valer. Max., XII, 15.

6) Tacit. *Annal.* XII, 53; XV, 35.

7) Id. *Annal.* II. 35.

pomuceni Kuytz sententiam damnavit. Taurinensis professor sola damnatione innotuit, eiusque levissima, audacissima et absurdissima defensione. Sed amplissima Pontificis vigilantissimi epistola anni 1852 ad Regem Sardiniae, veritas iam lucidissima, dissolutis nebulis, nova iterum luce refulsit.

IV. Ecclesia arrepta originali et evangelica matrimonii constitutione, pudicitiam cum religione amice consociaverat, quae nunquam divellentur. *Solus cum sola*: en pudica coniugia. « Ecclesia conciliat, ait Tertullianus, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio; angeli renuntiant, Pater rato habet 1): » en religionem quae animum evehit in caelum, atque in angelorum curia describit sacramentum. Sed en mulierem quae non amplius a viro emitur vel conducitur, vendenda iterum et locanda, sed sui corporis tradens potestatem, parem in virum acquirit: « Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier 2). » Paria hinc inde iura; non captiva sed aequalis viro, quae est futura mater familiae. Panditur templum, sponsi poenitentiae sacramento abluuntur, divino Agni corpore refocillantur, ad Christi aram perpetuam sibi fidem et adiutorium spondent. Qui huic divino ethnicum vel civile et animale matrimonium praeferunt, vere animales sunt, non percipientes ea *quae sunt spiritus Dei* 3).

1) Tertull., *ad Uxor.* — Cf. Godofr. in leg. 3. Cod. Th., *de nuptiis.*

2) *Corinth.*, VII, 4.

3) Ibid. II, 14.

V. Ita sanctificatam inspice mulierem. Ut nihil de invisibili gratia loquamur, quae illam ad maximum generis humani propagandi ministerium disponit, virum electionis suae illa unico affectu diligendum suscipit, a quo se unice redamandam intelligit; filios quoque et familiam perenni amore prosequitur, cum quibus indissolubili naturae et gratiae vinculo se novit coniunctam, inter ipsos non captivae ignominiam, sed matris obtinens dignitatem. Ab ethnica egredere societate, quam ut prostitutionis habitaculum horrent ipsi earum gentium scriptores, et suavissimam percipe christianae mulieris sanctimoniam, quam describit Tertullianus 4). Nova mulier, nova familia, novus mundus exoriebatur. Inter veterem et novam sibi in uxorem deligendam, quis ambiget? Ad haec, atheistae anni 1791, eorumque nepotes, divinam hanc evertentes mulieris et familiae restaurationem, illo invecto civili matrimonio, nonne humanitatis eversores dicendi erunt, potius quam reformatores?

4) Tertul., *de cultu femin.*, II.

VI. Caelestem, sed cupiditatibus invisam, moribus doctrinam inserere, hic erat Ecclesiae labor. Divortium romanis legibus retinetur; principibus et regibus obstitit Ecclesia, toto medio aevo; nihil cedit ipsa, a Christo incoeptam restaurationem prosecuta. Legitimae imperantium successioni inflexibilis advigilans, removet scandala et arma civilia. Dicet ne nobis quid effecerit Protestantismus, ut hoc societatis palladium tueretur? Ipse, qui Henrico VIII et Germaniae principibus tam humiliter polygamiam indulsit? Pontificum iactant dissensiones cum imperantibus, intolerantiam, obstinationem. Sed quid, si semel ab elata divinitus voce, *erunt duo in carne una*, recessissent? Quid, si iuri divino, regum iras praetulissent? Novus instabat ethnicismus, novum chaos, quod illi divina sapientia et fortitudine re-

pulerunt; sacrum et civile opus perfecerunt. Nam, inquit Voltaire. « coniugia principum, europearum gentium fata constituunt; et corruptas libidine aulas commotiones et seditiones secutae sunt 1). »

1 *Essai sur l'histoire gener.*, t. III, 101.

VII. Peius moribus et sociali ordini, quam civili, instabat exitium. Meus terrore concutitur, cum barbari illi subeunt reges vel duces, castellis, ferro, cupiditatibus horrendi. Nova quotidie inflammati forma vel cupiditate, quid egissent, si illis scribenda matrimonii iura relicta fuissent? Quid spreta coniux, nisi inflexibile tribunal adstitisset? Falli vel contemni poterat sacerdotis vel episcopi vox, non toto orbe insonans Vaticani fulgur. Tempora illa violentiarum et foeditatum recolantur, citoque apparebit quae sociali ordini clades incubuisset, si reiecta Ecclesiae auctoritate, matrimonium civile indictum fuisset. Quod si Lutherus (minora ausus, nec matrimonium penitus a iure revelato seiungens) religiosam matrimonii fidem commovit, non sustulit; ideo effectum est, quod catholicum dogma altis defigebatur radicibus, atque Ecclesiae in gentibus victor perseverabat impulsus.

VIII. Non protestantismi certe, sed gentis protestanticae laudem hic libenter efferam. Ex corrupto iure divino, divortium sanxerunt: tot tamen septum ac vallatum conditionibus, ut illius usus et effectus in plurimis praecaveantur. Verum, consita venenosa radice, quis vetat ne illa sit, et vivat, et venena effundat? Loquatur protestantica mulier: « Amor religio est apud Germanos, sed poëtica religio, quae nimis libenter omnia patitur quae sensibilitate excusantur. Fatendum est: divortium, in provinciis protestantibus, matrimonii pessumdat sanctitatem. Coniuges *ea mutantur facilitate*, qua drammatis incidentia retractantur. Efficit bona virorum et mulierum indoles, ut hisce dissidiis nihil aegritudinis immisceatur (*quam bona indoles!*); et sicut plus imaginationis in Germanis adest, quam verae affectionis, sic cerebrosa maxime facta, singulari peraguntur animorum tranquillitate. Mores tamen atque animi dilabuntur, *nihilque permanet fixum et constans*, dum abnormia ingenia sacras maxime institutiones concutiunt 2). »

2) De Stael, *de l' Allemagne*, par. I, ch. 3.

IX. Vere nihil quoad hominum corda vel affectus Protestantismus intellexit, sacramentum repellens, quo amor, sanctissima vel terribilis flamma, terrenis cupiditatibus expurgata, religionis praesidio ad caelum extollebatur. Nihilque nunc, post saeva nimis experimenta, novi homines intelligunt, hanc coniugio aureolam et propugnaculum eripientes. Familiarum ordinem iactant, et civilem ordinationem. Infelices! Non vobis, et filiis, et familiis vestris exoptandum, si saperetis, ut religio, veluti paradisi cherubim flammeo gladio, toro adstet immaculato? Deinde nonne familiarum requirit constantia et firmitudo, ut Deus coniungat qui neque a seipsis, neque a se genitis unquam erunt

separandi, si modo unam et perennem esse velimus familiae constitutionem? Sed, Deo expulso, vos, vos ipsi sponsos coniungitis, novi legislatores. Qui autem, quaeso, estis vos ut putetis auctoritate vestra alienam voluntatem in aeternum colligandam? Hoc nunquam effugietis: *Quod homo coniungit, homo separat.* Vos qui rerum vel ovium venditionibus et traditionibus coniugale pactum assimilastis, expuncto divinitatis signo, eo ipso effecistis ut libere inita coniugia, libere solvantur. Lex vetat, dicitis. Lex vestra despicitur, quae ipsa primum ius divinum despexerat. Ex matrimonio pure civili, legale infertur divortium: nam per quas causas res nascitur, per easdem solvitur. Sed cum inditum sit in hominum natura, iure principis nec contrahi nec solvi matrimonia, sine vobis et sine legibus vestris fient coniugia: vaga Venus. Horribilem hanc humani generis cladem facta testantur: per Germaniam, Galliam, Angliam, quocumque protestantismus aut volterianismus civile matrimonium intulit, saepe quarta natorum pars illegitima fit, pessimi cives sine familia et sine Deo evasuri. Ubi nec volterianismus imperet nec protestantismus, civilis matrimonii legem nemo efferet, quin civilem gentis suae ruinam molitus sit (*a*).

X. Sed, inquiunt, duo praesentem civilitatem perficiunt: libertas, omnium civium aequalitas.

Libertas a iure divino est atheismus: vos ergo atheismum pro libertate civili obtruditis? Impios homines *libertatem carnis introducentes* iam Tridentinum exhorruit 1): vos ergo illam restauratis? Sed quae libertas, dum ecclesiastica abrogatis impedimenta, et vestra contrahentibus imponitis? Quae conscientiarum libertas, dum matrimonio civili iunctam mulierem apud vos, nullatenus apud Deum, viro sacramentum reiiciente, in perpetuam fornicationem, terrenum quasi infernum, lege vestra com-

1) Sess. XXIV, *de sacram. matrim.*

(*a*) « Il primo elemento della società è la famiglia. Togliendo al matrimonio la sanzione religiosa, si cancella il carattere sacro dei padri e delle madri, si favoriscono quelle scandalose associazioni che la corruzione dei costumi avea reso altre volte tanto comuni presso gli antichi Romani, e che nelle grandi città specialmente si moltiplicano ora in modo spaventevole. Nella diocesi di Ciamberì, per esempio, il numero de' nati fuor di matrimonio, è al presente di 28 su 1,100 nascite. In Francia è di 75, su 1,100; e nella città di Parigi fu nel 1850 di 336 su 1,100: cioè di 9,979 su 29,628, ossia più del terzo, *senza parlare dei fanciulli nati da matrimonii civili.* (Vedi *Annuaire du Bureau des longitudes pour 1852*). Niuno ignora che i fanciulli illegittimi sono un pericolo per la società; sono sempre pronti ad ingrossare le file dell'insurrezione e degli ammutinamenti; dovunque sono i nemici della proprietà e della famiglia, perchè sono senza proprietà e senza famiglia » (*Dichiarazione dei Vescovi della provincia ecclesiastica di Ciamberì, relativa al progetto di legge sul matrimonio civile presentato alla Camera dei Deputati in Torino, il 12 giugno 1852*).

Ita loquuntur Episcopi. Iamvero, ubinam invenitur sapientia civilis, in Episcopis qui ita ratiocinantur, an in Comitiis quae propositam legem festive exceptam suis, ut mox videbimus, suffragiis approbaverunt?

pellitis? dum sacramentaliter coniunctos disiungitis, disiunctos vero simul habitare cogitis, vel ad libera et vera vota negatis? Deum itaque expellitis iura ferentem, vosque ipsos et leges vestras pro Numine constituitis. Homines scilicet a Deo liberos efficitis, ut vestro arbitrio et servituti mancipentur. Civium aequalitatem pro iure perfectissimo extollitis. Ergone aequales in religione iudaei, catholici et protestantes? Religionem, inquitis, non quaerimus: legibus civiles matrimonii effectus subiicimus. Parcite: vel res et verba ignoratis, vel ampliter mentimini.

XI. Nam, effectus civiles sunt qui, posito matrimonio recte inito, materialia coniugum iura respiciunt. Hos neque Ecclesia, neque ullum ius gentium civili unquam potestati subduxit. Sinite ergo ut quisque iuxta religionem suam matrimonium contrahat, vos deinde civilia dicetis iura. At vos et religiones omnes contemnitis, cum celebrata quolibet ritu matrimonia expungitis, nullaque nisi vestro numine sacrata recipitis. Ergo falsum quod hypocritae inquiunt, legem civilem de effectibus civilibus constituere, dum de ipso matrimonii vinculo absolutissimo iure constituit (*a*).

XII. Religiosum matrimonium quis vetet? inquiunt adhuc sanctissimi.

Nondum quidem Robespierii Dea revixit, Dea *Ratio*, quae increatae Rationis cultum delevit. Verum si in religione catholica audax legislator nullam sacramenti rationem gerat, atque iure catholico irritum matrimonium pro rato habeat, nonne spernendae religionis viam et commoda ipse parat? Imo, si catholicam coniugii oeconomiam legibus evertat, nonne directe gentis cultum aggreditur? Impietatis igitur et sacrilegii notam ipse et lex effugient? Finge a novis aliquando efferri legislatoribus: Nos furta permittimus; sed numquid iustitiam sequi prohibemus?

(*a*) Petimus a nostris ut in matrimonio eiusque effectibus non magis protestantes fieri velint quam ipsi protestantes. Nimium ne? Atqui 1. protestantes matrimonium habent ut rem *conscientiae*, ideoque causas matrimoniales ad forum ecclesiasticum esse deferendas. Tradit enim magnae inter illos auctoritatis Boehmerus: « Protestantes sequuntur ius pontificium: quamvis enim negent matrimonium esse sacramentum, existimarunt tamen maiores nostri *matrimoniales causas ad casus conscientiae esse referendas*, quorum cum non habeatur ratio in foro saeculari, merito easdem iudicio ecclesiastico esse delegandas. » (*Ius Eccl. protest.*, tom. II, l. 2, t. 2, §. 24). Coniugia itaque eorumque causae, protestantibus ad *conscientiam* pertinent atque ad *forum Ecclesiae*. Hoc primum et fundamentale principium. 2. Ex iisdem protestantibus, causae civiles quae ex matrimonii validitate resolvendae sint, suspenduntur in foro civili, usquedum in foro ecclesiastico de matrimonii legitimitate actum sit. Nam prosequitur Boehmerus: « Proinde quaestio principalis (de successione) tamdiu suspendenda, donec *de causa natalium in foro ecclesiastico fuerit cognitum* » (Loc. cit., §. 25). 3. Matrimonium religiosa adhuc consecratione, coram Ecclesiae suae ministris, ineunt protestantes, assistente, pro effectibus civilibus, *officiale* civili. Haec non reiicient catholici, nisi in politicam atheismum vel volterianismum dilabi velint.

imo ad illam exhortamur. Verte nunc: Nos religiosum matrimonium maxime laudamus; sed incestuosum, adulterinum, vel quacumque alia ratione divina et ecclesiastica nullum atque irritum, nostra potestate sanctum et legitimum constituimus. Hanc desipiendi licentiam suo sibi iure vindicat revolutio.

XIII. Revolutionis duo sunt dogmata fundamentalia: 1. iura quae dicuntur Ecclesiae, usurpata sunt in Imperium; 2. iura quae principis dicuntur vel Imperii, usurpata sunt in populum. Principes primo revolutionis axiomati, nimis infelici ipsorum fato assenserunt: indeque sine fine compelluntur, ut quidquid illi Ecclesiae subtraxerint, in revolutionis cedat potestatem. En mellifluam admonitionem: « I governi hanno debito di ripigliarsi quelle parti di potere che furono per l'ignoranza dei secoli addietro usurpate dai chierici, o pei bisogni e la coltura imperfetta spontaneamente conceduti. Tali sono l'educazione e l'istruzione cittadina, il contratto matrimoniale, il pubblico feriato dei giorni festivi... e simili materie 1). » Volubilis auctor, qui omnibus se vexillis addixit, quique alias Ecclesiae, plus quam illa unquam petiisset, ultro adscripserat, nunc oblitus est eius esse regere matrimonii vinculum, cuius fuit instituere et regere sacramentum, Dei nempe et Ecclesiae. Haec igitur habeat scriptor quondam clarissimus.

1) Gioberti, *Rinnov.*, tom. II, p. 337.

XIV. Matrimonii vinculum, in quo est contractus essentia, Deus ob origine principibus subtraxit, et religioni addixit: « Benedixitque illis Deus 2). » Deus coniunxit et benedixit: pontificis actus, non imperantis. Hinc illa fluxit atque explicatur humani generis traditio, ferens rem maxime sacram esse sponsorum coniugia, non principum nutu aut praesentia, sed sacerdotum precationibus et Deorum numine celebranda. Augustus ipse de Liviae matrimonio, quam Tiberio Neroni subtraxerat, sacerdotum quaerit responsa: « Et consulti per ludibrium pontifices, an concepto, necdum edito partu, rite nuberet 3). » Volo comoediam, sacerdotium philippizabat; res manet: consulti sacerdotes. Ad tam invictam saeculorum et gentium traditionem, quanam obtruditur fronte, Ecclesiam principum legibus, quasi non omni tempore sacra res extiterit, matrimonium subduxisse? An non de contractu agebatur Liviam inter et Augustum? Attamen de illo, non tabularum, non senatus, non praetoris, sed sacerdotum responsa quaerebantur. An non saltem Ecclesia eodem fruetur iure, quo religiones ceterae potiebantur? An hodie magis, quam Augusti aevo, pagani erimus?

2) *Gen.* I, 29.

3) Tac., *Annal.* I, 10.

XV. Abiectissima philosophia et iurisprudentia, quae ut gentes subtrahat ex Dei imperio, hominum ipsa, ut Arabi equorum coniunctionibus, vel ut pecudum venditionibus, legem dicit! Quam sublimia ex adverso Apostolorum sensa, matrimonium semper adhibentium ut figuram sanctissimae Christi coniunctionis cum Ecclesia! « Mulieres viris suis subditae sint, si-

cut Domino, quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus ca-
1) *Ephes.*, V, 22. put est Ecclesiae 1). » « Sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita
2) Ibid. 24. mulieres viris suis in omnibus 2). » « Viri, diligite uxores ve-
stras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro
3 Ibid. 25. ea 3). » « Viri, debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui
suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim carnem suam
odio habuit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Eccle-
4 Ibid. 30. siam 4). » Quis hac mentis celsitudine, et affectuum puritate et
granditate non rapiatur? Non effecerant, neque efficient huma-
nae leges, ne hominum genus non volutaretur in coeno : vectis
ille divinus hominem evexerat ad caelum. Adhuc ne igitur usur-
pationis redarguetur Ecclesia? An potius inauditus adeo sermo
non evincet, novam quamdam matrimonio sanctitatem accessis-
se? En novae legis sacramentum.

XVI. Quid enimvero Christus? Ut dignam sacramento pa-
ret materiam, contractum ipsum aggreditur. Principum leges de
divortio absolute dissolvit ac reiicit. Usurpat ne ipse imperato-
ribus? Imo quae ipsi usurpaverant, naturali et divino iuri resti-
tuit, contractus nimirum substantiam. Eodem iure Apostoli, nul-
la humanarum legum ratione habita, polygamiam et divortium
damnant. Paulus in prima ad Corinthios epistola, ius dicit infi-
delium matrimonio, uno ex coniugibus ad fidem converso. Igna-
tius martyr, Athenagoras, s. Irenaeus, Tertullianus, Origenes,
regendum Ecclesiae legibus matrimonium affirmant. Christianam
iurisprudentiam imperatores recipiunt, quoad pagani adhuc mo-
res ferebant. Ecclesia statuit impedimenta, nullaque imperato-
res, nisi illa approbante. Ius erat publicum, certum, universale
et constans; usurpationis vox nunquam audita, nisi a carnis vel
principum assentatoribus, sero autem, post sex et decem saecu-
la. « Christus, ait Gallicus iurisconsultus, ex matrimonio sacra-
mentum efficiens, ius fecit Ecclesiae de personarum habilitate at-
que impedimentis constituendi. Semper hoc iure usa est Eccle-
5) Hérincourt, sia 5). » Semperque inter catholicos utetur, frustra obsistenti-
Lois eccl., par. 3. *du mariage*. ch. 3, art. 2. bus, Luthero, Launoio, Tamburini, Petzech, aliisque vel haere-
ticis, vel ex haeretica labe genitis reformatoribus, et superbis
conscientiarum dominatoribus.

XVII. Sed ponamus nullam a *novis* fidem sacramento ad-
hiberi. An saltem sponsorum mens ad caelum non erigenda? An
alibi melius caeli benedictiones effundendae? An furentissima o-
mnium cupiditas, religionis imperio, quae coniugi fidem sacram
ac verendam faciat, non cohibenda? « Quid enim Venus ebria
curat? »

Audio quid veteres olim moneatis amici:
Pone seras, cohibe. Sed quis custodiet ipsos
Custodes? Cauta est, et ab illis incipit uxor;
t. VI. Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil... 6).

XVIII. Concludimus. Matrimonium *civile* iniqua est eversio iuris divini praecipientis: « Quod Deus coniunxit, homo non separet. » E converso, homo coniungit, homo separat. Incivilissima est familiae et societatis labes, spuriorum procreatrix, incestus et adulteria, prostituta legislatoris auctoritate, firma et rata faciens. Divinae restaurationis opus, illa maxima diruit parte, quae mores attingit; Redemptoris gratiam ab humanis generationibus avertit, ut iam illae a brutorum generationibus non discriminentur; et vivificandam spiritu carnem, a virginis Filio olim assumptam, ad illa retrahit tempora, quibus Deus ab homine recesserat, quia *caro est* (*a*).

(*a*) Matrimonii civilis recensita hoc titulo vitia, exquisite complectitur inculta et festinata lex in Subalpinis lata Comitiis, die 5 iulii 1852. Ecclesiae dogmata et leges absolute conculcantur; inter clamores approbatur: nullum legitimis reclamationibus tempus vel spatium interiicitur. Sic gens maxime catholica, aliis digna legislatoribus, a suis repraesentantibus illuditur; sic libertas popularis in religiosam et popularem tyrannidem convertitur. Sed Ordo vigilat, vere liber: Episcopi, certantes pro veritate et iustitia, nec carceres vel exilia metuentes, quae alii nuper ex ipsis passi sunt, legem illam certis argumentis *inconstitutionalem* affirmant, constitutis nempe fundamentalibus repugnantem; *immoralem*, *radicaliter et profunde immoralem*; *societati maxime adversam*; demum *acatholicam*, atque ex illis sophistis enatam, quae regnum caput perducebant ad mortem. Haec Episcopi in postulationibus ad Senatum, qui nondum de eadem lege sententiam dixit. Dicat vero, et fiat lex. Eritne vera lex? imo foedissima iniquitas, qua scelestus vir ecclesiastico more et sacramento coniuncta sibi uxore utetur quoad voluerit, illam deinde et filios abiiciet, ut aliam ducat *civili matrimonio*. Hoc immoralitatis portentum lex et civilitas appellabitur? Haec ne Subalpinorum mens et voluntas? Apage! Sed fraus, vis et mendacium. Interim Episcopi Sabaudi suo non deficientes muneri, sola *civili lege* contrahentes excommunicationi subiiciunt, ecclesiastica privant sepultura ni resipiscant, et filios illegitimos declarant. Quot discordiae! Quae mala! Sed quid non audet iam imperans sophisma? Lege nondum perfecta, adversa scripta fiscus invadit, auctores iudicio persequitur, constitutionali sublata *discussionis* libertate. Quid ergo libertas constitutionalis, nisi perpetua iurium et libertatis infractio? Celebris hoc certamine fiet liber et nomen comitis Costa della Torre, iuris consultissimi, et in Suprema Curia magistratus spectatissimi. Nam invicta pectora profligare, servilia autem extollere, mos est. Hisce ne civitas indiget? Illa subeunt Ciceronis: « Aerarium nullum est; auctoritas principum cecidit; consensus ordinum est divulsus; iudicia perierunt; civem qui se pro patriae salute opponat invidiae, frustra posthac requiretis » (*De Harusp. responsis*, in fine).—Lex superius dicta, reiecta est a Senatu Subalpino, *vix uno* superante suffragio. Quae Seniorum aula in ditione catholica! Sed ex adverso in atheam legem clarissima ingenia insurrexerant. Primus omnium laudatus comes Ignatius Della Torre, ex christiana et nationali iurisprudentia legem profligans; bimestri propterea carcere, nec levi pecunia liberaliter multatus. Anonymus deinde auctor libelli: *Sulle leggi civili che riguardano il matrimonio de' cristiani*, strictis argumentorum acie adversarios perfringens. Postremus tandem sed mentis vi, et philosophica ratione excelsior Æmilianus Avogadro, comes della Motta, in *Teorica dell'istituzione del matrimonio e della guerra molliforme a cui soggiace*. In spem illa nos vocant: « Finchè v'ha chi alza la voce contro le iniquità, le perfidie, le tirannidi di qualunque sorta, la società non è perduta: le ire che destano le franche parole, provano che i faziosi e i settari d'ogni paese sono ben lungi dal credersi vincitori » (Della Margherita, *Avvedimenti politici*, XIV). Matrimonii civilis nefandam legem hodie impetunt in Gallia Sauzet et Valimesnil, nec non postulationes plurimae ad Senatum.

TITULUS XV.

DE IURE GENTIUM INTERNATIONALI.

I. Societatum species et gradus; ius internationale *necessarium* vel *liberum*. II. Ius nationalitatis affine est iuri proprietatis. III. Natio fit sedes iurium, non creatrix; eius fines. IV. Nationes iuribus, non viribus pares: iustitiae actus necessarii vel liberi. V. Beneficentia pacem servat: Diplomatiae virtutes et crimina. VI. Pacem tuentur foedera, tum in externos, tum in internos. VII. Emancipationum vel insurrectionum recens historia. VIII. Interventus armatus, apud aliam gentem, quo modo licitus. IX. Belli, sive iuris armati, conditiones et adiuncta. X. Bellum, corruptae naturae indicium: tribunalis ethnarchici idea. XI. Consulentis et suadentis, non iubentis vel imperantis officium. XII. Curiae universalis munera. XIII. Deus ipse praesideat.

I. « Post civitatem vel urbem sequitur orbis terrae, in quo tertium gradum ponunt societatis humanae, incipientes a *domo*, atque inde ad *urbem*, deinde ad *orbem* progrediendo venientes: qui utique, sicut aquarum congeries, quanto maior est, tanto periculis plenior 1). » Haec Augustinus, amplissimam iurium sinthesim perficiens, qua genus humanum, Deo imperante, ordinatur ac regitur. *Familia* primum, vel privata societas, qua universa imperantis auctoritas, et iura, brevi orbite, in patre continentur. Deinde publica, pro vario consociationis gradu et genere. Nam est *patriarchalis*, seu familiarum coniunctio sub magno veluti patre; est *hypothatica*, sive plurium societatum coniunctio, quae cum proprio civili iure utantur, extrinsecus tamen in uno politico et nationali iure coagmentantur; est demum perfecta *gens* vel *natio*, uno civili et politico iure consociata. Sed neque hic finis, cum in *ethnarchica*, sive in una omnium urbium vel gentium vel nationum societate, natura, affectibus, utilitatibus vel necessitatibus colligatur genus humanum. Haec illa *orbis* societas Augustino dicta: in qua dum gentes quae gentibus accedunt, suam neque unitatem neque autonomiam deserant, internationalibus officiis et iuribus coutantur. Quae igitur de iuribus et officiis hactenus disputata sunt, ampliorem hic atque ultimam demum applicationem accipiunt. Natura nempe ipsa gentibus iustitiam constituit, ut ius sit gentium *necessarium* atque *absolutum;* alia, uti in commerciis pluribusque relationibus, libera reliquit, ut sit quoque inter gentes ius *voluntarium* et *liberum*. Ex utroque rerum genere fit illud ius gentium, quo nempe *gentes ad gentes ordinantur*.

1) S. Aug., *de Civ. Dei*, XIX. 7.

II. In ethnarchica societate, prima se offert quaestio de nationalitate, quae nationum respicit limites et physicas constitutiones. Quod enim aiunt nonnulli, nationes discriminandas esse ex linguis, locis vel moribus, non negamus aliquam speculative habere rationabilitatis speciem; quemadmodum nec absurde ac-

quabiliorem alii diligerent proprietatum partitionem. Sed quum non iam possibilium vel idearum limitibus, sed concretis iuribus et factis mundus contineatur, quumque proprietas fixis sit limitibus conscripta nunquam subvertendis, quin societas ipsa subvertatur; sic et censendum de nationalitatibus. Utque proprietatis comparationem prosequamur, sicut in proprietatibus ad aequabiliorem ordinem reducendis, *servatis iuribus acquisitis*, licitum est omnibus in communi agone contendere; sic non negamus, posse nova tempora, *modo constituta iura serventur*, novum nationibus ordinem afferre. Sed novarum ipsos nationalitatum patronos iudices volumus, an in constitutas modo nationalitates violenter insurgendo, atque illas *a priori* reficiendo, par non sequatur communistarum ius proprietates violenter abrogandi, et suo illas penu reficiendi. Sunt nempe iura ita colligata, ut abrupto capite, omnia dissolvantur. Quodsi, consulente natura, et civili iubente ordinatione, ut certa et tuta efficerentur privatorum dominia, inventa est praescriptio; idem in iure politico, maiori compellente necessitate, efficiendum est, ne incerta sint imperia, et quotidie nutent societatis politicae fundamenta.

III. Sic definita natio cum suo imperante, *sedes* fit, non *creatrix* iurium quae inter gentes explicantur. Gentibus itaque praesidet ius naturale et divinum, pacta nationalia antecedens, eaque firmans vi sua. Finis, iustitiae amor, subsidia, pax *servanda, tuenda, restauranda.*

IV. Iustitia omnes gentes, ut natura singuli homines, pares sunt quoad iura substantialia: habent enim illae quamdam personalitatem, ex iure, non ex viribus dimetiendam. Gens fortior quae vi abutitur in debiliorem, in quonam, nisi criminis granditate, a praedone discriminatur? Non iusta propterea quae olim Europei in Americanos, quaeque illi nunc in finitimos agunt. Primum ius gentis, est sua ipsius existentia. Stricta haec iubet iustitia. Ad liberam iustitiam referuntur commercia; quibus dando et accipiendo sibi gentes subveniunt. Liberum inter gentes commercium *(libero scambio)* optabile esset, nisi oppositae quandoque forent populorum utilitates. Sic opificiis florentem maxime gentem si cum agricola conferas, ex libero opificiorum commercio illa gaudet, haec patitur. Commerciis liberum mare datum est a natura, ut hominibus aër: excipe loca prope litus peculiariter fructifera, vel adiacentibus populis ad securitatem necessaria.

V. Iustitiam comitatur beneficentia, unde fiunt subsidia. Primo ad pacem *servandam*. Varias enim inter gentes, vel inter gentis eiusdem populum atque imperantem ortis dissidiis, accurrit gens altera pacem allatura. Atque utinam non foverentur dissidia, ad propriam utilitatem! Utinam sancte hoc pacis ministerium semper exerceatur! Certe hoc est Diplomatiae opus et beneficium, quod pene ignoraverant gentes antiquae. Licet Diplo-

matia *simulandi ars* definita sit a Machiavellistis, primam habet conditionem fidem et sinceritatem, cum regia quadam dignitate: est enim quasi permanens principum et gentium consilium ubique diffusum, mutuae utilitatis et concordiae servandae causa. Hinc honores atque immunitates: quae hominem eiusque gentem efficerent scelestiorem, si ad serendas fraudes et dissidia apud exteras gentes, gradu, fide, atque immunitatibus uterentur (*a*).

VI. Nutantem quandoque pacem foedera et subsidia tuentur tum in exteros, tum in internos. Foedera pactorum tabulis continentur. Sicut privatis, si inique impetantur, sic gentibus gentes honeste subveniunt: lex enim fert aequitatis et humanitatis, ut fortiores imbecillioribus fiant in salutem; tum, ut iunctis viribus, iniuriae repellantur. De internis simultatibus populum inter et populum, vel inter illum et principem, difficilior est quaestio.

VII. Facta non sibi constant. Americanae emancipationi faverat Gallia in Britanniam: non quaerimus iure ne an iniuria, sed malo sane pacti socialis argumento. Paulo post, gallicae insurrectioni favebat ipsa Britannia, alio tamen exitu: nam novo imperii ordine gens Americana constituebatur; Gallia et Europa fere dissolvebantur. Peracta restauratione, explicito europeorum principum auxilio Graeci in libertatem a Turcarum iugo vindicabantur. Belgae fiebant sui iuris; Hispaniarum et Lusitaniae monarchia convertebatur. Anglicanismus suum perficiebat opus: monarchiae repraesentativae ubique constituebantur. Demum, anno 1830, Gallia a legitimitatis iure, nova insurrectione plenissime recesserat. Tunc satius visum est neutralitatis ius (*il non intervento*): usque ad annum 1850, quo, expleta rerum serie, europeo iudicio (exceptis insurrectionum patronis) Sedis Romanae civile imperium restitutum est. Interim vero dum neutralitas publice efferebatur, totius orbis insurrectiones uno foedere iungebantur.

VIII. De iure nunc quid constituendum sit, res est plena periculi. Nam quilibet in domo sua princeps, nec alienis ordinario patet accessus, licet non omnia ordinatissime fiant. Nec alia est res sui ipsius adeo diffusiva, quam revolutio, ut vere scripserat Taparelli: « La repubblica trionfante volle regalar repubbliche, l'usurpatore usurpatori, la costituzione costituzioni, e attualmente l'anglicanismo vuol regalare spagnolismo. Questa specie di soccorso è quella che rende più abbominevole ogni intervento; è il soccorso recato dall'uomo al cavallo nella guerra contro il cervo 1). » Sed cum rei abusus non illius inficiat naturam, interventus licitus vel debitus fiet, 1. si invocatus a principe vel a gente in causa iusta. 2. Si invocatio non sit possibilis, sed

1) *Saggio teoretico ecc.*, Dissert. IV, cap. 4.

(*a*) Diplomaticae officia, errores, somnia, ineptitudines vel crimina, ab anno praesertim 1815, ex penitissima rerum temporumque notitia enarrat, perpendit ac iudicat Clemens Solaro della Margarita (*Accedimenti politici*, XVII).

praesumatur: quod fit, imperante factione, et tyrannidem exercente. 3. Etiamsi nec invocetur, nec praesumatur, cum malum instat finitimis gentibus, subversivis vel doctrinis vel factis: est enim ius ignem extinguendi in proxima domo; insociales autem doctrinae, si periculum vere afferant, iam ipsae facta sunt et crimina in gentium societatem. Dixi: ignem extinguendi; non vero domum et familiam perimendi (*a*). 4. Si aliquando populis instet revolutio universalis atque insocialis, iunctis viribus in illam populos tueri, imperantium est non dicam ius sed officium.

IX. Bellum est *ius armatum*, pacis servandae vel restaurandae causa. Singulis quippe natura concessum est, ut impendens iniuria propulsetur, vel illata sarciatur: quod, extra periculum, servato ordine iuris, et publica agitur auctoritate. Sed cum nullum gentibus emineat superius tribunal, tunc arma suppetunt, ultima ratio regum. Ratio inquam: si enim deficiat rationis prudentia et iudicium, non hominum sed belluarum certamen haberetur. Hinc prima conditio: aequitas et prudentia. Aequitas ius, prudentia respicit media et effectus. Altera conditio est publicitas, ut nimirum bella a publica illa persona indicentur, ultra quam nihil sit. Tertia, ut moderamen servetur inculpatae tutelae, de quo alibi diximus 1). Hebraeorum bella, quibus a Deo iussa populorum exterminia implebantur, ad iuris naturae exemplum minime adducenda. Ut gentes amicae, cum natione bellum gerente, innoxias communicationes et commercia intercipiant, a natione altera nullo iure exigi potest: unde laudatur Pii VII aequa mens, invicta fortitudine iussa reiicientis gallici imperatoris, ut ille a communibus ex iure gentium cum Britannis relationibus recederet. Atrox belli ius, quo gentium rebus et personis damnatio inferebatur, religio amandavit, rem efficiens strictissimae necessitatis, defensionis atque humanitatis. Hoc rationis canone, universam belli iurisprudentiam complectimur: *in repellenda iniuria aut vindicanda, nihil agendum, nisi quod aequissimus ediceret iudex vel tribunal, si adesset, reparatione cum iniuria optime commensurata.*

1) Lib. II, tit. XII, §. VII.

X. Sed cum neminem deceat iudicem fieri in propria causa, cur in maxima gentium societate, idem princeps vel populus, in gloriae aliarumque cupiditatum aestu, fit actor, et iudex, et quidem armatus? Quaenam iustitia, quae in ore gladii expenditur? Quaenam adeo atrox iniuria, quae tot innocentium an-

(*a*) Se quei tre principi *filosofi* del secolo XVIII, che mostrarono sì poca *filosofia* nel trattato del 1772, invece di sbranar la Polonia amica, le avesser dato nuove forme politiche meno impraticabili delle antiche, sarebbero stati dalla posterità lodati come benefattori d'una società aiutata » (Taparelli, loc. cit.). Monarchia hereditaria, pro electiva quae tamdiu armorum civilium fomes extiterat, Poloniae saluti consuluisset, sequentibus autem insurrectionibus maximam materiae partem sustulisset. Sed aequa principibus et populis iura nunquam edixit recens philosophia.

goribus et caede sit eluenda? Quaenam haec fraternitas, quae in cogitata fratrum internecione et sanguine laetatur? Habes corruptae naturae irrefutabile indicium: ira Dei in gentes; ignis, grando, spiritus bellorum et procellarum faciunt verbum eius. Ex qua humanae gentis perturbatione, quandoque assurgens societas ethnarchica, ipsa sibi communem componebat auctoritatem, pontificiam in medio aevo, nunc autem in diplomaticis consultationibus. Hoc testantur gentium ad gentes appellationes et protestationes: *humanitatis*, non verae *iurisdictionis* vel auctoritatis officia. Hisce limitibus ethnarchicum tribunal, et possibile credimus et praestolamur: perfecti iuris, cum coactiva sanctione, non expectamus. In tanta enim cupiditatum pugna, discissis suffragiis, quis superius dicet ius, quis alteram coget partem? Absolutum ergo gentium tribunal, ipse est Deus.

XI. Esset tamen in *consultivo* atque amplissimo gentium Senatu magna auctoritas et utilitas. In *consultivo*, inquam: est enim ius cuique populo immanens, sua ipsius autonomia. Damironis quippe sententiam, qua ille rudiores populos in tutelae iure apud cultiores esse decernit, ut gentium libertati noxiam non recipimus: periculosior deinde gentium in gentes dominatus. Quis autem, qui pupilli vel tutores dicendi sint, certa signat linea? Iuris itaque loco, nos charitatis et beneficentiae ponimus suasiones et consilia. Civilissimum missionariorum opus iuvent principes et excultae iam gentes: praecurrentem religionem sequetur morum comitas, iuris imperium, et vera civilitas. Primo igitur ethnarchicus Senatus, seu magnum principum Consilium, persuasionibus agat, non vi. Excipe, si factio in factionem, vel gens irruat in gentem: iniquos enim aggressores compescimus, ut aggressis opitulemur. Rem non imaginariam prosequimur, sed quae in legationibus et diplomaticis relationibus, iam plurimam sui imaginem referat.

XII. Communibus consultationibus conflatum tribunal, communi utilitati et paci advigilabit, subtractis bellorum et seditionum causis. Erunt igitur eius officia: 1. illa gentium utilitas, quae in singulis iuribus sit constituta. 2. Mutuis se benevolentiae officiis prosequi, ut pax sit pulchra et diuturna. 3. Bellorum et seditionum causas removere potius quam cohibere. Usquequo enim se, armata pace, Europa conficiet? Verumtamen, positis armis, imperia subvertentur. Dum itaque, communi consilio, urbium eversores cohibentur, civium educationi, et restituendis moribus et doctrinis strenue incumbendum: ut, Deo favente, iacens erigatur auctoritatis principium. Hoc unica fiet catholica religione, quae cum ipsa sit auctoritas e caelo demissa, ideo a societatis hostibus latissime oppugnatur atque acerbissime: contra vero, protestantismum primo extollunt, qui omnigenae auctoritati bellum movet, donec solus imperet individualismus et egoismus. Sed illustria quoque moralitatis exempla populis emineant. Si sub-

fectum humanis legibus populum reges desiderant, ipsi primum iuri divino frontem submittant. Cessent legumlatorum scandala, cesset athea lex, et ministra fiat iuris divini; in quo sunt iura principum et populorum, ordo, aequitas et libertas. Dum populi summum refellimus imperium, quis tamen summum neget populorum ius, ut ad communem utilitatem apte et recte gubernentur? Non vi itaque semper, sed iustitia, et prudentia, et aequitate maxime ac probitate contendendum. Dignae hae sunt curae, quibus principum Senatus, augusta orbis Curia, operam impendat.

XIII. Quis vero praesideat? *Sapientia desursum descendens* 1): non homo, sed Deus: « Non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini 2). » Ille, ut summa erat ratio et summum ius, ab initio sermonis, sic in fine summus fit rector et iudex. Metam itaque contigimus, contrahimus vela et concludimus.

1) Iacob., III, 15.
2) II, *Paralip.* XIX, 6.

TITULUS XVI.

CONCLUSIO.

I. Errorum caput, rationis emancipatio a iure divino. II. Expenditur litterarii, III. tum iuris publici et politici institutio, ex paganorum fontibus hausta. IV. Hinc duplex effectus: paganismus et republicanismus. V. Remedia: retinenda veterum concinnitas, auctores seligendi et expurgandi, divini et sacri in lucem extrahendi; civitatis iura et officia ex divino iure reficienda. VI. A qua ideali et politica gentium restauratione quam longe absumus! VII. Gentium civilium conspectus. VIII. Futura tempora; minae et spes. IX. Salva erit navicula, ad iustitiae fontem, cum suis, reversura.

I. Perfecti iam operis rationem reddituri, nos iacentem naturam, ad *rationalem* et *civilem* et *politicum* ordinem erigendam assumpsisse, atque in id perpetua oratione conatos esse, et animo percipimus et libentissime fatemur. Reversionis nostrae, tum idealis tum politicae, ad naturalismum et paganismum, terrima causa et universalissima, est emancipatio mentis a iure divino.

II. Studiorum quoque rationem hodie reprehendunt multi. Revera, quid novimus, quid pueri animo ebibimus, nisi Deorum fabellas et crimina, republicanae autem libertatis amorem, quo usque ad delirium fervent graecae et romanae litterae? Nonne divina Ciceronis mens, de horrendo parricidio, ex Stoicorum placito, iuniori Bruto gratulabatur? « Nullo, inquit, publico consilio rempublicam liberasti; quo etiam est res illa maior et clarior 3). » Sed quae libertas, qua privatus homo fit et iudex et carnifex! Quae libertas, qua foedissimus homo Ciceronis ipsius

3) *Id fam.* XI, 7.

caput et manus pro rostris poni iussit, dum foedissima mulier spectantibus Romanis, et vix attollentibus lacrymis oculos, linguam acubus compungit, illudens et conspuens! Et nos olim pueri illam admirabamur libertatem, et nunc plurimi, homines facti, sed semper pueri, arrogantiam illam et licentiam et despectum illustrium virorum, et bonorum oppressiones et caedes et proscriptiones, et incertum quotidie rei publicae statum, verae libertatis praeferunt decori et sanctitati. Non ultima haec errorum causa, litteraria institutio.

III. Gravior altera: iuris scilicet publici institutio. Romae nunquam, nisi umbratile, populi fuit imperium. Verba tamen aderant: a Praetore siquidem, cuius auctoritas senatui et legibus eminebat, ad populum appellabatur. Imperatores verba retinuerant, etsi publica quaecumque iura in Augusti successoribus colligebantur. Cassae ideo formulae, imperatoribus summa tenentibus, *Senatus Populusque Romanus*. Hinc rerum et verborum pugna, ut nescias quomodo illud Reipublicae atque Imperii monstrum denique definias. Re Imperium vigebat, nomine Respublica. Imperium, cum emortuis dudum popularibus formulis, in Romanos Pontifices traducebatur. Sed elapsis medii aevi tempestatibus, cum Arnaldo brixiensi republicanae formulae resurrexerant; litterati homines, sed nequaquam philosophi, e graecis et romanis codicibus paganam libertatem ebiberant, ad nullam certam humani vel divini iuris rationem comparatam; Lutheri demum, Calvini et Henrici VIII secessione, reversionis opus implebatur. Sed quidquid moliebantur litterati homines, scholarum vel circulorum ambitu continebatur: iuris autem periti, propter illam quam cum legibus, et legum datoribus, et cum imperantibus ipsis retinent affinitatem, modo populi, modo imperantium absolutissimam tyrannidem, ex romano iure haustam, in modernam traduxerunt civitatem. Illorum Deus Civitas vel Status: iura revelata et divina, ut paganorum fere tempore evanuerant, vel ad humanam temperabantur voluntatem. Iusurgenti demum revolutioni, legales formulas aptaverant. Si, raris exceptionibus, romani iurisconsulti, praecipue vero Rotae tribunal, germana legum scientia orbi inclaruerunt, catholicae fidei referant, cuius cathedram tenent.

IV. Habemus igitur puerilem, iuvenilem deinde ac virilem institutionem, paganismo et republicanismo latissime infectam. Mirabimur itaque si plurima gentium pars, pagana iterum et republicana efficiatur? Quid ipsa antiqui habet Roma, quod commodam Deorum fidem, et popularem non efferat libertatem? Iam dudum ergo, et litteris et legibus, nutantes versamur inter mundum christianum et paganum.

V. Si remedia postules, abrumpet ne quis firmam atque universalem cum veteri mundo consuetudinem? Nec fieri posset, nec decet: est enim traditionalis, variisque perfecta aetatibus ho-

minum vita, fitque humanae argumentum imbecillitatis ipsa vetustas erroris. Quid ergo? Expurgentur auctores, atque a christianis praeceptoribus christiane interpretentur: ita ut gentiles ipsi dilectissimis adolescentibus recte tum dicendi tum agendi magistri fiant. Deinde christianae sapientiae doctoribus amplior fiat locus; in quo vere nos nos ipsi defecimus. Quot enim et quos habemus poëseos et eloquentiae thesauros in Prophetis atque in Apostolis, in Ecclesiae Apologetis et Patribus, quos nunquam iuventuti reseravimus? Si minori quandoque hi fulgent eloquii venustate, quam illis mente et pectore eminent? At in media nos christianitate, ethnicam institutionem prosequimur. Quae vero ad ius publicum et politicum attinent, semper ne homines, paedagogorum vix digni honore, ex corrupto ethnicorum iure elicient, nobisque imponent? Adhuc ne ex delapsa et longa seculorum vice corrupta, nunquam vero ex restaurata natura, gentium depromemus iura et officia? In litteraria igitur et civili et politica hominis educatione, in disciplinis, in moribus, in legibus, vis iacens erigatur iuris divini. Gentes quae, vix media dilapsa aetate, cum paganorum cultura, paganos spiritus, in dies ac velut nescientes attraxerant, ad divinum tandem ius, quo est refecta et reparata natura, strenue revertantur. Quemadmodum enim inordinati affectus, in homine, rationis imperio continentur; ita devia ethnicorum placita christiano iure coërcebuntur: ut ex illis dicendi venustas ac vis, bene facta si adsint, non mores accipiantur (*a*).

VI. Sed quam absumus a fine! quam absumus a principio! Ante diem 2 decembris anni 1851, per universam europam socialismi fulmina coruscabant; postea, fictitia atque utinam non proditrix securitas incubuit; mergimur rebus secundis. Fruitur hac ipsa pace nec victus, nec iners socialismus, ultima haeresis politica et civilis. Boni tantum actum est, quantum magnis avertendis angoribus et suspicionibus sufficiat, de quo ipsi gaudent socialistae, maiori studio et animorum consensione suum ubique opus retractantes. Socialismus, recte definit Proudhon, unum habet hostem, *dogma catholicum*. Hoc ergo fervet certamen, ultimum hoc civilis Europae verbum: VEL SOCIALISMUS VEL CA-

(*a*) Quaestionem quae nunc, praesertim in Gallia, suspensos habet animos de auctorum qui classici appellantur utilitate, iisque ubique inflectendis ad christianam veritatem, diserte alibi pertractavimus. Vide quae non ita pridem conscripsimus: *Introduzione agli studi ecclesiastici, conforme ai bisogni religiosi e civili*; Torino 1847. Deinde: *Lezioni di eloquenza sacra*; Torino, 1850; tom. I. et III., ediz. 5. Excessus reprobamus: antiqua patrum haereditate, cum delectu et sapientia uti possumus, quin abutamur. — Haec nos anno 1852. Sequentis vero anni 1853 clarissima extat Pii IX ad Galliarum Episcopos littera, eodem plane sensu litem definiens. Auream itaque ethnicorum cogitandi dicendique elegantiam retineamus; sed vacuam formam vel corruptam sententiam, ubique in studiis, in moribus, in iure privato et publico, ex integro reficiamus, ut labentem ubique societatem sustentemus vel restituamus.

coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum 1). » Nam, cum navicula (imago gentium et Ecclesiae) in medio mari fluctibus iactabatur, *Iesus vero dormiebat*, surgens ille « imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna 2). » Divinitatis signo perciti, « qui in navicula erant, venerunt, et adoraverunt eum dicentes: VERE FILIUS DEI ES 3). »

1) *Prov.*, VIII.

2) Matth., VIII.

3) Id., XIV, 33.

IX. Ceterum, quum extremo casu gentes atque imperia dissolventur, salva fiet navicula iura gentium referens, ipsa, cum suis, ad iustitiae fontem immutabiliter reversura.



OPALIS.

Archiepiscopalis hac die 15

Vicarius Glis
D. CAPASSO

pera. — Benevento 4 Novem-

Il Segretario di Polizia
G. Conte Brigante Colonna

IV. De naturae aequalitate et fraternitate circa ius proprietatis. . . . . » 116
V. De officiis iustitiae et beneficentiae quoad proprietatem. 122
VI. Proprietatis notio historica apud orientales et graecos. 128
VII. Notio historica proprietatis apud romanos. . . . . » 132
VIII. Proprietatis vices a romanis usque ad nos. . . . » 137
IX. De rebus Deo dicatis quoad ius naturae et gentium. » 143
X. Ius Ecclesiae catholicae in fixam et permanentem proprietatem . . . . . » 149
XI. Communismi legalis et politici institutio . . . . » 157
XII. De iure naturali et civili in dominio acquirendo vel retinendo. . . . . » 166
XIII. De concordia aequitatis naturalis et civilis servanda in pactis . . . . . » 172
XIV. De iure hominis in hominem, seu de servitute. . » 182
XV. De naturae humanae restauratione quoad servitutem. » 188
XVI. Servitus expungitur e iure gentium. . . . . » 196
XVII. De iure vitae et necis in privatis et in principe. . » 201
XVIII. De iniuria reparanda. . . . . » 211

LIBER TERTIUS.

DE RELATIONE HOMINIS AD SOCIETATEM, SIVE DE IURE POLITICO.

TIT. I. Societatis constitutio ex iure naturae: rerum ordo et conspectus generalis . . . . . » 225
II. Iuris politici constitutio ex pacto sociali . . . . » 233
III. Principatus origo ex iure naturali et divino . . . » 243
IV. De iure resistendi et aggrediendi. . . . . » 251
V. Quid sit revolutio. . . . . » 259
VI. Regiminum formae definiuntur et comparantur . . » 264
VII. Imperium populare . . . . . » 271
VIII. De regimine repraesentativo . . . . . » 278
IX. De optima regiminis forma. . . . . » 289
X. Relationes et vices Ecclesiae ad imperium civile . » 298
XI. Vera relatio et constitutio Ecclesiae ad Imperium . » 306
XII. De concordatis . . . . . » 313
XIII. De cultuum libertate in iure civili . . . . . » 320
XIV. De iure principis in matrimonium . . . . . » 326
XV. De iure gentium internationali . . . . . » 336
XVI. Conclusio. . . . . » 341

CURIA ARCHIEPISCOPALIS.

REIMPRIMATUR — Beneventi ex Curia Archiepiscopalis hac die 15 Octobris 1853.

Pro-Vicarius Glis
B. ARCHID. CAPASSO

Si permette la ristampa della detta Opera. — Benevento 4 Novembre 1853.

Il Segretario di Polizia
G. Conte Brigante Colonna

DE

ROMANI PONTIFICIS

AUCTORITATE DOCTRINALI

TESTIMONIA

LITURGICA ECCLESIAE GRAECAE

SELECTA

A IOSEPHO COZZA-LUZI

MONACHO ORD. S. BASILII M.

ROMAE

TYPIS S. CONGREG. DE PROPAGANDA FIDE

SOC. EQ. PETRO MARIETTI ADMINISTRO.

1870.

1. Si exemplo maiorum et instituto nostro ad graeca monumenta manus admovemus, fieri non potest ut hoc tempore ea omnino praetermittamus ad quae vel inquisitiones vel vota omnium spectant, circa supremam in sacra tradenda doctrina auctoritatem Romano Pontifici tributam. Quandoquidem hereditario quasi officio ferimur ad haec consideranda; et ut vires omnes nostras ad huius generis documenta in Ecclesia Graeca investiganda intendamus nobis in primis consentaneum esse dignoscimus. Novimus quidem ipsius Basilii Magni monastici ordinis Patris erga Sedem Romanam observantiam edoctam atque exhibitam (1); novimus tot et celebrium nostri instituti virorum obsequium per multa saecula et in maximis Ecclesiae perturbationibus in Oriente praesertim pro eadem Sede impensum; novimus praeterea in eodem Monasterio nostro Cryptoferratensi memorias (2) multas et insignes, quae alumnos ad huiuscemodi inquisitiones excitant, et modo ad sententiam traditionis de suprema Romani Pontificis doctrinali praerogativa declarandam impellunt.

2. Cum itaque et tempus ipsum et catholicorum hominum vota expostulare videantur, ut ex graecis quoque fontibus aliqua hauriantur, praecipue ea nobis attingenda

esse autumavimus quae minus quam par est ab aliis investigata, tamen ad traditionem ecclesiasticam aperiendam et roborandam prae ceteris vim habere nemo inficiabitur. Sunt haec illa verba quibus sacra liturgica cantica conficiuntur, quae Graeca Ecclesia plurium saeculorum usu consecravit, quae communes referunt ab omnibus proclamatas veritates atque sententias, in quibus non unus alterve Ecclesiae Doctor opinionem pronunciat suam, sed ipsa Graeca Ecclesia ore suo quas tenet sententias per generationes quotannis in solemni celebratione festorum dierum publice manifestat. Hinc est ut quando testimonium liturgicum ad traditionem comprobandam exhibetur, haud omnino necesse sit ut inquiratur quis auctor verborum fuerit; sed tantum scire fas sit verba illa relata fuisse inter sacra cantica, et absque contentione in sacris usurpata ritibus. Hac enim ratione contingit, ut illa veluti verba Ecclesiae alicuius propria merito habeantur, et eius sententiam referre iure optime dicantur; siquidem *forma precandi* teste Augustino *forma credendi est:* unde ipse S. Doctor aiebat (De dono persev. VII) *prorsus hac in re non operosas disputationes expectet Ecclesia, sed attendat quotidianas orationes suas.*

3. Propterea ad argumentum nostrum propius accedentes animadvertimus ut si cui unquam opinio fuerit ab Ecclesia Graeca auctoritatem R. Pontificis oppugnari vel minui, consideret in ipsis liturgicis documentis sinceram perpetuamque hac in re traditionem; et forte in admirationem excitabitur cum viderit tot in re tantum liturgica adesse monumenta, eaque tam pulchre cum veritate conspirare, et amplissima de suprema illa auctoritate testimonia praebere. Quod quidem et eo magis mirum videbitur, quo appareat in orientali ecclesia tot et tanta de R. Pontifice celebrari praeconia, quae in liturgicis Latinorum monumentis frustra requirerentur.

4. Hinc alium quoque fructum consequi fas est. Certe capitalis schismatis origo, imo et ipsius schismatis natura

est illa pertinacia detrectandi obsequium capiti ecclesiae debitum; quae si amoveatur, membra omnia ecclesiae Christi sub visibili illius vices agente pastore facile venirent et dissecti palmites viti per illum iungerentur. At vero si isti viri qui in schismate degunt recte animadverterent non modo ad traditionalia documenta Sanctorum suorum, sed ad traditionem quae apud sese in libris liturgicis perseverat; si recte animadverterent ad verba, quae ipsi in sacris peragendis officiis pronunciant, facile per se ipsos ad debitum obsequium adducerentur et in exoptatam unionem in uno ovili et sub uno pastore congregarentur; ne in tanta contradictione versari videantur, ut denegent facto quod verbis liturgicis fatentur.

5. Nobis praeterea, dum traditionem Graecorum in liturgicis documentis expendendam suscipimus, necesse tantummodo esset ut verba ipsa fideliter in latinum conversa proponeremus; sed cum haec ex plurimis libris excerpserimus, et indicationem praebemus, et verba ex originali textu ad calcem adiungimus. Testimonia vero cum eiusmodi sint, ut in uno eodemque plures et varias sententias complectantur, si ordini logico in eisdem disponendis fuisset consulendum, vel eadem pluribus in locis iterare deberemus, vel membratim dissecta proponere; quod certe nec brevitati prodesset, nec ad ipsorum verborum vim dignoscendam fuisset opportunum. Ideoque aliquem in ordinem ea retulimus, sobrias animadversiones interiecimus et opportunas conclusiones adnotavimus. Noveramus quidem et fusius in iisdem enucleandis nos versari potuisse; sed hoc facile eruditi omnes praestare possunt, et quod iam nos constitueramus, scilicet testimonia illa abundanti SS. Patrum et Scriptorum collatione illustrare, neque temporis angustiae, neque breve elucubratiunculae nostrae fines efficere permittebant. Nihilominus et haec liturgica documenta breviter simpliciterque exposita vim maximam sibi vindicare hac in re praesertim nemo ignorat.

*

6. Hujusmodi expositionis ratio nonnulli requirere haud immerito videbitur, ut ex eodem liturgico penu conducta pertractatio praemitteretur circa supremam in Ecclesia docendi et regendi auctoritatem ab ipso Christo Domino Beato Petro tributam. Sed praeter quam quod haec ipsa ex manifestissimo Sacrarum Litterarum testimonio pateat; ideoque minime opus sit ut ex traditione comprobetur; tamen quantum ad liturgica spectat iam hisce nostris temporibus res ipsa abunde et docte pertractata est (3). Quapropter absque ulla mora ad argumentum nostrum accedimus, praesertim cum ex ipsis testimoniis, quae proferimus veritas haec de suprema auctoritate Petri Apostoli, utpote quae est implicita et fundamentalis veritas cui omnis adstruitur auctoritas RR. Pontificum illius successorum, implicite quoque illustrata apparebit.

7. Ut a Sylvestro exordiamur, quo Pontifice prima oecumenica Synodus Nicaeae est habita, in hymnis quos in eius laudem Graeci concinunt, testantur hunc R. Pontificem in ipso Concilio, cui per Legatos praeerat, fuisse veluti columnam ignis et nubem quae in liberatione de Aegyptiis populum Israeliticum praecedebant. Quae praesertim ea de causa dicta sunt, quia ex Ario Aegyptio homine magna haeresis tunc compescenda orta fuerat. Haeresis ista per Sylvestrum profligata dicitur, et is e tanto errore Christifideles liberasse, eosque per *infallibiles* doctrinas suas perpetua sorte ad divinum veritatis lumen adduxisse. En verba « Sylvester pater visus es veluti co» lumna ignis sacro more ducem agens sacrae congrega» tionis, et veluti nubes obumbrans, eripiens fideles ab » Aegyptio errore et semper infallibilibus doctrinis trans» ferens ad divinam lucem (4). »

Quod de Sylvestro heic dicitur utpote qui fuit dux et caput Nicaenae Synodi non modo confirmatur in ipsa narratione quam schismatici adhibent inter officia sacra, qui Sylvestrum primum inter Patres per Legatos fuisse

narrant; quinimo idipsum pluries et apertius asseritur in aliis canticis, quae catholici habent et ipsi schismatici servant. Legimus enim (Od. VIII) non modo illum fuisse decus Sedis Petri, sed ut is erat discipulorum coryphaeus, sic et Sylvestrum Nicaeni Concilii coryphaeum fuisse. « Visus es coryphaeus sacrae congregationis, et thronum » coryphaei discipulorum exornasti. » Et (Od. IX) « Ut » coryphaeus sacrorum Patrum sacratissimum dogma sta- » tuisti obstruens ora haereticorum (5). » Itaque si Ecclesia ea est quae suggerente Spiritu Sancto docet omnem veritatem, eiusdem vero pastores in sacris Conciliis dogmata praedicant; certe ille qui in iis Conciliis non modo caeteris pastoribus magistris praeest, sed et dogmata statuit et errores contundit, magister et Doctor tum Ecclesiae tum pastorum eorumque congregationis suis infallibilibus doctrinis, ut superius legimus et ex his quoque liturgicis verbis dicendus est. Praeterea aperte legimus Sylvestrum haereticos profligasse, id vero effecisse virtute S. Spiritus qui in eo operabatur. (Od. V): « O Sylvester prostravisti » aciem hostium qui doctrinae ab Apostolis praedicatae » adversabantur... (Od.VII). « Linguae quae in errore con- » sentiebant confusae sunt per virtutem divini Spiritus, qui » in te operabatur; et fidelium chori congregati sunt ad » glorificationem Dei (6). » Quid vero his verbis sedulo consideratis apertius atque illustrius requiri debet?

8. Quae Sylvestro in causa Ariana tribuuntur, eadem et de S. Caelestino Pontifice in causa Nestorii libri liturgici testantur. In Menaeis (ed.Venet. saec. XVI) quibus schismatici utuntur, legimus: « Caelestinus iuxta Apostolorum et » Patrum traditiones omnia dicens et agens per epistolam » prostravit impium Nestorium blasphemias illius Deo odi- » biles reprehendens et damnans. » Sed et luculentius quoque in alia vetustiore et catholica narratione liturgica, nempe Synaxario (die VIII April.) de Caelestino sermo est, qui opera usus Cyrilli Alexandrini quem vicarium suum in Ephesina Synodo constituerat « . . per epistolam dogma-

» ticam quam Roma misit ad Synodum Ephesi congrega-
» tam impium Nestorium deposuit, et ab orthodoxorum
» ecclesia expulit blasphemantem contra Filium Dei et
» contra sanctam Dei Matrem. Verum et per alia decreta
» doctrinalia orientis ecclesias hac peste liberavit (7).» Quo in loco non modo doctrinalis auctoritas sed iuridica suprema etiam supra ipsum Patriarcham constantinopolitanum asseritur; et insuper decreta definitionis dogmaticae Pontificis etiam in his liturgicis monumentis nomine *Epistolae dogmaticae* appellantur, eadem prorsus ratione atque in ipsa Romana Ecclesia appellari consueverunt. De auctoritate autem iuridica suprema testimonia sunt alia quoque ex liturgia ac praesertim de S. Agapito qui haereticum Patriarcham Anthimum deposuit et S. Mennam suffecit et manu sua consecravit (8); nec non de S. Martino qui tum Patriarcham tum Imperatorem damnavit (9).

9. Ad nostra vero ut redeamus plurima habemus de Leone I eiusque Tomo seu Litteris dogmaticis, quibus datis ad Synodum Chalcedonensem causa de duabus in Christo naturis definita est. Cum Graeci ipsius Synodi memoriam liturgicam celebrent (XVI Iulii vel dominic. post diem XIII) de Leone et hoc ipso in loco, dicunt quod per illius tomum definitum est fidei dogma; quem cum accepisset Sacra Synodus haereticos damnavit. En verba: « Severum et Dio-
» scorum in Christum blasphemantes damnavit quarta
» Synodus approbans tomum Leonis Pontificis Romae, qui
» mirifice duas Christi naturas definiebat (10).» Heic quoque phrasim in Ecclesia usurpatam recognosces; in Conciliis enim Pontifex dicit se definire *sacro approbante Concilio*. Praedicto testimonio consonant et quae scripsit Philotheus Patriarcha CP. a Romano Pontifice separatus in eo hymno, quem tantum schismatici in suis libris receperunt, de Chalcedonensi Synodo. (Od. IV) Patres Synodi alloquitur: « O sapientes normas Spiritus ad vos Roma missas susce-
» pistis, et eas declarantes in lumine Spiritus optime con-
» firmastis ecclesiam; » et (Od. V): « Scriptum illud Roma

» missum veluti divinum donum credentes, in eo sapientes » doctores turrim religionis stabiliverunt (11). »

Mirum post haec nemini esse debet si etiam in vetusta liturgia quam de ipso Leone omnes graeci agunt testimonia huius generis habeantur, cum et nunc discissi a Romana communione sequentem legant historiam: « Synodo IV » congregata... Beatus iste ad petitionem totius Synodi » inclinatus... et a divino Spiritu afflatus de quaestionibus » quae tunc agebantur scripta dedit duplicem operationem » et duas voluntates in Christo aperte praedicans. Et haec » per epistolam ad Concilium mittens... quam multitudo » Patrum suscipiens et hanc orthodoxiae veluti columnam » diiudicans et scripturam quasi ex ore Dei expressam cre- » dens et in ea acquiescens animosius haereticorum acies » oppugnavit, et eorum multiplices evertit machinationes. » In his autem solutus est coetus sacratissimus (12). »

10. Confessiones has luculentissimas confirmant vetusti hymni. Die XVIII Februarii legimus (Od. IV): « Lux » matutina ab occidente, o beatissime divina sapiens ortus » es, quum sanctorum dogmatum tomum veluti radium » misisti Ecclesiae. » Et (Od. VI): « Petri successor eius » primatum cum esset adeptus et fervidum zelum habens, » Dei impulsu scribit tomum qui haeresum turbidarum » mixtionem et fermentum confudit (13). » Ex his verbis declaratur auctoritatem doctrinalem a successione Petri et primatu in Ecclesia obvenire Pontifici et ad dogmaticas definitiones illum Dei impulsu duci.

11. Praeterea considerandum est quando in sacris liturgiis solemnis agitur Conciliorum memoria et lectio e sacra Scriptura habetur, tunc legi aliqua ex Deuteronomio (cap. I) ubi narratur Moyses quosdam sibi elegisse et adscivisse seniores ex Israel ut sibi subiecti negotiis populi consulerent. Qua in re veluti propheticam figuram episcoporum in Ecclesia quidam volunt recognoscere: et in seniorum conventu (Num. cap. XI) figuram Conciliorum. Ut vero huius coetus princeps erat Moyses dux et legis-

lator populi Dei; eodem pacto in Synodo Pontificem agere veluti ducem episcoporum hymni sacri conclamant; quin imo tabulis legis datae Moysi digito Dei in monte descriptis comparatur tomus, quem Leo Pontifex Synodo tradidit. Haec enim legimus (Od. VIII): « A Deo impulsus, » religionis doctrinas quasi a Deo impressas in tabulis » descripsisti, veluti Moyses alter apparens populo Dei et » congregationi venerabilium magistrorum (14). »

12. Et ut quasi cumulum his addant, in aliis vetustis canticis in eundem S. Leonem habemus; « Quo nomine » compellem te a Deo inspirate, caput orthodoxae Eccle- » siae Christi? » Et paulo post: « Quem te dicam o ve- » nerande? Dicam ne veritatis definitorem?.. Dicam ne » rectorem coryphaeum venerabilis Synodi? (15) » Quibus verbis supremam Pontificis in dogmatibus definiendis et in regendis conciliis auctoritatem manifestant. Tot tantisque de Leone Pontifice praedicatis laudibus hoc alterum addere liceat: « Sedens in throno sacerdotii ... » et « ob- » struxisti in finem labia dolosa haereticorum; unde virgi- » nem Christi Genitricem declarans vere Deiparam, Nesto- » rii superbiam prostravisti, et orbi et urbi apparuisti vere » mysta divinus Dei gratiae (16). »

13. Ad praeconia Leonis Magni accedunt et ea quibus graeci honestarunt sacras memorias Martini Papae, qui adversus Monothelitas haereticos strenue decertavit. De hoc enim Pontifice concinunt: « Quo te nomine compel- » labo, Martine? Dicam ne omnibus illustrem orthodoxae » doctrinae rectorem? Dicam te divinorum dogmatum » absque ullo fallo sacrum coryphaeum? Dicam erroris » veracissimum reprehensorem? (17) » Et (Od. I): « Naturas » duas et duas voluntates et duplicem operationem unum » e Trinitate Christum supernum Deum habere dogmate » constituisti, o beate; et omnes qui sic non veneran- » tur condemnasti. » Postea vero et ipsum congregantem Synodum et in Synodo quoque damnantem haereticos inducunt. (Od. III): « Divino zelo plenus congre-

» gasti sacram Synodum et Ecclesiae dogma statuisti...» « In medio Synodi damnasti Pyrrhum et Sergium.... et » qui cum eis blasphemabat. » (Od. V): « Sacratissimis » verbis tuis aperte stabilisti dogma venerandum, et acies » haereticorum profligasti. » (Od. VI): « Malignus dia- » bolus disrumpitur ante sacros pedes tuos; verbis tuis » et malignantium hominum aperta ora obstruuntur et » splendens super solem ostenditur dogma divinum. » Et caeteris hoc quoque adiungitur (Od. VIII) encomium « Te » episcoporum novimus basim, orthodoxae fidei colum- » nam, et religionis magistrum (18). » In narratione vero liturgica seu Synaxario dictum est quod haereticos « dam- » navit publicis litteris et definitionem religionis constituit » una cum Synodo secum congregata ad eversionem hae- » resis monothelitarum (19). »

14. His et alia quoque de eodem Martino dicta concordant, ex quibus pauca inedita iuvat adiungere. In pervetusto codice ad usum liturgicum legimus: « Coryphaeus » Patrum effectus quando vidisti monotheliticam doctrinam » per orbem diffusam ad ruinam omnium qui sic inique opi- » nabantur, tunc succensus zelo fidei congregasti divinam » Synodum et principes impietatis condemnasti. » Et ibidem (Od. VI): « Adductus es ad iudicum tribunal tu qui » damnasti errorem illorum qui unicam in Christo vo- » luntatem praedicabant. » Et postea quoque innuitur potestati a successione Petri Apostolorum principis Pontificibus derivatae (Od. VIII): « Decorasti divinam Petri » sedem, et in eius divina petra immobilem cum custo- » disses Ecclesiam, cum eo glorificatus es (20). »

15. Accedunt ad haec de pluribus Romanis Pontificibus dicta et ea quae sacri hymni habent de B. Gregorio Magno. Maximis et is apud graecos extollitur laudibus, et in ipso auctoritatem doctrinae supremam, utpote successore B. Petri inesse declaratur, et is veluti instrumentum a divino Spiritu motum praedicatur. De eo enim legimus ad diem XII mensis Martii: « Salve religionis o

» fax, quae splendoribus verborum tuorum universum » orbem illuminas... pharus in procella erroris iactatos ad » litus revocans et a morte liberans: organum agitatum af- » flatibus Spiritus. » (Od. III): « Sacratissime Pastor ma- » nifeste factus es successor in sede et zelo coryphaei po- » pulos purificans et Deo adducens. » Ut vero meliori quoque ratione sacer hymnus demonstraret, quo pacto fuerit successor B. Petri, ait (Contac. Oec. I) «... Succes- » sor in sede Principis chori discipulorum: unde verba ve- » luti fulgores o Gregori face proferens illuminas fideles. » Ac denique de doctrinali in universam ecclesiam praero- gativa quam habet Praesul Romanae Sedis haec habet: « Ecclesiarum prima cum te ad pectus (velut sponsum) » complexa esset, irrigat omnem terram quae sub sole » est piae doctrinae tuae divinis fluentis (21). »

16. Quae cum ita sint, quisque videt quam consentanee traditionibus Ecclesiae suae praesules Graecorum in con- cilio oecumenico Florentino, veluti basim unionis inter orientalem et occidentalem Ecclesiam stabiliendae et caput illud Decreti sanxerunt cuius haec verba sunt: « Decer- » nimus Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in » universum orbem primatum obtinere, eundemque esse » B. Petri successorem et ipsius Christi in terris Vicarium, » patrem et magistrum omnium christianorum etc. (22). »

17. Verba haec non modo quasi epilogum traditionis, quae est apud Graecos usurpavimus; sed etiam ut iis alia quaedam liturgica adiungamus. Sicut enim de aliis Synodis oecumenicis, ita et de Florentina statim commemorationem liturgicam et ipsi Graeci fieri constituerunt, et cantica quoque concinnavere. Etsi in libris ecclesiasticis, qui praecipue ab schismaticis typis impressi fuere, prae- scripta memoria modo non reperiatur; tamen praedicta cantica supersunt, et testimonium suum proferunt; ex quibus aliqua ad rem depromentes huic sylloge nostrae finem imponimus (cf. Migne Patrol. Gr. tom. 159). Legi- mus (Od. V): « Vere impletus est Servatoris sermo sacre

» ad Petrum olim habitus: Conversus confirmabis fratres » tuos ad tuam unionem. Ego enim rogavi ut nunquam » fides tua deficiat. » Et statim : « Nunc Romanus prae- » sul illustris Eugenius omnes Florentiam congregavit, » utpote qui haud labilem tenens fidem et confirmans et » ad ipsam adducens omnes, verbum Servatoris implevit.» Sermone vero ad Dominum converso (Od. VIII) legitur: « Salva... servos tuos qui sacrum et verum magistrum » Petri successorem, Ecclesiae rectorem, totiusque mundi » ducem et pastorem, omniumque sacerdotum divinum » coryphaeum toto ex animo colunt (23). » Istis autem de Romano Pontifice excerptis liceat addere et iterare preces et vota verbis ipsius hymni Deiparae nuncupata « Conve- » nientes omnes in fide te Immaculatam glorificamus quae » in partu tuo mirifica ratione coadunasti quae erant se- » gregata; et nunc ad Ecclesiarum pacem bonum exitum » concilias (24). »

18. Cum tandem igitur haec de liturgicis testimoniis brevis expositio nobis concludenda sit, videtur ex his aperte apparere unanimis Graecorum consensio in praedicanda suprema doctrinali auctoritate Romani Pontificis: insuper ex his declaratur idem Petri successor et hac de causa ecclesiam universam sua auctoritate docere: confirmatur quoque ei attributa declarandi fidei dogmata potestas: ipse haeresum profligator ostenditur: ipse Synodorum congregator et rector et magister et auctor celebratur: in edocendis fidei veritates a Spiritu Dei moveri et agi; ac denique, quod ex his omnibus sequitur, ipse falli nescius catholicorum dogmatum definitor proclamatur.

Alia quoque et in hac re cumulari posse testimonia ex sola hymnographia sacra collecta non inficiamur; et nova quoque messis iis quibus ingenium et opportunitas maior est, remanet fortasse proferenda; sed ex allatis testibus satis adunde videtur declarata quae sit et quae fuerit traditionalis Graecorum sententia de auctoritate Romani Pontificis ex potestatis plenitudine docentis universam

ecclesiam; atque insuper ex iisdem manifeste apparet quo pacto veritatem hanc non modo eorum traditio servaverit, sed et in solemnibus consacraverit ritibus et quotannis et pluries in sacro fidelium coetu luculentissimis verbis decreverit proclamari. Haec igitur Ecclesiae Graecae vox est; quae Romano Pontifici, imo catholicae veritati obsequium confessione sua obfert plenissimum.

O utinam! qui graecarum traditionum haeredes esse gloriantur, id quod hymnis celebrant et facto compleant; omnesque segregati absque mora ad supremum Ecclesiae magistrum in Christo congregentur.

---

(1) Hoc unum referre iuvat S. Basilii testimonium in Epist. 92 ad Damasum Papam in Synodo Romana: Τῷ ὄντι τοῦ ἀνωτάτου μακαρισμοῦ ἄξιον τὸ τῇ ὑμετέρᾳ θεοσεβείᾳ χαρισθὲν παρὰ τοῦ κυρίου· τὸ μὲν κίβδηλον ἀπὸ τοῦ δοκιμοῦ καὶ καθαροῦ διακρίνειν· τὴν δὲ τῶν πατέρων πίστιν ἄνευ τινὸς ὑποστολῆς κηρύσσειν, ἣν καὶ ὑμεῖς ἐδεξάμεθα καὶ ἐπέγνωμεν ἐκ τῶν ἀποστολικῶν χαρακτήρων μεμορφωμένην... συνθέμενοι καὶ αὐτῇ καὶ πᾶσι ἐν τῷ συνοδικῷ γράμματι κανωνικῶς καὶ ἐνθέσμως δεδογματισμένοις. «Revera est dignum maximae beatitatis praeconio, illud quod Vestrae Pietati a Domino gratia datum est: videlicet quod spurium est a probato et puro diiudicare, fidem vero patrum absque ulla haesitatione praedicare; quam et nos suscepimus, et conspicimus ex apostolicis characteribus consignatam ... concordantes et ipsi et omnibus quae in Litteris Synodalibus (a Pontifice missis) canonice et legitime dogmate statuta sunt. »

(2) Ipse Monasterii conditor B. Nilus tanti apud R. Pontifices habitus est ut olim ei extra portam Urbis Pontifex cum Imperatore occurrerit, et in Patriarchio Lateranensi medius inter eos sedere iussus gravibus de rebus agere coeperunt. S. Bartholomaeus Abbas Pontificem Ioan. XIX ad dedicandam Ecclesiam, Benedictum IX ex Pontifice monachum excepit; et Romanis Synodis interfuit. Nicolaus Abbas a B. Gregorio VII benedictus ab Urbano II Legatus Apostolicus ad res ecclesiasticas componendas Constantinopolim mittitur. In Synodo Florentina pro Graecorum unione multum feliciterque adlaborarunt nostri Bessarion postea Cardinalis et Petrus Abbas. Et alii diversis temporibus diversa obiere munera: alii ex monachis episcopi, praesertim ad graeca-

nicas gentes mittuntur, vel in Urbem ad sacra graece peragenda accersuntur, et demum hac nostra aetate cum de dogmate Conceptionis Immaculatae B. M. V. ageretur et noster Mich. Clari Archiep. Barensis partes suas explevit; et plausus Ecclesiae Graecae in gaudio orbis catholici proferre monachi gestivere in « Hymnologia Graecorum de Imm. Deiparae Conceptione » typis edita et Pio IX. P. M. dicata.

(3) Praecipue consulantur *Card. Pitra* « Hymnographie de l'Eglise Grecque... en l'honneur de S. Pierre, Rome 1867 » et *C. Tondini Cl. Reg. S. Pauli* « La primauté de S. Pierre prouvée par les titres que lui donne l'Eglise Russe dans sa liturgie » Paris 1867.

(4) Πάτερ Σίλβεστρε... στύλος ὡράθης πυρὸς ἱερῶς προηγούμενος ἱεροῦ συστήματος καὶ νεφέλη σκιάζουσα Αἰγύπτου πλάνης πιστοὺς ἐξαίρουσα καὶ πρὸς θείαν αὐγὴν μεταφέρουσα ταῖς ἀπλανέσι διδαχαῖς ἑκαστοτε.

(5) Κορυφαῖος ὤφθης ἱεροῦ συστήματος καὶ τοῦ Κορυφαίου μαθητῶν ἐκόσμησας τὸν θρόνον ὡς θεῖος Κορυφαῖος ἱερῶν πατέρων τὸ ἱερώτατον δόγμα ἐκράτυνας αἱρετικῶν ἀποφραξας ἄθεα στόματα.

(6) Ἔτρεψας - Σίλβεστρε ἐναντίον σύστημα τὸ τῶν ἀποστόλων μαχόμενον τῷ κηρύγματι. Συνεχύθησαν γλῶσσαι συμφωνοῦσαι τῇ πλάνῃ ἐν τῇ δυνάμει σοφὲ Πνεύματος τοῦ θείου τοῦ ἐν σοὶ ἐνεργοῦντος· καὶ εἰς μίαν συνήφθησαν δοξολογίαν θεοῦ πιστῶν χοροστασίαι.

(7) Κελεστῖνος ὑπὲρ τῶν ἀποστολικῶν καὶ πατρικῶν παραδόσεων πάντα καὶ λέγων καὶ πράττων συγκαθεῖλε τὸν ἀσεβῆ Νεστόριον δι' ἐπιστολῆς τὰς θεομίσεις αὐτοῦ βλασφημίας ἐλέγξας τε καὶ ἀποκηρύξας.

... δι' ἐπιστολῆς δογματικῆς... ἣν ἀπέστειλεν ἐκ Ρώμης ἐν τῇ συνόδῳ τῇ ἐν τῇ Εφέσῳ τὸν δυσσεβῆ Νεστόριον καθεῖλεν, καὶ τῆς τῶν ὀρθοδόξων ἐξήλασεν ἐκκλησίας βλασφημοῦντα εἰς τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ καὶ εἰς τὴν ἁγίαν θεοτόκον· ἔτι δὲ καὶ δι' ἄλλων δογμάτων τὰς τῆς Ἀνατολῆς ἐκκλησίας τῆς τούτου λύμης ἠλευθέρωσε.

(8) Vide in Synaxario 17 April. 24 et 25 Aug.

(9) Ibidem 13 April.

(10) Τὸν Σεβῆρον καθεῖλεν ἡ τετάρτη Σύνοδος καὶ τὸν Διόσκορον τὸν Χριστὸν βλασφημοῦντας βεβαιοῦσα τὸν τόμον τοῦ Λεόντος τοῦ προέδρου Ρώμης καλῶς τὰς δύο φύσεις ὁρίζοντα.

(11) Vide in Menaeis Venetis saeculi XVI et XIX. Νόμους τοὺς τοῦ Πνεύματος καταπεμφθέντας πρὸς ὑμᾶς ἐκ Ρώμης ἐδέξασθε, καὶ ἀναπτύξαντες φωτὶ τῷ τοῦ Πνεύματος τὴν ἐκκλησίαν καλῶς ἐστηρίξατε - Δῶρον θεῖον τὰς ἐκ Ρώμης γραφὰς λογισάμενοι, ἐπ' ἐκείναις εὐσεβείας τὸν πύργον ἐστήριξαν.

(12) Ibidem.

(13) Ὄρθρος ἐκ δυσμῶν ἀνέτειλας τρισμάκαρ τόμον εὐσεβῶν δογμάτων ὡς ἀκτῖνα τῇ ἐκκλησία ἐξαποστέλλων...

Ὁ Πέτρου διάδοχος καὶ τὴν τούτου προεδρείαν πλουτήσας καὶ θερμὸν ζῆλον κεκτημένος θεοκινήτως τὸν τόμον ἐκτίθεται.

(14) Ὑπὸ θεοῦ κινούμενος εὐσεβείας διδάγματα ὡς ἐν θεοχαράκτοις πλαξὶ ἐτύπωσας, Μωσῆς οἷα δεύτερος ἀναφανεὶς τῇ ὁμηγύρει τῶν σεπτῶν διδασκάλων.

(15) Τί σέ ὀνομάσω θεόπνευστε; κεφαλὴν τῆς ὀρθοδόξου ἐκκλησίας Χριστοῦ;

Τί σὲ νῦν προσείπω θεσπέσιε; ὁριστὴν τῆς ἀληθείας... ἡγεμόνα κορυφαῖον συνόδου τῆς σεπτῆς;

(16) ...χείλη τὰ δόλια εἰς τέλος ἀπέφραξας· ὅθεν τὴν ἀγνὴν Χριστοῦ λοχευτρίαν θεοτόκον ὁμολογήσας τοῦ Νεστορίου τὴν ὀφρὺν καὶ φληναφίαν καθεῖλες· διὰ τοῦτο ἐγνώσθης ἐν τῷ κόσμῳ καὶ ἐν Ρώμῃ ὡς θεῖος μύστης θεοῦ τῆς χάριτος. In editione 1843 omissa sunt verba ἐν Ρώμῃ.

(17) Τί σὲ Μαρτῖνε προσφθέγξομαι; ὀρθοδόξων διδαχῶν καθηγητὴν πανευκλεῆ; κορυφαῖον ἱερὸν δογμάτων θείων ἀψευδῶς; (vel; ἀψευδῶς τοῦ) τοῦ ψεύδους ἀληθέστατον κατηγορόν;

(18) (Ωδ. ά) Οὐσίας δύο καὶ δύο θελήματα καὶ ἐνεργείας διπλὰς φέροντα μακάριε τὸν ἕνα τῆς Τριάδος ἐδογμάτισας Χριστὸν τὸν ὑπερούσιον θεόν· καὶ τοὺς μὴ οὕτως σέβοντας πάντας ἀπεκήρυξας. (Ωδ. γ') Ὑπάρχων ἀνώπλεος θείου ζήλου συνήθροισας ἱερὰν σύνοδον καὶ τὸ τῆς ἐκκλησίας ἐκύρωσας δόγμα... Συνόδου ἐν μέσῳ ἀπεκήρυξας Πύῤῥον καὶ Σέργιον καὶ τοὺς σὺν ἐκείνοις λοιδωροῦντας. (Ωδ. έ) Ἱερωτάτῳ σου λόγῳ πανίερον σαφῶς δόγμα ἐκράτυνας καὶ τὸ στῖφος αἱρέσεων ἔτρεψας (Ωδ. ϛ') Ῥήγνυται ὁ πονηρὸς πρὸ ποδῶν ἱερῶν σου, καὶ πονηρῶν ἀνθρώπων τὰ ἀπύλωτα στόματα ἀποφράττονται, καὶ δείκνυται διαλάμπον δόγμα τὸ θεῖον ὑπὲρ ἥλιον, (Ωδ. ή) Ἀρχιερέων σε ἔγνωμεν κρηπίδα, ὀρθοδοξίας τε στήλην καὶ εὐσεβείας διδάσκαλον.

(19) Σέργιον... δημοσίοις ἀπεκήρυξε γράμμασι, καὶ ὅρον ἐξέθετο εὐσεβείας μετὰ τῆς συνελθούσης αὐτῷ συνόδου εἰς ἀνατροπὴν τῆς τῶν μονοθελητῶν αἱρέσεως.

(20) (Στιχηρ.) Ὁ κορυφαῖος πατέρων δεδειγμένος, ὅτε μονοθέλητον δόγμα ἐώρακας ἐπὶ τῆς γῆς ἐφαπλούμενον ἀπωλείᾳ παντὸς ἀθέσμως τοῦτο φρονήσαντος, τότε ἀναπτόμενος ζήλῳ τῆς πίστεως σύνοδον θείαν συνήθροισας καὶ τοὺς προστάτας τῆς ἀσεβείας ἀπεκήρυξας. (Ωδ. ϛ') Ἵστασο δικαστικῶν πρὸ βημάτων ὁ κατακρίνων πλάνην τῶν κηρυττόντων μίαν τοῦ Χριστοῦ θέλησιν (Ωδ. ή) Ἐπεκόσμησας τὸν Πέτρου θεῖον θρόνον, καὶ τῇ αὐτοῦ θείᾳ πέτρᾳ τὴν ἐκκλησίαν ἀσάλευτον συντηρήσας σὺν τούτῳ δέδοξασαι.

(21) Χαίροις θεοσεβείας λαμπτὴρ ὁ ταῖς ἀκτῖσι τῶν λόγων σου φωτίσας τὴν οἰκουμένην... πορσὸς τοὺς ἐν ζάλῃ τῆς ἀγνωσίας ὑπάρχοντας πρὸς λιμένα ἐκκαλούμενος καὶ θανάτου λυτρούμενος· ὄργανον ὑφηλούμενον πνοαῖς ταῖς τοῦ Πνεύματος. (Ωδ. γ') Ἱερώτατε ποιμὴν τοῦ κορυφαίου γέγονας καθέδρας καὶ τοῦ ζήλου διάδοχος λαοὺς καθαίρων καὶ προσάγων θεῷ. (Οἶκ.) ...διάδοχος τοῦ θρόνου τοῦ χοροῦ τῶν μαθητῶν τοῦ ἐξάρχοντος χρηματίζεις· ἐξ οὗ τὸν λόγον τὰς ἀκτῖνας δᾳδουχῶν Γρηγόριε καταυγάζεις τοὺς πιστούς. (Ωδ. δ') Ἐκκλησιῶν σε κολπωσαμένη ἡ Πρώτη πᾶσαν ὑφήλιον κατάρδει τοῖς ῥεύμασι τῶν εὐσεβεστάτων δογμάτων σου.

(22) Ὁρίζομεν τὴν ἁγίαν ἀποστολικὴν καθέδραν καὶ τὸν Ῥωμαϊκὸν ἀρχιρέα εἰς πᾶσαν τὴν οἰκουμένην το πρωτεῖον κατέχειν, αὐτόν τε διάδοχον εἶναι τοῦ μακαρίου Πέτρου τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων, καὶ ἀληθῆ τοποτηρητὴν τοῦ Χριστοῦ, καὶ πάσης τῆς ἐκκλησίας κεφαλήν, καὶ πάντων τῶν Χριστιανῶν πατέρα τε καὶ διδάσκαλον ὑπάρχειν.

(23) Huius hymni olim minus accurate editi apographum multo labore et peritia ex codice Bibliothecae R. Taurinensis a se exscriptum nobis humanissime donavit cl. vir Ioseph Clerico (Ωδ. ε΄) Ἡ φωνὴ τοῦ Σωτῆρος ἀληθῶς πεπλήρωται ἡ πάλαι φήσασα ἱερῶς τῷ Πέτρῳ· ἐπιστρέψας στηρίξεις εἰς ἕνωσίν σου τοὺς ἀδελφούς σου· ἐγὼ γὰρ Πέτρε ἐδεήθην, ἵνα μήποτε λήψῃ ἡ πίστις σου — Νῦν ὁ Ῥώμης προστάτης ὁ κλεινὸς Εὐγένιος πάντας συνήθροισε ἐν τῇ Φλωρεντίᾳ, ὡς τὴν πίστιν κατέχων ἀκλόνητον. καὶ στηρίξας πάντας καὶ πρὸς αὐτὴν καθοδηγήσας τοῦ Σωτῆρος τὸν λόγον ἐπλήρωσε. (Ωδ. ή) Ῥῦσαι... τοὺς δούλους σου τοὺς τὸν ἱερὸν καὶ ἀληθῆ διδάσκαλον, τοῦ Πέτρου διάδοχον, τῆς ἐκκλησίας καθηγητήν, καὶ τῆς οἰκουμένης ὁδηγὸν καὶ ποιμένα, καὶ θεῖον κορυφαῖον ἱερέων ἁπάντων ὅλῃ ψυχῇ τιμῶντας.

(24) Συνελθόντες ἐν πίστει πάντες μακαρίζομέν σε τὴν Παναμώνον, τὴν τὰ διεστῶτα παραδόξως Παρθένε συνάψασα τῷ σεπτῷ σου τόκῳ· ἀλλὰ καὶ νῦν ταῖς ἐκκλησίαις τὴν εἰρήνην κάλως προξενήσασα.


FINIS.

IMPRIMATUR

Fr. Marianus Spada Ord. Praed. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Iosephus Angelini Archiep. Corinth. Vicesgerens.



DE

ROMANI PONTIFICIS

AUCTORITATE DISCIPLINARI

TESTIMONIIS

ECCLESIAE GRAECAE COMPROBATA

DISQUISITIO

IOSEPHI COZZA-LUZI

MONACHI ORD. S. BASILII M.

ROMAE
TYPIS S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE
SOC. EQ. PETRO MARIETTI ADMINISTRO.
1870.

Ut castrorum acies ordinata, constituta est in terris Ecclesia, quae auctorem suum et ducem Christum habet, dicente Paulo, eum esse: *Caput super omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius et plenitudo eius.* Huc spectat omnis oeconomia redemptionis nostrae; heic est plenitudo Christi, ut mysterium illud magnum a saeculis absconditum per redemptionem hominum et per constitutionem christianae societatis impleretur; ita ut huius societatis status indeficiens per omnia tempora maneret.

Quamobrem cum vere perpetuus dux et sacerdos in aeternum Iesus Christus adsit Ecclesiae suae, ut professus est: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi;* et fideles suos non se relicturum orphanos spoponderit; idcirco quando ipse ad Patrem ascendit necesse omnino erat ut promissa sua impleret, Ecclesiae suae continue adesset, eamque ut pater atque pastor gubernaret. Etsi quoque gratia et virtute Spiritus Sancti ad regendam atque pascendam Ecclesiam multa mystice operari et potuit et voluit; nihilominus oportebat ut aliquis adesset in terris, a quo explerentur partes Christi, qui ad stabiliendam Ecclesiam homo factus est, et in humana natura eam sibi per sanguinem desponsavit: oportebat ut societati visibili caput visibile non

deesset, qui totius christianae congregationis regimen nomine Christi moderaretur. Et re sane vera his omnibus mirabili ratione consuluit sapientia Dei, quae non in prodigiis tantum ostendit potentiam suam, sed eamdem quoque maiorem manifestat in iis, quibus humano more, mediis quidem humilibus, maxima quaeque opera attingit atque absolvit. Siquidem Iesus reversurus ad Patrem, Apostolorum Principi Petro in omnem Ecclesiam contulit vices suas et potestatem, ut quasi in persona Christi eam regeret et gubernaret.

Id autem quod egit Christus, adeo perspicuum adeoque in confesso apud omnes est, ut nullam opus esset huiusce rei confirmationem exquiri; at vero inimici homines disquisitiones catholicorum revocant ad confirmandam veritatem illam, quae ex praedictis sua sponte sequitur: videlicet huiuscemodi vicariam Christi auctoritatem, tum in sacra tradenda doctrina, tum in ecclesiastica disciplina moderanda successores Petri Romanos Pontifices obtinere. De doctrinali potestate ex graecis fontibus iam aliqua hausimus et in medium attulimus (1); praestat modo de disciplinari iurisdictione inquisitionem nos instituere, ut vel manifestius appareat, quo pacto RR. Pontifices in universam ecclesiam libera et plena polleant auctoritate.

Quod ut conficiamus, non modo argumenta tantum ab Ecclesia Graeca petere, sed ea ultra saeculum IX minime progredi constituimus, quando opera Photii omnis res sacra graecorum susque deque versa est. Quinimmo ut magis brevitati studeamus, ex innumeris documentis tantum aliquot proferemus, quibus propositionem nostram valide sustentari arbitrati sumus. In hac autem propositione nostra quadrifariam dispertita evincere contendimus: 1 iurisdictionem hanc plenam Petro olim fuisse collatam;

(1) Paulo ante elucubratiunculam edidimus « *De Romani Pontificis auctoritate doctrinali testimonia liturgica ecclesiae Graecae selecta* etc. Romae typis S. C. de Propaganda Fide 1870.

2 ab eo deinceps in successores eius transiisse; 3 nec non in iisdem adesse graecis testibus confirmari; 4 ac denique iisdem testibus huius iurisdictionis usum plenissimum proclamari. Ab omni vero critica et polemica controversia abstinere censuimus, ne multa quae ad hostiles refellendas cavillationes iam centies vulgata sunt, repetere videremur; praesertim cum ex simplici nitidaque rerum expositione veritas ipsa, nullis dubietatis obumbrata nebulis, sese omnium oculis proferat spectanda.

I.

SUPREMA DISCIPLINARIS AUCTORITAS IN ECCLESIA B. PETRO CONLATA EST.

Ut rem ab initio aggrediamur, et elucubratio nostra ex ordine a principio procedat, visum est in primis de suprema disciplinari potestate B. Petri in universam Ecclesiam aliqua innuere; ex hac enim potestate illi a Christo conlata pendet omnis successorum eius Pontificum Romanorum auctoritas.

Pleni sunt omnes catholicorum libri, plenae Doctorum voces, plena exemplorum vetustas monumentis apertissimis, quibus Petrus praedicatur non modo primus inter Apostolos, sed princeps, cui a Christo suprema concredita fuit in ecclesia militante regendi ac gubernandi auctoritas, solvendi atque ligandi suprema potestas. Nos vero, ne nostra prolixius vagetur oratio, plura quae passim apud alios reperiuntur heic cumulare renuentes, paucis rem nostram iisque validissimis testibus ab Ecclesia Graeca tantum accitis confirmabimus.

Quoniam vero iura tum dictis, tum factis declarantur; ab initio evincimus huiusmodi B. Petri auctoritatem in ipsis S. Scripturae verbis et ab eadem divina historia

comprobari; itemque in eodem divino thesauro huiusmodi confirmationem et declarationem contineri, ipsi quoque SS. Ecclesiae Graecae Patres atque scriptores fatentur.

Data est Ecclesiae potestas ligandi atque solvendi; et haec potestas conlata est ab ipso Christo, cui Pater caelestis in caelo et in terra omnem contulerat potestatem. His evangelicis sententiis omnis iurisdictio Ecclesiastica continetur. Verum ipse Christus Dominus ut demonstraret universam Ecclesiae oeconomiam ea ratione constitutam esse, ut appareret visibili Capiti, successori suo Petro huiusmodi iurisdictionis plenitudinem fuisse concreditam, tantummodo Petro seorsim eandem iurisdictionem absolute traditam esse testatur. Quod ut magis magisque declararet, primo hanc potestatem ligandi atque solvendi tribuit Petro; postea vero declaravit et ea gaudere Pastores Ecclesiae una cum Petro coniunctos; ut vero appareret discrimen quod inter potestatem Petri et Apostolorum intercederet, eam Petro contulit verbis illis: *Dabo tibi claves regni caelorum* et propterea *quodcumque ligaveris super terram erit et ligatum in caelis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in caelis;* quibus declarat potestatem esse personalem, independentem et plenam; dum vero ad Apostolos loquitur, ex contextu evangelico aperte demonstratur verba facere ad universam ecclesiam docentem, quae ibi cum Petro ab Apostolis constituebatur. Dicit enim (Matth. 18. 19.). *Si non audierit* (frater tuus), *dic Ecclesiae; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis quaecumque alligaveritis super terram erunt ligata et in caelo, et quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in caelo.* Quod vero tunc Ecclesiae loqueretur sub capite Petro constituenda, apparet ex eo quoque quod statim: *Tunc accedens Petrus dixit: Domine quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei?* Qui unus veluti nomine totius Ecclesiae de sacra disciplina servanda in remittendis peccatis Dominum

sciscitatur, utpote cui et disciplinaris auctoritas erat concredita.

Ex quibus etiam elucet, quo pacto fere eadem verba intelligenda sint, quando idem Christus post resurrectionem dixit Apostolis: - *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt;* videlicet iisdem Apostolis facultatem remittendi peccata fuisse cum Spiritu Sancto datam; in hac vero potestate semper primum et moderatorem esse Petrum; cui haec potestas, aliis postea communicata, praecipue iam data fuerat.

Maius quidem his robur accedit animadversionibus, si consideres Christum promittere se daturum Petro claves regni caelorum, eo quod tunc ipse Christus versabatur in terris et erat Ecclesiae suae visibile Caput; sed post resurrectionem omnem curam Ecclesiae universae regendae Principi Apostolorum committit, tum *nutriendi* (βόσκειν) *agnos et pascendi* (ποιμαίνειν *curam pastoralem gerere*) *oves suas:* dum e contra Apostolis simul coniunctis tradit dumtaxat Spiritum Sanctum et potestatem remittendi peccata. Quae quidem discrimen inter utramque potestatem manifestant.

Hac in sententia iam a saeculo III celeber ille Origenes aiebat (in Matth. T. XIII). « Privatim Petro attri» butum est illud – *Dabo tibi claves regni caelorum* etc. – » priusquam illud *Quaecumque alligaveritis super ter*» *ram erunt ligata et in caelis etc.* Ac sane si ad evan» gelica scripta animum diligenter appellamus, magnum » inveniemus discrimen et excellentiam eorum, quae Pe» tro prae iis, quae aliis (Apostolis) dicta sunt etiam in » his rebus, quae videntur esse communia et Petro et iis » qui ter corrigunt fratres. » (1).

(1) Ὠριγένης (εἰς Ματθ. τόμος ιγ'.) Ἰδίᾳ τοῦτο πρωτέτακται ἐπὶ τοῦ Πέτρου — Δώσω σοι τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν κ. τ. λ. — τοῦ — Καὶ ὅσα ἐὰν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς κ. τ. λ.— Καὶ τοί γε εἰ ἐπιμελῶς προσέχομεν τοῖς εὐαγγελικοῖς γράμμασι, καὶ ἐν τούτοις εὕροιμεν ἂν καὶ κατὰ

Eadem de causa magnus Ioannes Damascenus, quem Graeci theologiae magistrum habent, ut Latini Thomam Aquinatem, immo et ipse Thomas aliique principem scholasticae scientiae venerantur, inter multas quibus Petrum effert laudes, asserit a Christo primum fuisse electum ut Transfigurationi suae ipse adstaret (1), « *ostendere vo-* » *lens quod ille esset princeps qui et suscepturus erat* » *gubernacula totius Ecclesiae.* » Et ibidem postquam retulisset verba Petri – *Faciemus hic tria tabernacula* – ait ad eum. « Dominus non Tabernaculorum, sed uni- » versae ubique Ecclesiae ducem et moderatorem te con- » stituit. »

Idem iam antea dixerat, sententia plena sapientiae et veritatis, dum de confessione Divinitatis a Petro edita loquitur : « Christus ut homo quidem interrogationem proponit, » ut vero Deus latenter docet quem sua praescientia prae- » destinavit dignum Ecclesiae praesidem, hunc ut Deus » inspirat et per eum loquitur. »

Post adeo manifesta Eusebius apud Damascenum haec animadvertit in eo Evangelii loco, ubi Christus dicit Mariae Magdalenae : « *Dic fratribus meis et Petro.* Nullum » alium nisi Petrum nominat...., Dic Petro: nullo modo » timeas, non te a loco gloriae submovi, non ceteris se- » cundum constitui, non te a dextra mea pepuli, regni » caelestis claves alteri non dedi. Petre ne timeas, non » te expuli a SEDE MEA, gratia mea non tibi minor facta

ταῦτα τὰ δοκοῦντα εἶναι κοινὰ πρὸς τὸν Πετρὸν καὶ πρὸς τοὺς τρὶς νουθετήσαντας τοὺς ἀδελφούς, πολλὴν διαφορὰν καὶ ὑπεροχὴν ἐκ τῶν πρὸς τὸν Πέτρον εἰρημένων παρὰ τοὺς δευτέρους. κ. τ. ε.

(1) Ιω. Δαμασκηνὸς (ὁμίλ. εἰς Μεταμόρφωσιν. §. 9.) δεικνύναι βουλόμενος ... ὡς πρόεδρον καὶ πάσης ἐκκλησίας δεξάμενος τὰ πηδάλια.

§. 16. Ποιήσωμεν ἐκεῖ σκηνὰς τρεῖς — Ὁ κύριος οὐ τῶν σκηνῶν, ἀλλὰ καὶ πάσης παγκοσμίου ἐκκλησίας κατέστησέ σε δομήτορα.

§. 7. Ὡς μὲν ἄνθρωπος τὴν πεῦσιν ἐπιβάλλεται, ὡς δὲ θεὸς λατραῖως σοφίζει... ὃν τῇ οἰκείᾳ προγνώσει προώρισε τῆς ἐκκλησίας ἐπάξιον πρόεδρον, τούτῳ ὡς θεὸς ἐμπνεῖ καὶ δι' αὐτοῦ φθέγγεται. κ. τ. λ.

» est; siquidem quod promisi efficiam; nam quod liga-
» veris super terram, erit ligatum et in caelis » (1).

Et Io. Chrysostomus (hom. XXXI in ep. ad Rom.). « Ne-
» que in regno honor est aequalis, neque in discipulis
» aequales sunt omnes; sed tres praecellunt alios; et in
» his tribus rursus discriminis multum est. Quamquam
» omnes fuerint Apostoli, omnes super sedes duodecim
» sessuri.... tamen tres assumpsit; rursus horum trium
» quosdam eminere et excellere dixit; quandoquidem in-
» quit sedere a dextris et a sinistris non est meum dare,
» sed iis quibus praeparatum est. Petrum vero reliquis
» praeponit dicens: *Diligis me plus his; pasce agnos meos..,*
» *pasce oves meas....* (2) »

Denique Gregorius Nazianzenus, quem Theologum antonomastice appellant, haec sapientissima ex evangelicis dictis habet verba de ordine in ecclesia constituto (Hom. de moderatione in disceptationibus)... « Ordo quoque exi-
» git ut in ecclesiis alii oves sint, alii vero pastores....
» aliud esse veluti caput, aliud alterum quoddam mem-
» brum.... omnes enim unum corpus sumus in Christo »
— et inferius — « Proferam tibi hunc ordinem vere cele-
» brandum, et ad praesens negotium, qui commemoretur

(1) Εὐσέβειος (ζητεῖ Ιω. Δαμασκ. Ιερὰ παράλληλα τίτλ. γ' - περὶ μετανοίας) - Εἰπὲ τοῖς ἀδελφοῖς μου καὶ τῷ Πέτρῳ - Μηδένα ἄλλον εἰ μὴ Πέτρον ὀνομάζει... μὴ δ' ὅλως δειλιάσῃς, οὐ γὰρ ἠλάττωσά σε τοῦ χώρου τῆς δόξης, οὐκ ἔστησά σε δεύτερον τῶν λοιπῶν· οὐκ ἀπέστησά σε τοῦ χώρου τῆς δόξης τῆς δεξιᾶς μου· οὐκ ἔδωκα ἄλλῳ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν. Μὴ δειλιάσῃς· ὃ γὰρ ἔδησας ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Μὴ φοβηθῇς Πέτρε οὐ μετέστησά σε τοῦ θρόνου μου, οὐκ ἠλάττωσά σε τῆς χάριτός μου. ὁ γὰρ ἐπιγγηλάμην πληρώσω. κ. τ. ε.

(2) Ιω. ὁ χρυσόστομος (ὁμιλ. λά εἰς ἐπις. πρὸς Ρωμ.). Οὐδὲ ἐν τῇ βασιλείᾳ ἴση ἡ τιμή, οὐδὲ ἐν τοῖς μαθηταῖς πάντες ἴσοι, ἀλλ' οἱ τρεῖς τῶν ἄλλων προείχον· καὶ ἐν τούτοις αὐτοῖς τοῖς τρισὶ πολλὴ πάλιν διαφορά. καί τοί γε πάντες ἦσαν ἀπόστολοι, καὶ πάντες ἐπὶ δώδεκα θρόνους μέλλοντες καθῆσθαι... ἀλλ' ὅμως τοὺς τρεῖς ἐλάμβανε· καὶ πάλιν τούτων αὐτῶν ἔφησέ τινας ἐγχωρεῖν καὶ ὑπερέξειν· τὸ γὰρ καθίσαι φησὶ ἐκ δεξιῶν καὶ ἐξ εὐνύμων, οὐκ ἔσται ἐμὸν δοῦναι, ἀλλ' οἷς ἡτοίμασται· καὶ τὸν Πέτρον δὲ αὐτῶν προτίθησιν λέγων· Φιλεῖς με πλέον τούτων; κ. τ. λ.

» et consideretur, dignum. Nonne vides e discipulis Christi omnibus quidem excelsis et electione dignis, alter » appellatur petra, et concredita suscipit fundamenta (Apostolos) ecclesiae; alter impensius diligitur, et super » pectus Iesu requiescit; caeteri vero praelationem ferunt » (1).

Gesta Apostolica comprobant quae verba evangelica docent; ac ipsi Apostoli omnesque Christi discipuli statim ab Ascensione dominica solemne huius rei testimonium exhibent in electione illius viri, a quo locus Iudae proditoris erat obtinendus. Speciali quadam ac divina oeconomia factum est, ut electio duodecimi Apostoli haud fieret, quando Christus post resurrectionem *praebuit se Apostolis vivum... loquens de regno Dei;* sed quasi ad declarandam statim Ecclesiae suae constitutionem, voluit universum negotium istud ipso in limine novi regiminis Ecclesiae permittere.

Hac de causa Petrus congregatis fratribus primus statuit eligendum virum ad duodenarium explendum numerum: primus verba facit, statuit requisitas qualitates, et ipse toti praeest negotio, quod maximum inter disciplinaria certe recensendum videtur. Qua vero ratione heic primatus iurisdictionis Petri in eligendo Apostolo declaretur, nullis aliis quam Io. Chrysostomi verbis apertius ostenditur; summus enim iste Ecclesiae Graecae doctor et Patriarcha CP. ad illa: *Surgens Petrus in medio fratrum etc.* (Hom. III. in Act. App. §. I.) « Utpote cui

(1) Γρηγόριος ὁ Θεολόγος (ὁμιλ. περὶ τῆς ἐν διαλέξεσιν εὐταξίας) — ... τάξις κἂν ταῖς ἐκκλησίαις τὸ μὲν εἶναί τι ποιμνίον, τὸ μὲν ποιμένας διώρισε... τὸ μὲν οἷον εἶναι κεφαλήν, τὸ δὲ ἄλλό τι τῶν μελῶν τοῦ σώματος... οἱ γὰρ πάντες ἓν σῶμά ἐστε ἐν Χριστῷ.

... παραστήσω σοι τάξιν καὶ ταύτην ἐπαινετήν, καὶ ταύτην ἀξίαν τῆς εἰς τὸ παρὸν μνήμης καὶ νουθεσίας. ὁρᾷς τῶν χριστοῦ μαθητῶν πάντων ὄντων ὑψηλῶν καὶ ἐκλογῆς ἀξίων ὁ μὲν πέτρα καλεῖται, καὶ τοὺς θεμελίους τῆς ἐκκλησίας πιστεύεται, ὁ δὲ ἀγαπᾶται πλέον, καὶ ἐπὶ τοῦ στήθους τοῦ Ἰησοῦ ἀναπαύεται· καὶ φέρουσιν οἱ λοιποὶ τὴν προτίμησιν.

» grex a Christo concreditus erat, atque in choro primus » semper primus loquitur (1) » et paulo post (§. 2) quaestionem instituit: « *An Petrum eligere ipsum* (Matthiam in Apostolum) *licebat;* et absque ulla haesitatione respondet: « *Licebat utique* (2). » En igitur in illa prima electione ad ministerium ecclesiasticum, immo ad Apostolatum (qua in re supremum iurisdictionalem actum haberi nemo inficiabitur) ex sententia quoque Chrysostomi suprema auctoritas recognoscitur plena et absoluta in uno Petro super omnes et praeter caeteros Apostolos, immo et universam Ecclesiam inibi congregatam. Hoc eodem in loco ad rem adiungit idem Chrysostomus (§. 3.) « Primus (Pe» trus) auctoritatem sibi vindicat: utpote cui omnes com» missi erant: ad eum enim dixit Christus: *Et tu aliquan» do conversus confirma fratres tuos* (3). » Quod certe etsi unicum adesset, certe luculentissimum huiusmodi rei testimonium esset habendum (4).

(1) Ιω. ὁ χρυσος. (ὁμιλ. γ' εἰς Πράξεις Απος.) — Ἀναςὰς Πέτρος ἐν μέσῳ τῶν μαθητῶν εἶπε — ὡς ἐμπιστευθεὶς παρὰ τοῦ Χριςοῦ τὴν ποίμνην, καὶ ὡς τοῦ χοροῦ πρῶτος, ἀεὶ πρότερος ἄρχεται τοῦ λόγου.

(2) Ibid. §. 2. Πέτρον ἐλέσθαι αὐτὸν (Ματθίαν) οὐκ ἐνῆν; καὶ πάνυγε.

(3) Ibidem §. 3... πρῶτος τοῦ πράγματος αὐθεντεῖ, ἅτε γὰρ αὐτὸς πάντας ἐγχειρισθεὶς· πρὸς γὰρ τοῦτον εἶπεν ὁ Χριστὸς — καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου.

Huius rei et testis nobis est Theophylactus Bulgarorum Archiep. qui serioribus temporibus Photiana labe non fuit immunis. (in Luc. hom. 22). *Tu aliquando conversus confirma fratres tuos* sic aientem inducit Christum: « Te principem discipulorum habeo... hoc » decet qui post me Ecclesiae Petra es et Firmamentum. Et hoc non » solum intelligendum est de iis qui tunc erant Apostoli, ut a Petro » confirmarentur, sed etiam de omnibus fidelibus usque ad consumma» tionem saeculi. » Σὲ τῶν μαθητῶν ἔξαρχον ἔχω... τοῦτο γὰρ προσήκει σοι, ὡς μετ' ἐμὲ ὄντι τῆς ἐκκλησίας Πέτρᾳ καὶ στηρίγματι. Νοήσειε δ' ἂν τις τοῦτο οὐ μόνον περὶ τῶν τότε Ἀποστόλων εἰρῆσθαι, ὡς ἂν ὑποστηριχθῶσιν ὑπὸ τοῦ Πέτρου, ἀλλὰ καὶ περὶ πάντων τῶν ἄχρι τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος πιστῶν.

(4) In eadem sententia sunt et alii Actuum Apostolorum apud Graecos explanatores; ex quibus ad rem referre iuvat, quae habent

Idem vero Doctor sanctissimus ad rem ulterius pergit declarandam; dicit enim Petrum electionem Matthiae fecisse in consilio Ecclesiae, quia etsi ipsi soli id efficere liceret, tamen *ne ad gratiam aliquid agere videretur, hoc non fecit* (1), simulque edocuit qua moderatione utendum sit ea auctoritate, quam quis habeat (2): « Haec fuit provi- » dentia (Petri) magistri.. Is primis doctorem (Matthiam) » constituit.. » Idem Chysostomus eadem confirmat in Homilia XXI in Act. Ap. « Vide ubique Petrum circumcur-

Theophylactus Bulgarorum Archiep. et Oecumenius, qui etsi vestigiis Chrysostomi pressius fere semper insistant; tamen sententias sapientissimas ipse per se declarant et confirmant. Theophylactus haec habet in eodem loco apertissima (in Act. Ap. pag. 15. ed. Rom.). Ἀναστὰς ὁ Πέτρος ὡς θερμὸς καὶ ἐμπιστευθεὶς παρὰ Χριστοῦ τὴν ποίμνην, καὶ ὡς κορυφαῖος. Ὅρα δὲ αὐτὸν ἅπαντα μετὰ κοινῆς ποιοῦντα γνώμης, οὐδὲν αὐθεντικῶς οὐδὲν ἀπ' ἐξουσίας. « *Surgens Petrus utpote qui fervi-* » *dus erat, cui concredita fuerat a Christo cura gregis, et ut cory-* » *phaeus. Attamen vide ut omnia de communi consilio faciat, nihilque* » *ex auctoritate sua et ex potestate.* »

Quibus fatetur in Petro inesse auctoritatem et potestatem creandi Apostolum; sed ut praebeat exemplum ne omnia praecipue a praelatis fiant ex summo iure, hanc instituit se habendi rationem; unde eius patet suprema iurisdictio, simulque elucet summa prudentia atque animi virtus, omnia graviora ex consilio faciens. Quod et iam Chrysostomus et post eum Theophylactus animadverterant. « *Haec* » *ita acta sunt* (ait Chrys. hom. III. §. 3.) *propter illius* (Petri) » *virtutem.* »

Denique hac super re Oecumenius (Cap. II.) ait: *Surgit Petrus, non Iacobus, velut is cui praesidentia discipulorum commissa erat.* Ἀνίσταται Πέτρος, οὐχ ὁ Ἰάκωβος,... καὶ ὡς τὴν προστασίαν τῶν μαθητῶν ἐγκεχειρισμένος... **In cuius verbis etsi semper Ioannis Chrysostomi sententia relata appareat; tamen conferens auctoritatem Petri cum auctoritâte aliorum Apostolorum, etiam atque etiam evincit illis singulis et omnibus et universae Ecclesiae Petrum praeesse, atque ius maximum a Christo acceptum statim ab illo exerceri universa probante Ecclesia.**

(1) Ib. ἀλλ' ἵνα μὴ δείξῃ χαρίζεσθαι, τοῦτο οὐ ποιεῖ.

(2) Ib. §. 4. Αὕτη πρόνοια διδασκάλου. Πρῶτος οὗτος διδάσκαλον (Ματθίαν) κατέστησεν...

» sare, et primum inveniri... Primus, ubi eligendus erat » Apostolus (Matthias)... »(1).

Insignis alter est locus in Gestis Apostolicis, ubi de constituendis et eligendis Diaconibus acta res est. Sed ne longior hac in re sim, retulisse sufficiat Chrysostomi sententiam, qui innuere videtur (hom. XIV §§. 3, 4) tunc idem praestitum fuisse ac antea in electione Matthiae Apostoli. Et cum iam viderimus, quo lumine ibi sese ostendisset auctoritas Petri, concludendum est eodem modo in electione Diaconorum, et manifestatam et exercitam, atque ab omnibus confirmatam esse in altera quidem maxima actione disciplinari ecclesiastica; quamquam minus aperta sacri textus heic verba legantur.

Etsi ex utraque harum electionum eluceat suprema Petri iurisdictio, et alia adsint in eodem divino libro de Gestis Apostolicis argumenta ad eandem comprobandam, ut in damnatione Ananiae et Sapphirae, in conversione Cornelii Centurionis, aliisque gestis; tamen ut brevis sim, vel leviter attingam celebrem de legalibus consuetudinibus quaestionem ibidem relatam, in qua praecipue auctoritas Petri in componendis Ecclesiae moribus emergit. Siquidem hoc in loco Petrus non modo fratres ut alibi alloquitur, sed solemni ratione declarat apud omnes compertum esse, quod iam antea Deus elegerat inter Apostolos ut per os Petri gentes audirent verbum Dei et crederent. Unde auctoritas suprema de praedicando gentibus Christi evangelio divinitus ipsi Petro commissa videtur declarari. Eandem vero missionem in Israeliticum populum Petro praecipue fuisse concreditam asserit Paulus dicens, se quidem ad gentes fuisse missum (sed tamen cum subiectione a Petro, ut inferius declarabimus); Petrum vero primum Apostolum populi electi fuisse a Deo constitutum; quia haec pars praecipua haereditatis Christi in terris adhuc habebatur. Et ad disciplinarem

(1) Confer inferius pag. 16.

auctoritatem quod propius attinet, apostolica narratio eam in Petro supremam fuisse praedicat. Dicitur enim *cum magna conquisitio fieret* in ipso concilio surgens Petrus locutus est, et data ab eo sententia de non cogendis gentibus ad servanda legalia Hebraeorum, non modo *tacuit omnis multitudo;* nemo enim audebat post supremum Doctorem verba facere; sed omnes illius decreto prorsus acquiescentes, synodalem in Spiritu sancto definitionem edidere iuxta Petri verba, et ita ipsum hoc pacto supremum iudicem auctoremque in negotiis disciplinaribus recognoverunt.

Quae ex ipso divino textu lucide apparent, verbis quoque SS. Doctorum exponere abs re non erit. Chrysostomus de auctoritate Petri et hoc in loco testimonium praebet (hom. xxxii) « Vide: (Petrus) in Ecclesia permittit primo » quaestionem moveri et postea loquitur (1). » Unde concludere fas est, Petrum potuisse non permittere ut huiusmodi quaestio in Ecclesia agitaretur, sed statim auctoritate sua rem definire; insuper illum data occasione ad bonum Ecclesiae loqui; ac denique dum ipse loquitur rem esse definitam, ideoque omnes post eum tacere et dictis acquiescere.

Iam idem S. Doctor dixerat definitiones a Petro prolatas non esse sententias humanas, sed oracula divina; ideoque dum ex plenitudine potestatis loquitur, eius verba, veluti verba Dei esse excipienda. Ad ea Petri « *Elegit Deus per os meum audire gentes et credere* » haec habet: « Vide quomodo ostendat per se Deum loqui nihilque esse » humanum (2). » Ad verba autem « *In vobis elegit ab antiquis diebus,* » adiungit: « Hoc dicit ostendens quod iam » olim, non vero modo Deus eum elegit; non dixit vo-

(1) Ιω. χρυσοστ. (ὁμιλ. λβ' εἰς Πραξ.). Ὅρα. ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πρῶτον (Πέτρος) συγχωρεῖ ζήτησιν γενέσθαι καὶ τότε λέγει.

(2) Ib. — Διὰ τοῦ στόματός μου — ὅρα, δείκνυσι τὸν θεὸν δι' αὐτοῦ φθεγγόμενον· καὶ οὐδὲν ἀνθρώπινον.

» luit, sed elegit(1).» Ex quo magis atque magis confirmatur quod supremum in Ecclesia ministerium Petri datum non fuit veluti gratia Dei transiens, sed gratia et munus permanens ad regimen Ecclesiae totius; et hac de caussa necessum erat, ut in Ecclesia perpetuo permaneret; de quo inferius dicemus.

Accedit ad haec et sententia Theodoreti percelebris Episcopi Cyrensis, qui hanc de legalibus quaestionem commemorans asseverat in ea auctoritatem B. Petri et successorum eius evinci; qua in re animadvertit, quod Paulus qui et Apostolus gentium fuerat constitutus a Christo, tamen cum de gravi disciplinari quaestione ageretur Petrum adit, ab eo definitionem expectat, eaque accepta, nil magis sibi cordi est quam eam executioni mandare, et hac Petri fultus auctoritate omnes Antiochiae exortas turbas compescit. Unde declaratur quanti esset Petri sententia apud christianos omnes. Dicit enim ille in Epistola ad S. Leonem Papam: « Nonne Paulus » praeco veritatis et tuba Sancti Spiritus ad magnum Pe» trum se contulit, ut iis, qui Antiochiae de legalibus con» tendebant, ab ipso referret solutionem? » (2).

Eandem Pauli subiectionem Petro exhibitam Chrysostomus quoque notatione dignam recensuit (hom. 87 in cap. 21 Io.) super illa verba Epistolae Pauli ad Galatas:

(1) — Ἐν ὑμῖν ἐξελέξατο ἀφ' ἡμερῶν ἀρχαίων — Τοῦτο εἶπε δεικνὺς ὅτι πάλαι, οὐ νῦν... οὐκ εἶπεν ἠθέλησε, ἀλλὰ ἐξελέξατο.

Iuvat adiungere verba Theophylacti, qui originem divinam iurisdictionis Petri confirmat hoc in loco: « Vide Petrum ut e caelo gra» tia accepit munus de rebus agendis. » Ὅρα Πέτρον ἄνωθεν κεχαρισμένον τὰ πράγματα. Et ad verba relata « *Per os meum audire gentes* etc.» ait: « Per hoc ostendit Deum loquentem per ipsum et nil esse humani. » Ὅρα πῶς δείκνυσι τὸν θεὸν δι' αὐτοῦ φθεγγόμενον, καὶ οὐδὲν ἀνθρώπινον.

(2) Θεοδώρητος (Επιστολ. πρὸς Λέοντα Πάπαν Ρώμης) — Η οὐχ ὁ Παῦλος τῆς ἀληθείας ὁ κήρυξ, ἡ τοῦ ἁγίου Πνεύματος σάλπιγξ πρὸς τὸν μέγαν ἔβραμε Πέτρον ὥστε τοῖς ἐν Αντιοχείᾳ περὶ τῆς κατὰ νόμον πολιτείας ἀμφισβητοῦσι παρ' αὐτοῦ κομίσαι τὴν λύσιν;

comprobari; itemque in eodem divino thesauro huiusmodi confirmationem et declarationem contineri, ipsi quoque SS. Ecclesiae Graecae Patres atque scriptores fatentur.

Data est Ecclesiae potestas ligandi atque solvendi; et haec potestas conlata est ab ipso Christo, cui Pater caelestis in caelo et in terra omnem contulerat potestatem. His evangelicis sententiis omnis iurisdictio Ecclesiastica continetur. Verum ipse Christus Dominus ut demonstraret universam Ecclesiae oeconomiam ea ratione constitutam esse, ut appareret visibili Capiti, successori suo Petro huiusmodi iurisdictionis plenitudinem fuisse concreditam, tantummodo Petro seorsim eandem iurisdictionem absolute traditam esse testatur. Quod ut magis magisque declararet, primo hanc potestatem ligandi atque solvendi tribuit Petro; postea vero declaravit et ea gaudere Pastores Ecclesiae una cum Petro coniunctos; ut vero appareret discrimen quod inter potestatem Petri et Apostolorum intercederet, eam Petro contulit verbis illis: *Dabo tibi claves regni caelorum* et propterea *quodcumque ligaveris super terram erit et ligatum in caelis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in caelis;* quibus declarat potestatem esse personalem, independentem et plenam; dum vero ad Apostolos loquitur, ex contextu evangelico aperte demonstratur verba facere ad universam ecclesiam docentem, quae ibi cum Petro ab Apostolis constituebatur. Dicit enim (Matth. 18. 19.). *Si non audierit* (frater tuus), *dic Ecclesiae; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis quaecumque alligaveritis super terram erunt ligata et in caelo, et quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in caelo.* Quod vero tunc Ecclesiae loqueretur sub capite Petro constituenda, apparet ex eo quoque quod statim: *Tunc accedens Petrus dixit: Domine quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei?* Qui unus veluti nomine totius Ecclesiae de sacra disciplina servanda in remittendis peccatis Dominum

sciscitatur, utpote cui et disciplinaris auctoritas erat concredita.

Ex quibus etiam elucet, quo pacto fere eadem verba intelligenda sint, quando idem Christus post resurrectionem dixit Apostolis: - *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt*; videlicet iisdem Apostolis facultatem remittendi peccata fuisse cum Spiritu Sancto datam; in hac vero potestate semper primum et moderatorem esse Petrum; cui haec potestas, aliis postea communicata, praecipue iam data fuerat.

Maius quidem his robur accedit animadversionibus, si consideres Christum promittere se daturum Petro claves regni caelorum, eo quod tunc ipse Christus versabatur in terris et erat Ecclesiae suae visibile Caput; sed post resurrectionem omnem curam Ecclesiae universae regendae Principi Apostolorum committit, tum *nutriendi* (βόσκειν) *agnos et pascendi* (ποιμαίνειν *curam pastoralem gerere*) *oves suas:* dum e contra Apostolis simul coniunctis tradit dumtaxat Spiritum Sanctum et potestatem remittendi peccata. Quae quidem discrimen inter utramque potestatem manifestant.

Hac in sententia iam a saeculo III celeber ille Origenes aiebat (in Matth. T. XIII), « Privatim Petro attributum est illud - *Dabo tibi claves regni caelorum* etc. - priusquam illud *Quaecumque alligaveritis super terram erunt ligata et in caelis* etc. Ac certe si ad evangelica scripta animum diligenter appellamus, magnum inveniemus discrimen et excellentiam eorum, quae Petro prae ceteris, quae aliis (Apostolis) dicta sunt etiam in his rebus, quae videntur esse communia et Petro et iis qui ter corrigunt fratres. » (1).

(1) [illegible]

II.

AUCTORITAS SUPREMA B. PETRI IN ECCLESIA AD SUCCESSORES EIUS ROMANOS PONTIFICES TRANSIIT.

Auctoritatem tum doctrinalem tum disciplinarem in universa Ecclesia B. Petro a Christo Domino collatam fuisse, cum adeo aperta res sit, nemo certe mente sanus et iudicio prudens auderet inficiari; at vero aliqui non desunt qui contendere praesumant huiuscemodi potestatem ad illius successores Romanos Pontifices minime transiisse, neque hos ex iure divino sacrum obtinere primatum; sed quandam tantummodo praeeminentiam honoris propter sedis principalitatem ex ecclesiastica consuetudine eisdem competere; ita ut Romanus Pontifex non sit Ecclesiae caput, qui regat et pascat omnes oves et agnos Christi; sed et ipse ut unus e pastoribus ab ipsa Ecclesia doceri ac regi debeat.

Ad disciplinarem autem iurisdictionem in universa Ecclesia quod refert, aliqui dicunt in Pontifice tantum ex iure vel consuetudine ecclesiastica inesse quandam potestatem, quam aliquando alii Ecclesiae Pastores reverentiae causa habent in honorem; ea tamen ratione ut ille ius dicere nequeat in illorum iudiciis vel in iis quae de iure Patriarcharum vel aliorum Episcoporum esse dicuntur; neque supra statutos Ecclesiae canones et in moderanda ecclesiastica disciplina aliquid auctoritatis habeat. Nos vero paucis demonstrare constituimus omnem potestatem Petri nullis circumscriptam limitibus in universalem Christianorum Ecclesiam ad successores eius transiisse; ita ut illi, Petro, et iis, Pontificibus Romanis, plena in omnes Episcopos et Ecclesias sit disciplinaris auctoritas.

Et in primis optimum et opportunum animadvertendum esse iudicamus, ut sedulo consideretur, quo pacto fieri poterat ut Ecclesia, quam statim ab Ascensione Christi sub unico pastore Petro ipse Dominus statuit congregari, cum usque ad consummationem saeculi mansura esset in terris, post Petri obitum suo visibili capite destitueretur? Adinstar unius gregis est coadunata, ideo necesse habet unius pastoris supremi: adinstar domus condita, fundamento suo inniti debet: veluti familia constituta patremfamilias adesse expostulat; non enim plures greges sunt, variae domus, pleraeque familiae, sed una tantum Ecclesia visibilis, unum ovile, atque ideo unus pastor, idemque visibilis.

Quae si quis inficiari velit, iam ab ipsa monarchica constitutione Ecclesiae a Christo tradita desciscceret necesse est, sibique fingere pro una ecclesia plures diversas, etsi unaquaeque se esse veram Ecclesiam Christi vindicare sibi deberet: unde schismata et haereses, discordia et non pax a Christo asseclis suis haereditario iure relicta derivarent; hinc pernicies et perditio omnium, qui secedunt ab ecclesia illa unica, quam Filius Dei acquisivit sibi in sanguine suo.

Quinimo si necesse fuerat, ut Christus Iesus statim *post se*, ut magni Basilii verbis utar, *pastorem Ecclesiae B. Petrum constitueret* (1); quanto magis necessarium credendum est, ut ipse Dominus futuris omnibus temporibus aliquem, tamquam visibile Ecclesiae caput, qui in terris cum militante eadem Ecclesia versaretur, adesse iuberet? Tunc enim et statim post Ascensionem Christi permanebant adhuc congregati unanimiter Apostoli, et viri omnes pleni fidei et Spiritus Sancti; ideoque societas Christi saltem aliquo tempore absque monarchico regi-

(1) Βασίλειος ὁ μέγας (Διαταξεις ἀσκητικ. κβ')... Χριστοῦ Πέτρον ποιμένα καθ' ἑαυτὸν τῆς ἐκκλησίας αὐτοῦ καθιστῶντος. Πέτρε, γάρ φησί, φιλεῖς με; κ. τ. λ.

mine existere potuisse aliquis sibi persuadere posset; sed e contra nulla dies intercessit, qua supremo capite visibili non regerentur asseclae Christi, etsi in unum coacti essent *cum Maria matre Iesu* Apostoli omnes. Haud multis post annis, quando Petrus supremum diem obiit, adhuc superstites erant quidam Apostoli, erant apostolici viri ab ipso Christo et a discipulis edocti, erat multitudo credentium numero quidem minor, sed zelo fidei et religionis ardore longe quam postea maior; attamen constitutio illius, qui visibile caput haberetur, minime remorata est. Ut vero magis magisque apertum omnibus foret per successionem Petri obtineri supremum obeundum munus, neque Apostolus ullus superstes accersitur, neque illi in electione pars aliqua tribuitur, sed tunc Petri cathedram Linus ascendit caeterique post eum, qui visibilis capitis auctoritatem obtinerent.

Si eo igitur tempore non sine divino numine ita comparata res est; quid dicendum restat de aliis futuris temporibus, quando, uti dictum est, *refrigescet charitas multorum*, quando schismata et haereses exorirentur, quando fideles per orbem diffusi ad aliquod unitatis centrum, uti ita dicam, necesse foret ut omnes convergerent? Quanto magis tunc necesse esset, ut adesset hic *vertex et axis, in quo omnes verterentur, regerentur et sustentarentur orbis Ecclesiae?* (1). Atque ob eam rem ipsa societas christiana ex natura constitutionis suae expostulabat, ut unus supremus adesset Princeps et Pastor, a quo omnes regerentur, ad quem omnes in gravioribus negotiis accurrerent, in quo unitas et pax servaretur. Cuius cum praecipuae partes essent gravissima obire munia, necesse quoque fuerat, ut suprema et universalis esset auctoritas, et ab eius iudicio totius ecclesiae agendi ratio penderet.

Quod indoles constitutionis Ecclesiae omnino expostu-

(1) Confer epistolam, quae circumfertur sub nomine Athanasii, de qua inferius dicemus.

labat; et rerum eventus sic instituendam esse christianam societatem confirmant; idipsum non modo decretum, sed factum est a divina sapientia et providentia, quae pertingit a fine usque in finem, et disponit omnia suaviter. Et revera factum est, ut ordine in perpetua saeculorum et rerum vicissitudine servando, in Petro et in illius successoribus huiuscemodi supremi regiminis continue maneret ac exerceretur auctoritas.

Et iam a primaevis rei christianae monumentis haec conspiciuntur apertissima, et apud omnes proclamata, imo et venerata. Ut vero tantum aliquos ex graecis testes arcessam, audi ut vir apostolicis temporibus vicinus Irenaeus multis et insignibus praeconiis Romanam exaltet Ecclesiam, eiusque in orbe auctoritatem praedicet (1). « Ad hanc Ecclesiam propter excellentem et ab aliis di-
» versam prioritatem necesse est ut omnis alia accurrat
» Ecclesia, idest fideles qui ubique terrarum sunt; in qua
» semper ab eis qui sunt undique, servata est accepta ab
» Apostolis traditio. Fundantes igitur et instruentes Beati
» Apostoli Ecclesiam, ministerium Episcopatus Lino com-
» miserunt; et post eum suscepit Anacletus... tertio Cle-
» mens... sub quo pontifice cum haud modica inter fra-
» tres Corinthi seditio orta esset, Romana Ecclesia misit
» epistolam validissimam Corinthiis, quae ad pacem eos

(1) Εἰρηναῖος (περὶ αἱρεσ. γ'). **Editio Lipsiensis 1853...** Πρὸς ταύτην γὰρ τὴν ἐκκλησίαν διὰ τὴν διαφέρουσαν πρωτείαν ἀναγκὴ πᾶσαν συμβαίνειν ἐκκλησίαν, τουτέστι τοὺς πανταχόθεν πιστούς, ἐν ᾗ διαπαντὸς ὑπὸ τῶν ὄπου δήποτε συντετήρηται ἡ παρὰ τῶν Ἀποστόλων διάδοσις· **(sequuntur graeca ex veteri textu)** Θεμελειώσαντες οὖν καὶ οἰκοδομήσαντες οἱ μακάριοι Ἀπόστολοι τὴν ἐκκλησίαν Λίνῳ τὴν τῆς ἐπισκοπῆς λειτουργείαν ἐνεχείρισαν... διαδέχεται δὲ Ἀνάκλητος... τρίτῳ τόπῳ... κληροῦται Κλήμης. Ἐπὶ τούτου οὖν τοῦ Κλήμεντος στάσεως οὐκ ὀλίγης τοῖς ἐν Κορίνθῳ γενομένοις ἀδελφοῖς ἐπέστειλεν ἡ ἐν Ῥώμῃ ἐκκλησία ἱκανωτάτην γραφὴν τοῖς Κορινθίοις εἰς εἰρήνην συμβιβάζουσα αὐτοὺς καὶ ἀνανεοῦσαν τὴν πίστιν αὐτῶν καὶ ἣν νεωστὶ ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων παράδοσιν εἰλήφει. **Confer et Eusebium Hist. Eccl. III, 16 — et IV, 23.**

» conducebat, et pristinam declarabat fidem et traditio-
» nem, quae paulo ante ab Apostolis acceperat. »

En vides in ipsis primis RR. PP. transmissam Beati Petri auctoritatem, quam Clemens exercuit; Ecclesia vero Corinthiorum ea, quae ille edixerat absque haesitatione, imo multa cum veneratione excepit; ex quo statim seditio compescitur, et ab epistolis pontificiis vera docetur apostolica traditio.

Nec desunt alia, perquam longissimae vetustatis documenta, in quibus eadem Petri auctoritas in successoribus venerata appareat in variis orbis christiani partibus. Inter alios nobis aperte testatum reliquerunt Eusebius, qui relato testimonio Dionysii Corinthiorum Episcopi, pontificem Soterum multam orientalium ecclesiarum narrat suscepisse curam: Basilius (1) et Athanasius (2) quanta egerit in ecclesiasticis negotiis Dionysius Papa alter pro Cappadocia, alter pro Aegypto testatur; sed ut ad ea saecula vere aurea Graecae Ecclesiae deveniamus, vel in ipso limine saeculi IV multa sunt et conspicua testimonia.

In epistola quam una cum caet is Aegyptiis Episcopis ad Felicem Papam dicitur dedisse Athanasius (3), ei summam delatam ess auctoritatem proclamant; etenim ei dicunt: « Tu es Petrus, sicut dominicum veraciter testatur
» eloquium, et super fundamentum tuum Ecclesiae colu-
» mnae, scilicet Episcopi, qui Ecclesiam sustinere et pro-
» priis humeris portare debent, tibi sunt confirmatae. Ti-
» bique claves regni caelorum commisit atque ligare et
» solvere potestative, quae in terris et in caelis sunt, pro-
» mulgavit. »

Paulo ante solemne adagium ibidem proclamatur :

(1) Epistola Basilii ad Damasum.

(2) Epistola Athanasii etc. de qua dicemus.

(3) Haec referuntur in epistola, quae extat sub nomine Athanasii et Episcoporum Aegypti (Labbe T. II. p. 844) quam suspectam habent eruditi; attamen legimus fere eadem apud Socratem, ut inferius, Hist. Eccl. l. 2. c. 8, 17 et apud Sozomenum l. 3. c. 9.

« Sicut in Christo renovantur christiani; ita et in petra, » idest in Petro, renovantur ecclesiae; » ubi auctoritas, qua pollent in Ecclesia Petri successores, comparatur virtuti Christi in ipso baptismate aliisque sacramentis, in quibus per gratiam christiani renovantur.

Eandem sententiam confirmare videtur magnus Chrysostomus (1) illis verbis: « Cur Christus sanguinem effudit » suum? Ut oves istas acquireret, quas Petro et succes- » soribus eius concredidit. »

Quae quidem et solemni ratione asserit Sergius Metropolita Cypri in epistola ad Theodorum Papam inquiens: « Fundamentum a Deo positum et inconcussum, prae- » scriptionem fidei lucidissimam, Sedem tuam Apostoli- » cam, o sacrum Caput, Christus Deus noster stabilivit. » Ut enim vere divinus sermo infallibiliter proclamavit: » Tu es Petrus, et super fundamentum tuum stabilitae » sunt (episcopi) ecclesiae columnae. Tibi claves caelorum » concredidit, et ex potestate in caelo et in terra ligare » et solvere te constituit » (2).

Post haec autem minime certe mirabimur, quod legimus in ipsa praefatione primae Synodi (3) a S. Sylvestrum Papam haec dici: « Sciendum est sane ab omnibus catho- » licis viris quoniam S. Romana Ecclesia nullis syno- » dicis decretis, sed evangelica voce Domini et Salvatoris » N. I. C. primatum obtinuit, ut dixit B. Petro apostolo:

(1) Ιω. χρυσος (περὶ Ιησουν. λογ. β'.) Διὰ τί καὶ τὸ αἷμα ἐξέχεεν; ἵνα τὰ πρόβατα κτήσηται ταῦτα, ἃ τῷ Πέτρῳ καὶ τοῖς μετ' ἐκεῖνον ἐνεχείρισεν.

(2) Σέργιος μητροπολίτης Κύπρου πρὸς Θεόδωρον πάπαν (Labb. VI, 121). Στήριγμα θεοπαγὲς καὶ ἀσάλευτον, καὶ στηλογραφίαν διαφανῆ τῆς πίστεως τὴν σὴν Ἀποστολικὴν καθέδραν ἱδρύσατο, ὦ ἱερὰ κεφαλή, Χριστὸς ὁ θεὸς ἡμῶν. Σὺ γάρ, ὡς ἀληθῶς ὁ θεῖος ἀψευδῶς ὑπηγόρευσε λόγος, ὑπάρχεις Πέτρος, καὶ ἐπὶ τῷ σῷ θεμελίῳ τῆς ἐκκλησίας οἱ στύλοι πέπηγασι. Σοὶ καὶ τὰς κλεῖς τῶν οὐρανῶν ἐνεχείρισε δεσμεῖν τε καὶ λύειν ἐπὶ γῆς καὶ οὐρανοῦ κατ' ἐξουσίαν ἐθέσπισε κ. τ. λ.

(3) Concil. Nicaen. apud Harduin. t. I.

» Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam » meam. »

De praedictis verbis, quae inter ea quae de Concilio Nicaeno I supersunt quidam legunt, cum haud immerito dubitent aliqui eruditi, super iis minime immoramur, cum tot alia restent maxime genuina, quae aperte commostrant thesim nostram, nempe a Petro ad successores supremam transmissam esse auctoritatem. Solemne illud est quod in sententia adversus Nestorium in Concilio Ephesino omnibus probantibus prolatum est; legimus enim Nestorium Patriarcham a R. Pontifice dam ari et huius potestatem eandem esse atque eam quae fuerat in B. Petro: « Nulli dubium est, sed potius omnibus saeculis manife- » stum, quod Petrus ad hoc usque tempus et semper in » successoribus suis vivit et iudicium exercet. Igitur iuxta » hunc ordinem successor et eius locum tenens S. Caele- » stinus etc.... » Postquam autem haec dicta sunt « San- » cta Synodus dixit: Consentanea loquentibus... nos sequi » oportet » (1).

Nec minus solemnis ac pervulgata est Chalcedonensis Synodi conclamatio (2). « Anathema ei qui ita non credit: » « Petrus per Leonem locutus est. »

In tomo, ut aiunt, eiusdem Concilii Chalcedonensis (3) ad Pontificem dato legimus: « ... sicut docuit B. Petrus » Apostolorum Princeps, cuius cathedram Beatitudini tuae » Christus concredidit. »

(1) Συνοδ. Εφεσ. πραξ. Γ' (apud Labbe 1154 in sententia Nestorii) οὐδενὶ ἀμφίβολόν ἐστι, μᾶλλον δὲ πᾶσι τοῖς αἰῶσι ἐγνώσθη, ὅτι ὁ Πέτρος ἕως τοῦ νῦν καὶ ἀεὶ ἐν τοῖς αὐτοῦ διαδόχοις καὶ ζῇ καὶ δικάζει. Τούτου τοιγαροῦν κατὰ τάξιν ὁ διάδοχος καὶ τοποτηρητὴς ὁ ἅγιος Κελεστῖνος... Post haec (col.1160) Η ἁγία Σύνοδος εἶπεν. Ακολούθως διαλαληησάντων... ἐπόμενον ἐστί.

(2) Συνοδ. Καλχηδ. πραξ. β'. (ap. Labb. IV. 1285). Ανάθεμα τῷ μὴ οὕτω πιστεύοντι. — Πέτρος διὰ Λέοντος ταῦτα ἐξεφώνει.

(3) Συνόδου ΚΠ. τόμος πρὸς Πάπαν — ... καθάπερ ἐδίδαξεν ὁ μακάριος τῶν ἐνδόξων Αποστόλων ἀρχων, οὗπερ τὸν θρόνον τῇ σῇ μακαριότητι Χριστὸς ἐνεχείρισε.

Et ad eundem Orientales aiunt: (1) « Non ignoras volun-
» tatem eius (Christi), tu qui quotidie doceris sub sacro
» doctore tuo Petro oves Christi, quae in universo orbe
» sunt, tibi concreditas pascere. » In quibus et pontificalis auctoritatis innuitur origo.

Constantinopolitanum Concilium sub Agapito Papa, haec habet de eius agendi ratione, postquam Pontifex Anthimum haereticum Patriarcham deposuit, et in eius locum auctoritate sua S. Mennam suffecit, quem et manibus suis consecravit. « Misit Deus huic civitati Agapi-
» tum pontificem veteris Romae ad depositionem Anthimi
» et praedictorum haereticorum, ut olim Petrum magnum
» ad damnationem falsae artis Simonis » (2).

Eidem Agapito et in actis eiusdem Synodi dicunt Graeci (3): « Ex quo Christus Deus noster... virtute sua
» invisibili et terribili requievit super venerabili capite
» vestro, concredens vobis, o beatissimi, Sedem Principis
» Apostolorum, et statuit pedes vestros supra firmam
» petram. »

Synodus Oecumenica VI, quae fuit Constantinopolitana III, suscipiens litteras Agathonis Papae (Sess. VIII) eas veluti a Petro principe Apostolorum, sed Agathonis digito, scriptas fuisse pronunciat. Et in prosphonetico seu relatione sua ad Imperatorem (Sess. XVIII) habet (4): « Concertabat

(1) ... οὐ γὰρ ἀγνοεῖς τὸ θέλημα αὐτοῦ (χριστοῦ), ὃς καθ' ἑκάστην ἡμέραν ὑπὸ τοῦ ἱεροῦ διδασκάλου σου Πέτρου διδάσκῃ τὰ πρόβατα τοῦ Χριστοῦ τὰ ἐν πάσῃ τῇ οἰκουμένῃ ἐγχειρισθέντα σοι, ποιμαίνειν.

(2) Συνοδ. ΚΠ ἐπὶ Μηνᾶ πραξ. ά. — Ἐξαπέστειλεν ὁ θεὸς τῇδε τῇ πόλει Ἀγαπητὸν... ἀρχιερέα τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης ἐπὶ καθαιρέσει Ἀνθίμου καὶ τῶν εἰρημένων αἱρετικῶν ὥσπέρ ποτε τὸν Πέτρον τὸν μέγαν τοῖς Ῥωμαίοις ἐπὶ καθαιρέσει τῆς Σίμωνος γοητείας.

(3) Ibid..... Ἐξ οὗ Χριστὸς ὁ θεὸς ἡμῶν... τῇ ἀοράτῳ καὶ φοβερᾷ αὐτοῦ δυνάμει ἐπὶ τὴν σεβασμίαν ὑμῶν ἐπανεπαύσατο κεφαλήν, τὸν τοῦ Κορυφαίου τῶν Ἀποστόλων θρόνον καταπιστεύσας ὑμῖν μακαριώτατοι, καὶ ἔστησεν ἐπὶ πέτραν τοὺς πόδας ὑμῶν.

(4) Συνοδ. ς' οἰκουμ. ΚΠ. Γ' Προσφωνητ. λόγ. πρὸς Βασιλέα — Ὁ δὲ κορυφαιότατος ἡμῖν συνηγωνίζετο πρωταπόστολος· τὸν γὰρ ἐκείνου μιμητὴν

» nobiscum summus Apostolorum Princeps: illius enim » imitatorem et successorem Agathonem habuimus auctorem, et mysterium fidei per epistolas declarantem. Confessionem a Deo scriptam illa antiqua Romana civitas » obtulit, et lucem diurnam dogmatum ex occidentalibus » partibus oriri fecit. Charta et atramentum apparebant, » et Petrus per Agathonem loquebatur. » Eadem VI Synodus in relatione ad Agathonem dicit: (1) « Tibi ut primae » Sedis Antistiti de universali Ecclesia quid agendum sit » relinquimus stanti super firmam petram, libenter acquiescentes litteris verae confessionis a vestra Beatitudine » missis, quas ut a summo Apostolorum Capite divine » scriptas agnoscimus... » Hinc vides quo pacto auctoritati pontificiae maiora Ecclesiae negotia permissa fuerint definienda.

Gravissima haec Conciliorum testimonia, quibus et alia adiungi possent, manifestant semper huiusmodi fuisse apud omnes Ecclesias de auctoritate R. Pontificis traditionem, et pontificiae auctoritatis omne robur pendere ex auctoritate Petro collata, atque huiusmodi potestatem successoribus eius dimanare. Quod vero praecipuum est, eiusdem potestatis originem innuunt divinam.

Praeterea recitata testimonia tum SS. Patrum tum praecipue Conciliorum maxime faciunt adversus eos qui auctoritatem, quam R. Pontifex saepe saepius in universam Ecclesiam exercuit, dixerunt derivari e legibus ecclesiasticis, seu decretis synodalibus. Quique minus recte interpretan-

καὶ τῆς καθέδρας διάδοχον εἴχομεν ὑπαλειφόντα, καὶ τὸ τῆς θεολογίας μυστήριον διὰ γραμμάτων ἐμφαίνοντα, ὁμολογίαν θεοχάρακτον ἡ Ρώμη πόλις ἡ πρεσβύτης ἀνέτεινε, καὶ τὴν δογμάτων ἡμέραν ἐκ τῆς ἑσπέρας ἀνέτειλε. χάρτη καὶ μέλαν ἐφαίνετο, καὶ διὰ Ἀγαθῶνος ὁ Πέτρος ἐφθέγγετο.

(1) Ibid. πράξ. ιή. Initio Epistolae Synodi ad Pontificem (Mansi XI. p. 688). Ἡμεῖς ὡς Πρωτοθρόνῳ σοι τῆς οἰκουμένης Ἐκκλησίας τὸ πρακτέον παρατιθέμεθα ἐπὶ τὴν στερεὰν πέτραν ἑστῶτι τῆς πίστεως, τοῖς παρὰ τῆς ὑμετέρας πατρικῆς μακαριότητος πρὸς τὸν εὐσεβέστατον βασιλέα τῆς ἀληθοῦς ὁμολογίας ἐμφιλοχωρήσαντες γράμμασι· ἅπερ καὶ ὡς ἀπὸ τῆς κορυφαίας τῶν Ἀποστόλων ἀκρότητος θεολογηθέντα γινώσκομεν κ. τ. ε.

tur verba quaedam decreti Florentini Concilii in quibus proclamatur Pontificis esse plenam auctoritatem « *quemadmodum etiam in sacris canonibus et synodicis decretis continetur*. » Quandoquidem praedicta verba ea ratione intelligenda putant, ut auctoritas haec sit quidem plena, illis tamen coarctata limitibus, quos eidem praescripserunt Canones et Concilia; intelligenda vero esse nolunt eo sensu quatenus eandem auctoritatem plenam Concilii definitio proclamet, sicut etiam ipsi Canones et alia Concilia proclamant. En ista vetusta oecumenicarum synodorum testimonia, quae satis aperte indicant, quo pacto relata verba intelligenda sint.

Quinimo si concedi possit, ut eo sensu illa verba sint accipienda quatenus auctoritas pontificia contineatur intra limites praescriptos a SS. Canonibus et decretis Conciliorum; quid inde contra illam concludent adversarii? Nil certe; nam praesto sunt multa testimonia Conciliorum, praecipue orientalium, quae proclamant auctoritatem illam et plenam et supremam et divinam a nullis synodicis vel canonicis pendere decretis. Ideoque *quemadmodum etiam in sacris Canonibus et synodicis decretis,* eiusdem auctoritatis absoluta plenitudo est profitenda. De his autem, si quis velit rem prolixius considerare, praestat probatos scriptores consulere.

Ad haec quae in ipsis synodis Orientales praecipui patres de auctoritate Petri ad successores eius trasmissa praedicarunt, accedunt aliorum quoque plura ex iisdem Orientalibus Ecclesiis doctorum documenta, quae ut brevi constringamur limite, nos tantum a quibusdam nobilibus Constantinopolitanis scriptoribus mutuati rem nostram ad finem urgemus.

Illustria sunt quae habet de auctoritate damnandi et solvendi, deque vera communione catholica decernendi S. Maximus Theologus fidei Confessor; « Si enim Ro» mana Sedes non solum reprobum Pyrrhum, sed et male » sentientem et male credentem non nescit, perspicuum

» profecto est, quod omnis qui eos qui Pyrrhum repro-
» baverunt anathematizat, Sedem Romanam idest Catho-
» licam Ecclesiam anathematizat. Omitto enim dicere quia
» utique et seipsum (anathematizat) qui talis est. Si dum-
» taxat Sedi Romanae communicat, et Ecclesiae Dei ca-
» tholicae (communicat)... A cuncta enim cecidit sanctitate
» qui nimirum ab Ecclesia catholica prosiliit. Si quis Sedi
» Romanae communicat et catholicae Ecclesiae Dei com-
» municat; ... qui iam olim ab Apostolica Romana Sede da-
» mnatus est et reiectus, donec ab ea recipiatur conver-
» sus ad illam, haud fas est ut aliquam laudem habeat.
» Itaque si (Pyrrhus) vult haereticum non esse, neque
» audire, non isti aut illi satisfaciat; festinet pro omni-
» bus Sedi Romanae satisfacere. Hac enim satisfacta com-
» muniter ubique omnes pium hunc et orthodoxum prae-
» dicabunt. Nam frustra loquitur, qui putat suadendos
» similes mihi, et non satisfacit et implorat beatissimum
» S. Romanae Ecclesiae Papam, idest Apostolicam Sedem,
» quae ab ipso incarnato Verbo... in omnibus et per omnia
» percepit et habet imperium, auctoritatem et potestatem
» ligandi et solvendi. Siquidem una cum ea Verbum,
» quod caelestibus imperat virtutibus, ligat et solvit
» etiam in caelo (1). »

Sub initio saeculi VIII in eadem sententia Ioannes Patriarcha ad Constantinum Papam veniam ob ecclesiasticos canones trangressos expostulans aiebat (2): « Discipuli et
» successores illius qui a Domino audivit – Simon Simon,
» ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum.
» Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua, et

(1) Apud Migne Patrol. Gr. t. XCI. col.144. — Extat latina tantum.

(2) Ιω. πατριάρχ. ΚΠ (πρὸς Κωνσταντῖνον Πάπαν ἐπιστολ). Migne ad an. 713, apud Labb.VIII, 146. Ἐκείνου ὄντες μαθηταὶ καὶ διάδοχοι τοῦ παρὰ τοῦ κυρίου ἀκούσαντος. — Σίμων Σίμων, ἰδοὺ ὁ σατανᾶς ἐξητήσατο ὑμᾶς τοῦ σινιάσαι ὡς τὸν σῖτον· ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σοῦ, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου· καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου — ὀφειλέταί ἐστε τὰ μὲν τοῦ πρὸς ἐπανόρθωσιν ςηριγμοῦ ἐπάγειν ἐπιμελῶς...κ.τ.λ.

» tu aliquando conversus confirma fratres tuos -... Plane » debetis cum omni studio adhibere quae sunt confir- » mationis ad emendationem. .... Nam et principem et » caput Apostolorum admonet Dominus etc. »

S. Tarasius CP. patriarcha in Epistola ad Hedrianum, his verbis Pontificem alloquitur: « Principali Sacerdotio » tuo omnis episcopalis potestas subiicitur; non est ortho- » doxus, qui non veneratur Sedem, in qua sedet Coryphaeus » Apostolorum qui nos et omnes fideles docet et guber- » nat (1), » et idem ait: « Sic (per litteras Pontificis) dilace- » rata membra in unitatem copulantur; sic vera confes- » sio stabilitur; sic catholica ecclesia obtinet unionem » (2). Nemo certe gravioribus verbis tam dogmaticam quam supremam disciplinarem R. Pontificis in Petro auctoritatem praedicari desideraret; ita ut qui in Pontifice docente et gubernante non veneratur Petrum, veluti Ecclesia indignus et apostata iudicetur. Idem vero Tarasius in fine Synodi VII haec scribit Pontifici: « ... Petro divino Apo- » stolo, cuius cathedram sortita est Sanctitas Vestra... » iure igitur ac secundum Dei voluntatem Sanctitas Ve- » stra sacrum hierarchicum ordinem gubernans celebrem » habet honorem » (3).

S. Nicephorus de eadem Synodo VII haec dicit, quae peremptoriam ostendunt esse R. Pontificis vel in dogmate

(1) Ταράσιος πατριάρχης Κωνσταντινουπόλεως πρὸς πάπαν. — Τῇ σῇ ἀρχιερατείᾳ πᾶσα ἀρχιερατεία ὑπόκειται· οὐκ ἔστιν ὀρθόδοξος ὁ μὴ σεβόμενος τὸν θρόνον, ἐν ᾧ κάθειται ὁ Κορυφαῖος τῶν Ἀποστόλων ἡμᾶς καὶ πάντας τοὺς θεοπίστους διδάσκων καὶ κυβερνῶν.

(2) Ὁ αὐτὸς Πατριάρχ. ΚΠ πρὸς Ἀδριανὸν πάπαν (apud **Migne Patr. Gr. t. 98. col. 1439**). Οὕτως οὖν τὰ διερρωγότα μέλη εἰς ἓν συνεβιβάζετο. οὕτως ἡ ἀληθὴς συμφωνία ἐκρατύνετο· οὕτως ἡ Καθολικὴ ἐκκλησία τὴν ἕνωσιν ἀπελάμβανεν.

(3) Id. (Ἐπιζ. πρὸς. Ἀδριαν. **Labb. t.VIII, 1279**; apud **Migne p. 1448**; in fine **Synod.VII.**) (ἐν τέλει τῆς Ζ' συνοδ.)... Πέτρου τοῦ θείου ἀποστόλου, οὗ τὴν Καθέδραν ἐκληρώσατο ἡ ὑμῶν Ἁγιότης... Ἡ οὖν ἀδελφικὴ ὑμῶν ἀρχιεροπρεπὴς ἁγιωσύνη ἐνθέσμως καὶ κατὰ Θεοῦ βούλησιν πρυτανεύουσα τὴν ἱεραρχικὴν ἁγιστείαν, διαβόητον ἔχει τὴν δόξαν.

vel in moribus sententiam; etsi decretum in synodis fuerit ventilatum et ratum (1). « Synodus Nicaena (inquit) sanc-» cta et oecumenica maxime iure et legitime congregata » fuit; siquidem iuxta leges divinas quae ab initio fue-» re.... praeeminebat in ea praesidebatque ex occiden-» tali fastigio, id est veteri Roma, pars non modica, » sine quibus (Romanis) ullum dogma quod in Synodis » ventilatum, decretis canonicis et sacerdotali consuetu-» dine fuerat antea ratum, numquam tamen probatum » habebitur, neque in praxim deducetur: quia illi sacer-» dotii principatum sortiti sunt, eamque dignitatem a » coryphaeis apostolis traditam habent. » Cum heic non sit operis pretium declarare quo pacto non modo a Petro sed et a Paulo tradita auctoritate gaudere RR. Pontifices dicantur, consuli possunt rei polemicae scriptores.

S. Ignatius ad Nicolaum I Papam scribit, ut una cum Petro RR. Pontifices a Christo supremam acceperint iurisdictionem (2). « In membris Christi... unum dumtaxat

(1) Apud Mai PP. N. Bibl. t.V. par. II. p.174. (Νικηφόρος Πατριάρχ. ΚΠ.)—κατὰ Νικαῖαν... ἱερὰ καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος.... συγκεκρότητο γὰρ μάλιστα ἐνδίκως καὶ ἐννομώτατα· ἐπείπερ ἤδη κατὰ τοὺς ἀρχῆθεν πετυπωμένους θείους θεσμοὺς, προῆγε κατ' αὐτὴν καὶ προήδρευεν ὅσον τε τῆς ἑσπέρας λήξεως, ἤτοι τῆς πρεσβύτιδος Ρώμης μέρος οὐκ ἄσημον· ὧν ἄνευ δόγμα κατὰ τὴν ἐκκλησίαν κινούμενον θεσμοῖς κανονικοῖς καὶ ἱερατικοῖς ἔθεσι νενομισμένον ἄνωθεν, τὴν δοκιμασίαν οὐ σχοίη, ἢ δέξαιτ' ἄν ποτε τὴν περαίωσιν, ὡς δὴ λαχόντων κατὰ τὴν ἱεροσύνην ἐξαρχεῖν, καὶ τῶν κορυφαίων ἐν ἀποστόλοις ἐγκεχειρισμένων ἀξίωμα.

(2) Ἰγνάτιος πατριάρχ. ΚΠ (ἐπις. πρὸς Νικόλαον πάπαν apud Mansi XVI, 47 et 325 in Actis Concilii VIII, ses. III) ἐν τοῖς μέλεσι τοῦ χριστοῦ καὶ θεοῦ καὶ σωτῆρος, τῆς πάντων ἡμῶν κεφαλῆς καὶ νυμφίου τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας ἕνα καὶ μόνον ἐξηρημένον τε καὶ καθολικώτατον ἰατρὸν αὐτὸς ὁ θειαρχικώτατος καὶ παναλκέστατος λόγος προεχειρίσατο, τὴν σὴν δηλονότι ἀδελφικὴν καὶ πατρικὴν ὁσιότητα, δι' ὧν φησι Πέτρῳ... — Σὺ εἶ Πέτρος καὶ... τὰς δὲ τοιαύτας μακαρίας φωνὰς οὐ κατά τινα πάντως ἀποκλήρωσι τῷ Κορυφαίῳ μόνῳ περιέγραψεν, ἀλλὰ δι' αὐτοῦ καὶ πρὸς πάντας τοὺς κατὰ ἐκεῖνον ἱεράρχας τῆς πρεσβυτέρας Ρώμης παρέπεμψε καὶ τούτου χάριν, ἔκπαλαι καὶ ἀνέκαθεν ἐν τοῖς ἀναφυείσαις αἱρέσεσι καὶ παρανομίαις ἐκριζωταὶ τῶν ζηζανίων γεγόνασι.

» electum et universalissimum medicum, nempe fraternam » paternamque Sanctitatem Vestram Verbum Dei... consti- » tuit, quando Petro summo Apostolorum Capiti dixit: » Tu es Petrus etc... Huiusmodi beatas voces non quidem » certo quodam privilegio tantum pro Coryphaeo illo cir- » cumscripsit, sed per illum (Petrum) etiam ad omnes » qui post eum futuri erant veteris Romae Pontifices » transmisit. Hinc Apostolicae Sedis vestrae successores » haereses et iniquitates extirparunt etc. »

Sed ne plura consecter, in re adeo aperte proclamata aliquot tantum verba adiungere liceat S. Theodori Abbatis Studitae (1) fidei propugnatoris acerrimi, et praecipue apud Graecos religionis magistri insignis. In Ep. 64 lib. II inquit: « Novimus ut operosus successor Coryphaei » Apostolorum praesit Romanae Ecclesiae. – Ep. 12. ad Paschalem Papam: « Tu es enim Petrus, quippe qui » sedem Petri exornas et in ea successor es » Ep. 63. – » Gaudeat Paschalis... quoniam Petri opus implevit. » In Ep. 86 ad Imp. CP. Michaëlem de Romana Sede dicit: « Haec est suprema Ecclesiarum Dei, cuius praeses pri- » mus Petrus; ad quem Dominus dixit: Tu es Petrus etc... » Lib. I. ep. 33. « Quoniam magno Petro Christus Deus post » claves regni caelorum dedit etiam dignitatem gregis re-

(1) Θεόδωρος ὁ Στουδίτης (Epistolae apud Sirmond. Oper. tom. V.).

Βιβ. Β'. ἐπ. ξδ'. ὄντως ἔγνωμεν ὡς ἐναργὴς διάδοχος τοῦ τῶν ἀποστόλων Κορυφαίου προίστη τῇ Ρωμαϊκῇ ἐκκλησίᾳ.

ἐπ. ιβ'. Πέτρος γὰρ σύ, τὸν Πέτρου θρόνον κοσμῶν καὶ διέπων...

ἐπ. ξγ'. χαιρέτω... Πασχάλιος· ὅτι τὸ ἔργον Πέτρου ἐξεπλήρωσε.

ἔπ. πζ'. Αὕτη ἡ κορυφαιοτάτη τῶν ἐκκλησιῶν, ἧς Πέτρος πρωτόθρονος, πρὸς ὃν ὁ κύριός φησι. Σὺ εἶ Πέτρος καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ...

Βιβ. Α. ἐπ. λγ'. ἐπειδήπερ Πέτρῳ τῷ μεγάλῳ δέδωκε χριστὸς ὁ θεὸς μετὰ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν καὶ τὸ τῆς ποιμνιαρχίας ἀξίωμα· πρὸς Πέτρον ἤτοι τὸν αὐτοῦ διάδοχον, ὁτιοῦν καινοτομούμενον ἐν τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ παρὰ τῶν ἀποσφαλλομένων τῆς ἀληθείας, ἀναγκαῖον ἀναφέρεσθαι...

ἐπ. λδ'. χριστοῦ σὺ τὰς κλεῖς ἐδέξω πρὸς αὐτοῦ, διὰ μέσου τοῦ τῶν Ἀποστόλων πρωτοστάτου καὶ τῶν ἀμοιβαδῶν μέχρι τοῦ προηγησαμένου τὴν ἱερωτάτην σου κεφαλήν.

» gendi; ad Petrum, id est ad successorem eius, quicquid » ab errantibus in catholica ecclesia innovatur, referri ne- » cesse est.» Denique quasi ex praedictis omnia perstringat illud gravissimum effatum profert (Ep. 34 lib. I ad Leonem Papam) « Christi claves ab ipsomet tu accepisti per » intermedium Apostolorum Principem et successores us- » que ad eum qui sanctissimum tuum Caput antecessit. »

Multa quidem restarent congerenda ex pluribus graecis scriptoribus; sed cum ea quae exposuimus tot tantaque sint, ut plura adiungere minime res indigeat; atque insuper adeo sint manifesta, ut in iis explanandis minime opus sit nos immorari, ad evincendam auctoritatem B. Petri in Ecclesia ad successores eius RR. Pontifices dimanasse; hinc est quod hanc disquisitionis nostrae partem nullis aliis verbis melius concludi posse opinamur, quam iis definitionis Concilii Florentini, quam et Graeci Episcopi synodice examinarunt, probarunt, et ipsi cum Imperatore manu sua subscripserunt. Ex his edocemur ab omnibus catholicis viris credendum esse quod hoc usque declaravimus. « Definimus S. Apostoli- » cam Sedem et ipsum Romanum Pontificem successorem » esse B. Petri Principis Apostolorum et verum Christi » Vicarium totiusque Ecclesiae caput, et omnium Chri- » stianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in B. Pe- » tro pascendi, regendi et gubernandi universalem Eccle- » siam a D. N. I. C. plenam potestatem esse traditam; » quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conci- » liorum et in sacris Canonibus continetur. »

III.

SUPREMA AUCTORITATE DISCIPLINARI POLLERE PONTIFICEM ROMANUM GRAECI TESTANTUR.

Ex his quae hucusque disputata sunt, mihi videor satis aperte evicisse non modo in ipso B. Petro, qui post Christum Ecclesiam regendam suscepit, sed et successoribus Petri, Pontificibus Romanis eamdem delatam esse in Ecclesia auctoritatem et potestatem in iis omnibus quae tum doctrinam tum mores respiciunt. Quod quidem plane sufficeret, ut omnes vel infensissimi Pontificiae auctoritatis hostes persuasum haberent adhuc et usque ad consummationem saeculi vicaria Christi potestate RR. Pontifices fungi et esse functuros. Attamen ut rem ipsam urgeamus, et quod dumtaxat ex graecis testibus comprobare coepimus, novis etiam confirmemus testimoniis, abs re minime fore arbitrati sumus, si modo tum testimonio SS. Conciliorum, SS. Patrum aliorumque, qui fuere apud graecos, scriptorum, tum etiam eorum, qui huic auctoritati adversati sunt, confessione rem illustremus. Minime quidem partes nostras hac in re esse censemus omnia referre, vel obiectiones adversariorum enodare; sed tantummodo aliquot exhibere opportuna testimonia, quantum limites pertractationis nostrae et temporis sinant; alioquin et volumen ingens, et opus longum esset aggrediendum.

Mox iam vidimus quo pacto et in vetustissimis monumentis Ecclesiae etiam aevi Apostolici supersint testimonia amplissima de suprema iurisdictione R. Pontificis; quae quidem testimonia sequentibus saeculis, succrescente monumentorum superstitum thesauro, plura et maiora quoque; habemus praesertim quum libertate e persecutionibus ethnicorum Ecclesiae parta, systema suae oeconomiae facilius potuit etiam in longinquis terris exerceri. Quod quidem non indicat iurisdictionis novae acquisitio-

nem, sed tantum iurisdictionis ab institutione Ecclesiae Capiti visibili a Christo attributae, facilius liberiusque exercitium. Hac enim in re tantum systematis Ecclesiae progressus, historia duce, declaratur; idemque maior adeo apparebit, progrediente facilitate communicationum inter dissitas orbis regiones, et pastoribus et fidelibus omnibus summum pastorem faciliori aperta adeundi via. In quo quidem illud etiam maximum providentiae consilium spectandum nobis proponitur, ut quibus artibus inimicus homo nititur ad animarum perniciem, iisdem quoque Deus in dies utatur ad propheticum illud mira ratione implendum: *Et erit unum ovile unusque pastor.*

Sed ad rem nostram ut absque mora accedamus, considera ut mox imperante Constantino magno Ecclesia a furore gentilitatis liberata est, splendor eius in universo orbe refulsit, et spectaculum certe mirandum iam tunc omnium oculos perculit, quando oecumenicum Concilium Nicaenum coactum est, et Imperator qui illorum tenuit thronum, quorum ferro tot Martyres Ecclesiae facti sunt, christianos episcopos summo honore et veneratione est prosecutus.

Cum vero Ecclesia in omni gloria et virtute sua tunc appareret; conveniens quidem erat, ut eiusdem Capitis et honor et auctoritas eluscereret; et ideo Sylvester Papa per legatos universo illi sanctissimo Episcoporum coetui praesidebat, et auctoritatem exercebat suam; quinimo ut Sedis illius, quae est « vertex, in quo omnes Ec» clesiae vertuntur, sustentantur et relevantur » (1), praerogativae maiori lumine paterent, quoniam ab eo tempore iurisdictio eius maiori libertate erat exercenda, unanimi consensione Patres professi sunt maiora ecclesiarum negotia absque R. Pontifice confici non posse; et cum tum ageretur de conciliis celebrandis et Episcopis iudicandis, haec refert Athanasius cum aliis Episcopis Aegy-

(1) In Epistola Episcoporum Aegypti, de qua superius diximus, pag. 22.

ptlis fuisse constituta: « Scimus in Nicaena magna Syno» do CCCXVIII Episcoporum ab omnibus esse unanimi» ter roboratum: non debere absque R. Pontificis senten» tia concilia celebrari, nec Episcopos damnari » (1).

Id vero ea de causa factum esse iuxta Athanasium credendum est quia, ut iidem aiunt ad Felicem Papam. « Ideo vos et decessores vestros Apostolicos Pontifices in » supremo loco (Deus) constituit et iussit, ut de omnibus » Ecclesiis curam haberetis, ut nobis feratis auxilium » (2).

Eamdem Nicaeni Concilii regulam ibidem commemorant: « A Patribus est definitum consonanter, ut si quis » Episcoporum aut comprovinciales aut iudices suspectos » habuerit, S. R. Sedem interpellet; cui ab ipso Domino li» gandi et solvendi potestas speciali est privilegio super » alias concessa. »

Nec iuvat heic meminisse, quae facta sunt in causa Athanasii; quippe omnes, qui ecclesiasticam historiam legerint, probe cognoscunt, ut sententia nuper tradita ad unguem respondeat praxi, quae iam tunc in universa obtinebat ecclesia.

Synodus Sardicensis, quae veluti appendix Nicaeni Concilii habenda est, eadem confirmat in epistola Synodica ad Iulium Pontificem: « Hoc optimum et valde con» gruentissimum videbitur, si ad Caput, idest ad Petri » Apostoli Sedem, de singulis quibusque provinciis do» mini referant sacerdotes etc. » (3).

Iam autem in canonibus III, IV et VII de appellationibus ad R. P. statuta lex fuerat; et inde confirmata suprema potestas iudicialis R. Pontificis. Quam non ex decretis Synodicis collatam, sed divinitus datam fuisse eadem Synodus apertissimis verbis pronunciat, et haec habet consideratione certe digna: « Verum est quod Paulus de se » locutus est — An experimentum quaeritis eius, qui in me

(1) Ibidem.
(2) Ibidem.
(3) Acta Conciliorum edit. Harduini tom. I. pag. 633.

» loquitur, Christus? — Quoniam utique in ipso Dominus » Christus habitavit, dubitari non possit Spiritum San- » ctum per animam eius et organum corporis personasse. » Et tu itaque dilectissime frater (dicunt Papae) corpore » separatus, mente concordi et voluntate adfuisti etc. » (1).

His enim verbis iam innuitur, quod alias proclamatum audiemus, R. Pontificem esse *organum* Spiritus Sancti; unde divina eius auctoritas tum in docenda tum in regenda Ecclesia prae se fert spectanda.

Quando iam tot turbae in ecclesiis orientalibus motae erant, ut remedium tot malis nullum haberetur; Basilius Magnus, qui teste Athanasio, eius locum in Ecclesia defendenda iam exceperat, ad eundem magnum Alexandrinum antistitem unicum proponebat consilium « (Ep. 3 ad Ath.) « Scribi Episcopo Romae, ut quae hic geruntur, conside- » ret, et sententiam suam ferat... et auctoritate sua mittat » legatos ad rescindendos actus Concilii Ariminensis (2). » Quid illustrius ad probandam iurisdictionem supremam Romani Pontificis, quam eius auctoritatem implorari a maximis Ecclesiarum orientalium Doctoribus ad reprobandam Synodum Ariminensem, cuius sententiae errore tot mala per Ecclesiam manabant?

Idemque Basilius in idem consilium accivit et antistitem Antiochenum Meletium, et suo et aliorum episcoporum nomine ad Pontificem legationem misit, et in celebri sua epistola ad Damasum multa ad rem opportuna retulit. Dicit tantis orientalium calamitatibus dumtaxat Rom. Pontificem posse mederi; meminit quae alii Pontifices et praesertim Dionysius fecerant pro ecclesiis orientalibus: cuius epistolas apud eas magna veneratione servari fatetur; etsi ipsum Damasum in Orientem venturum non

(1) Ibidem.

(2) Βασίλειος (ἐπιστ. νβ' πρὸς Ἀθανάσιον)... ἐπιστεῖλαι τῷ ἐπισκόπῳ Ῥώμης ἐπισκέψασθαι τὰ ἐνθαῦτα καὶ δοῦναι γνώμην... αὐτὸν αὐθεντῆσαι περὶ τὸ πρᾶγμα... ἐπὶ λύσιν τῶν ἐκεῖ (μετ' Ἀρίμινον) κατ' ἀνάγκην γενομένων κ.τ.λ.

foret sibi sperandum; saltem legatos mittere expostulat: « Qui vel concilient dissidentes, vel ad amicitiam eccle- » sias Dei reducant, vel saltem perturbationis auctores » clarius indicent; ita ut deinceps nobis manifestum sit » quibuscum communionem deceat habere » (1). En itaque iudicialis auctoritas Romani Pontificis apertissime per se vel per legatos a magno Basilio accersita. Quam quidem Pontifici iure divino competere idem S. Doctor affirmat in epistola 92 data ad Pontificem (2) qui cum aliis episcopis in Concilio Romano considebat (Coustant Epp. RR. PP.) « Revera est dignum maximae beatitatis praeconio illud, » quod vestrae Pietati a Domino gratia datum est; vide- » licet spurium a probato et puro diiudicare, fidem vero » Patrum absque ulla haesitatione praedicare; quam et » nos suscepimus... concordantes eidem et omnibus quae » in litteris synodalibus (a Pontifice missis) canonice et » legitime dogmate statuta sunt » (3).

Magno Basilio magnus accedit Chrysostomus, qui artibus aulicis et opera Theophili Alexandrini sede sua deturbatus ad Pontificem Innocentium confugit, eiusque supremam iurisdictionem et dictis et factis confirmavit. In epistola sua dicit se *necessarium* duxisse mittere legatos ad Pontificem « ut remedium quam citissime adhi- » beatur....: neque enim consentaneum erat Aegyptium

(1) Βασίλειος (ἐπιστ. οα' πρὸς Δάμασον πάπαν)... ἀποστεῖλαί τινας ἢ τοὺς συμβιβάζοντας τοὺς διεστῶτας, ἢ εἰς φιλίαν τὰς ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ ἐπαγαγόντας, ἢ τοὺς γοῦν αἰτίους τῆς ἀκαταστασίας φανερωτέρους ὑμῖν καθιστῶντας...

(2) Nescio an incuria vel fraude factum sit, ut in titulo Epistolae huius, servato nomine aliorum Episcoporum synodi Romanae, nomen Romani Pontificis in pluribus exemplaribus reticeatur.

(3) Βασίλειος (ἐπιστ. ϛ β'. πρὸς Δάμασον). — Τῷ ὄντι τοῦ ἀνωτάτου μακαρισμοῦ ἄξιον τὸ τῇ ὑμετέρᾳ θεοσεβείᾳ χαρισθὲν παρὰ τοῦ κυρίου· τὸ μὲν κίβδηλον ἀπὸ τοῦ δοκιμοῦ καὶ καθαροῦ διακρίνειν· τὴν δὲ τῶν πατέρων πίστιν ἄνευ τινὸς ὑποστολῆς κηρύσσειν, ἣν καὶ ὑμεῖς ἐδεξάμεθα καὶ ἐπέγνωμεν ἐκ τῶν ἀποστολικῶν χαρακτήρων μεμορφωμένην... συνθέμενοι καὶ αὐτῇ καὶ πᾶσι ἐν τῷ συνοδικῷ γράμματι κανονικῶς καὶ ἐνθέσμως διδογματισμένοις.

» (antistitem Alexandrinum) iudicem esse incolentium » Thraciam (episcopi Constantinopolitani).» Et proinde appellat ad Romanum Pontificem. « Quoniam vero ea quae » perperam fiunt non solum deploranda, sed et corrigenda » sunt; ideo rogo charitatem vestram, ut excitetur. Osten- » dite fortitudinem quae vos decet... Scribe, quaeso, ut » quae... gesta sunt, nullius sint roboris; eos vero qui » eiusmodi scelera ausi sunt perpetrare, ubi convicti fue- » rint, ecclesiasticae censurae subdi » (1).

En alter e praecipuis orientalis Ecclesiae Doctoribus, eandem auctoritatem praedicans, Cyrillus, qui testatur (Thesaur. lib. I, 21.) « Oportet nos ut membra inhaerere » capiti nostro Romano Pontifici et Sedi Apostolicae; a » quo partes nostrae sunt quaerere, quid credere et do- » cere debeamus et hoc tenere; quoniam illius tantum » proprium est reprehendere, corrigere, confirmare, sta- » tuere, solvere et ligare » (2). En confirmata plenissima auctoritas, quae *unius tantum* propria dicitur, non modo in dogmate tradendo, sed et in moribus instituendis atque regendis.

Idem S. Doctor haec facto comprobat: vix audita fama de Nestorii erroribus ad Romanum Pontificem refert; et fatetur ab illius prava dogmatizantis viri communione non subtrahi, nisi iudicium hoc fuerit Romani Pontificis.

(1) Ιω. Χρυσος. (ἐπιστολὴ πρὸς Ἰννοκέντιον) — Ἀναγκαῖον εἶναι ἐνομίσαμεν πρίσβεις ἀναδραμεῖν πρὸς τὴν ὑμετέραν Ἀγάπην καὶ πάντα σαφῶς ἀναδείξαντας ταχίστην παρασκευᾶσαι γενέσθαι τὴν διόρθωσιν... Οὐδὲ γὰρ ἀκόλουθόν ἐστιν τὸν ἐξ Αἰγύπτου τοὺς ἐν Θράκῃ δικάζειν... Ἐπειδὴ οὐ θρηνεῖν μόνον τὰ κακῶς γινόμενα, ἀλλὰ καὶ διορθοῦν δεῖ, παρακαλῶ τὴν ὑμετέραν Ἀγάπην διαναστῆναι, καὶ συναλγῆσαι, καὶ πάντα ποιῆσαι, ὥστε στῆναι ταύτῃ τὰ κακά... Ἐπιστεῖλαι παρακλήθητι τὰ μὲν οὕτως παρανόμως γεγενημένα... μηδεμίαν ἔχειν ἰσχύν,... τοὺς δὲ τοιαῦτα παρανομήσαντας ἐλεγχομένους τῷ ἐπιτιμίῳ ὑποβάλλεσθαι τῶν ἐκκλησιαστικῶν νόμων.

(2) Κύριλλος (Θησαυρ. Α'. κα'). Δεῖ ἡμᾶς ὡς μέλη ἐμμένειν τῇ κεφαλῇ ἡμῶν τῷ τῆς Ρώμης ἀρχιερεῖ καὶ τῷ Ἀποστολικῷ θρόνῳ ἀφ' οὗ ἡμέτερόν ἐστι ζητῆσαι τί πιστεύειν καὶ τί διδάξειν μέλλομεν καὶ κρατεῖν· ὅτι αὐτοῦ μόνου ἐστιν ἐλέγχειν, ἐπιδιορθοῦν, διατιθέναι, λύειν καὶ δεσμεῖν.

» Scribo necessario coactus... et non prius a communione » illius aperte et palam abstinemus, quam haec Pietati » tuae nota faceremus. Ne igitur dedigneris statuere quod » placuerit, et an communicandum cum illo sit, an vero » libere ei denunciandum neminem communicare cum eo. » Tuae porro Pietatis sententia per epistolas notificanda » est... episcopis omnibus orientalibus » (1).

Ubi vero sententiam Pontificis habuit, qui spatium aliquot dierum ad detestandum errorem Nestorio constituerat; haec scribit ipse cum suo clero Alexandrino ad clerum Constantinopolitanum: « Necessitate acti sumus, ut » (Nestorio) notum faceremus, nisi quamprimum, id est » intra praefinitum a Coelestino S. Rom. Ecclesiae Episcopo » dierum spatium a doctrinae suae novitatibus resipuerit, » nullum consortium, neque in posterum locum inter sa- » cerdotes Dei esse habiturum » (2). In sententia contra Nestorium Patres Concilii Ephesini aiunt: « Coacti per sacros » Canones et epistolam Coelestini Rom. Eccl. Episcopi... » ad hanc lugubrem sententiam necessario devenimus » (3).

Cum in eadem Synodo de Nestorio ageretur etiam de Ioanne Antiocheno, qui eius fautor dicebatur, verba facta sunt, et Iuvenalis patriarcha Hierosolymitanus ait: « Opor-

(1) Κύριλλος (ἐπιστολ. πρὸς Καιλεστῖνον Πάπαν). Γράφω ἀναγκαίως... οὐ πρότερον δὲ τῆς πρὸς αὐτὸν (Νεστόριον) κοινωνίας ἐκβάλλομεν ἑαυτοὺς μετὰ παῤῥησίας, πρὶν ἂν ταῦτα τῇ σῇ θεοσεβείᾳ ἀνακοινώσωμεθα. Διὸ δὴ καταξίωσον τυπῶσαι τὸ δοκοῦν, καὶ πότερόν ποτε χρὴ κοινωνεῖν αὐτῷ ἢ λοιπὸν ἀποπεῖν μετὰ παῤῥησίας... τὸν δὲ ἐπὶ τούτοις σκοπὸν τῆς σῆς θεοσεβείας χρὴ γινέσθαι διὰ γραμμάτων καταφανῆ τοῖς ἐπισκόποις ἅπασι τοῖς κατὰ τὴν ἀνατολήν.

(2) Κυρίλλος (ἐν Συνόδῳ Ἐφέσ.) — Ἀναγκαίως ἤλθομεν ἐπὶ τὸ χρῆναι διὰ συνοδικοῦ γράμματος αὐτῷ (Νεστορίῳ) διαμαρτύρασθαι, ὡς εἰ μὴ ἀπόσχοιτο τὴν ταχίστην τῶν ἑαυτοῦ καινοτομιῶν, καὶ κατὰ τὴν ὁρισθεῖσαν προθεσμίαν παρὰ τοῦ ὁσιωτάτου τῆς Ρώμης ἐπισκόπου Καιλεστίνου, οὐδένα κοινωνίαν ἔχειν τόπον πρὸς ἱερεῖς τοῦ θεοῦ.

(3) Συνόδου Ἔφεσ. ψῆφος κατὰ Νεστόρ. (apud Labb. t. III, 533)... ἀναγκαίως κατεπειχθέντες ἀπό τε τῶν Κανόνων καὶ ἐκ τῆς ἐπιστολῆς τοῦ ἁγιωτάτου... Καιλεστίνου τοῦ ἐπισκόπου τῆς Ρωμαίων ἐκκλησίας, δακρύσαντες πολλάκις ἐπὶ τὴν σκυθρωπὴν κατ' αὐτοῦ ἐχωρήσαμεν ἀπόφασιν.

» tebat Ioannem Antiochenum confestim accurrere et de » illis, quae ipsi obiiciuntur, se purgare ad Apostolicam » Sedem magnae Romae nobiscum considentem, apud quam » maxime mos est ex Apostolico ordine et traditione ut » ipsa Antiochena Ecclesia dirigatur et iudicetur » (1).

Ut adversus Nestorium steterat Cyrillus, sic adversus Eutychem strenue pugnavit fidei martyr Flavianus Constantinopolitanus antistes; sed et iste ad Leonem Papam confugit, ut R. Pontifex comprobaret acta, quae adversus Eutychem ipse S. antistes fecerat; et periculum Synodi inimicorum fidei, quam ii cogendam iam minabantur in Ecclesiae perturbationem, arceretur. « Quae super eo » (Eutyche) gesta sunt Sanctitati tuae misimus. » Et alibi: « Sanctissime Pater motus ab eis, quae ille (Eutyches) » praesumpserat, et contra Ecclesiam nostram facta sunt » atque fiunt, dignare per tua scripta definire adversus » eum damnationem. Causa enim eget tantum defensione » tua, qua debes consensu tuo ad tranquillitatem et pa- » cem cuncta perducere. Sic enim haeresis quae orta est, » et turbae, quae propter illam factae sunt, facillime » destruentur, cooperante Deo, per vestras epistolas. Re- » movebitur autem et Synodus, quae futura dicitur, ne » ubique turbentur Ecclesiae » (2).

(1) Ἰουβεναίλιος πατριάρχης Ἱεροσολύμων (ἐν συνόδῳ Ἐφέσ. apud Mansi IV, 1312.) Ἐχρῆν Ἰωάννην τὸν εὐλαβέστατον ἐπίσκοπον Ἀντιοχείας ἐνθυμούμενον... τὴν σύνοδον... εὐθέως εἰς ἀπολογίαν... δραμεῖν, καὶ τὸν ἀποστολικὸν θρόνον... συνεδρεύοντα ἡμῖν τῆς μεγάλης Ῥώμης.

(16) Φλαβιανὸς πατριάρχ. Κωνσταντ. (ἐπιστ. πρὸς Λέοντα Πάπαν)... τὴν ἐπ' αὐτῷ (Εὐτυχεῖ) γεγενημένην πρᾶξιν ἀπεστείλαμεν τῇ σῇ Ὁσιότητι. — Παροξυνθεὶς οὖν, ἁγιώτατε πάτερ, πᾶσι τοῖς αὐτῷ πεπραγμένοις καὶ πραττομένοις κατὰ τῆς ἡμετέρας ἐκκλησίας τὴν κατάκρισιν αὐτοῦ ὁρίσαι διὰ ἰδίων γραμμάτων καταξίωσον. Καὶ γὰρ τὸ πρᾶγμα τῆς ὑμετέρας μόνον προστασίας δεῖται ἥπερ ὀφείλετε διὰ τῆς ἰδίας συγκαταθέσεως εἰς γαλήνην καὶ εἰρήνην πάντα διάγειν. Οὕτω γὰρ καὶ ἡ αἵρεσις, ἡ ἐφύη, καὶ ταραχαὶ αἵτινες δι' ἐκεῖνον ἐγένοντο ῥᾷστα ἀναιρεθήσονται, τοῦ θεοῦ συνεπιλαβόντος, διὰ τῶν ὑμετέρων γραμμάτων. Ἀποκινηθήσεται δὲ καὶ ἡ σύνοδος, ἥτις ἔσεσθαι λέγεται, ἵνα μὴ πανταχοῦ αἱ ἐκκλησίαι ταράττωνται.

Quam vero timebat S. Flavianus, pseudosynodus Ephesi facta est; ubi opera impii Dioscori omnia susque deque sunt versa, et ipse sanctus Constantinopolitanus Patriarcha pro tuenda veritate gloriose occubuit. In hoc autem, ut appellant, latrocinali tumultu Theodoretus Episcopus Cyrensis damnatur et e sede sua pellitur. Is vero hac in re praeclarum profert testimonium de Romani Pontificis suprema iurisdictione in universa Ecclesia. Siquidem ad Romanum Pontificem ille orientalis magister appellat his verbis: « Si Paulus... ad Petrum se contulit, ut iis qui » Antiochiae de legali conversatione ambigebant, explana- » tionem ab ipso referret, multo magis nos humiles et » pusilli ad Apostolicam Sedem vestram accurrimus, ut » Ecclesiarum ulceribus a vobis remedium accipiamus. » Vobis enim primas in omnibus tenere convenit... At » ego Sedis Apostolicae expecto sententiam, et oro atque » obtestor Sanctitatem vestram, ut mihi rectum et iustum » tribunal vestrum invocanti opem ferat... » (1). Et alibi (Collect. Concil. tom. 2. p. 219): « Utatur Leo aposto- » lica potestate, et ad consessum vestrum me accurrere » iubeat. Habet enim sanctissima illa Sedes munus du- » cendi (ἡγεμονίαν) Ecclesias, quae in toto sunt orbe. »

Concilium vero Chalcedonense in hac ipsa causa (Sess. VIII) hoc pacto sententiam dedit: « Sanctissimus » Archiepiscopus Leo iudicavit... Theodoretus dignus est » sede sua (2). » En apertissima iurisdictionalis auctoritatis

(1) Θεοδώρητος (ἐπιστ. πρὸς Λέοντα Πάπαν) Εἰ Παῦλος ... πρὸς τὸν μέγαν ἤθραμε Πέτρον, ὥστε τοῖς ἐν Ἀντιοχείᾳ περὶ τῆς κατὰ νόμον πολιτείας ἀμφισβητοῦσι παρ' αὐτοῦ κομίσαι τὴν λύσιν; πολλῷ μᾶλλον ἡμεῖς, οἱ εὐτελεῖς καὶ μικροί, πρὸς τὸν Ἀποστολικὸν ὑμῶν τρέχομεν Θρόνον, ὥστε παρ' ὑμῶν λαβεῖν ἴασιν τοῖς τῶν ἐκκλησιῶν ἕλκεσι; διὰ πάντα γὰρ ὑμῖν τὸ πρωτεύειν ἁρμόττει... Ἐγὼ γὰρ τοῦ Ἀποστολικοῦ ὑμῶν Θρόνου περιμένω τὴν ψῆφον, καὶ ἱκετεύω καὶ ἀντιβολῶ τὴν σὴν ἁγιότητα ἐπαμῦναί μοι τὸ ὀρθὸν ὑμῶν καὶ δίκαιον ἐπικαλουμένῳ κριτήριον κ. τ. λ.

(2) Σύνοδ. Καλχηδ. (πραξ. η' apud Labb. IV, 621). Ὁ ὁσιώτατος ἀρχιεπίσκοπος Λέων ἐδικαίωσε... Θεοδώρητος ἄξιος τοῦ Θρόνου...

confessio. Quinimo adiungit idem Concilium (Sess. VIII pag. 622): « Post Deum Leo iudicavit (1).

Multis aliis praetermissis testimoniis de iis, quae ad Concilium Chalcedonense attinent, illud referemus, in quo Monachi plurimi Syriae ob eiusdem Concilii defensionem multa ab Eutychianis perpessi, cum a nemine sibi sperandum foret auxilium aut solamen, ad pontificem Hormisdam confugiunt, et in epistola auctoritatem illius aperte confirmant. « Quoniam vere Christus Deus noster Princi» pem pastorum et Doctorem et animarum medicum con» stituit vos; convenit passiones, quae nobis ferendae fue» runt, exponere et crudeles lupos qui dissipant gregem » Christi, indicare, ut auctoritatis virga eos e medio ovium » expellatis. Deprecamur... nam Caput estis omnium...: » ut vindicetis Fidem contemptam, Canones conculcatos, » Patres blasphematos, et Synodum (Chalcedonensem) » anathemate impetitam. Vobis a Deo data est potestas et » auctoritas ligandi et solvendi. Imitatores estote Petri » illius, cuius sedem ornatis. Vobis veris pastoribus et » magistris, quibus cura ovium commissa est, occurrit » grex cognoscens pastorem suum, et pastoris sui sequens » vocem... » (2).

(1) Ibidem Μετὰ τοῦ Θεοῦ Λέων ἐδικαίωσεν.

(2) Ἐπιστ. μονχχῶν τῆς δευτέρας Συρίας πρὸς Ὁρμίσδαν Πάπαν (ἐν Συνοδ. Καλχηδ. 576). Ἐπειδὴ ἀληθῶς Χριστὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν ἄρχοντα ποιμένων καὶ διδάσκαλον καὶ ἰατρὸν τῶν ψυχῶν κατέστησεν ὑμᾶς, ἄξιόν ἐστιν τὰς κακουχίας ἃς πεπόνθαμεν δηλῶσαι, καὶ δεῖξαι τοὺς ἀνοίκτους λύκους τοὺς τὴν ποίμνην τοῦ Χριστοῦ διασκορπίζοντας, ὅπως αὐτοὺς τῇ βακτηρίᾳ τῆς αὐθεντίας ἐκ μέσου τῶν προβάτων ἐξωθήσητε. Δεόμεθα οὖν, μακαριώτατε, ἱκετεύοντες καὶ ἀξιοῦντες, ἵνα ἀναστῇς μετὰ σπουδῆς... καὶ γὰρ ὑπάρχετε κεφαλὴ πάντων, καὶ ἐκδικήσητε τὴν πίστιν ὀλιγωρηθεῖσαν, τοὺς κανόνας καταπεπατημένους, τοὺς Πατέρας βλασφημηθέντας, καὶ τοιαύτην σύνοδον (τῆς Χαλκηδόνος) ἀναθεματισθεῖσαν. Ὑμῖν παρὰ Θεοῦ δίδοται αὐθεντία καὶ ἐξουσία τοῦ δεσμεῖν τε καὶ λύειν. Ἐξεγέρθητε, πατέρες ἅγιοι, ἐρχόμενοι σῶσαι ἡμᾶς· μιμήσασθε αὐτὸν τὸν Πέτρον τὸν ἄρχοντα τῶν Ἀποστόλων, οὗ τὸν Θρόνον κοσμεῖτε... Ὑμῖν δὲ τοῖς ἀληθινοῖς ποιμέσι καὶ διδασκάλοις τοῖς τὴν προστασίαν ὑπὲρ τῆς σωτηρίας τῶν προβάτων πεπιστευμένοις ἁπάντῃ

De eadem Chalcedonensi Synodo memoriam fecit Anastasius Sinaita iis verbis, quae auctoritatem Sedis Romanae in Synodis oppido declarant. « Acta igitur Chalcedone Sy» nodus est... tum maxime quod absque procuratione » Apostolicae Romanorum Sedis coacta fuerat latrocinalis » (Ephesi) Synodus; id quod fieri non licebat, neque fa» ctum est unquam » (1).

Ut etiam varii generis sint testimonia, audi Marcianum Imperatorem quo pacto ad Leonem pontificem scribat de cogenda Synodo, quae sub eius auctoritate tranquillitati Ecclesiae provideret. « In primis iustum esse iudica» vimus, ut Sanctitas tua quae episcopatum et principa» tum divinae fidei gerit, sacris epistolis prima loquatur; » ut omni errore depulso per Synodum cogendam, te au» ctoritatem tuam exercente, summa pax omnibus epi» scopis catholicae fidei sequatur (2). »

Pro eadem suprema auctoritate Romani Pontificis Iustinianus in suis legum collectionibus dedit testimonium amplissimum. In cap. *Reddentes*... ait ad Ioannem R. Pontificem (3): «Reddentes honorem Apostolicae Sedi et San» ctitati vestrae, ut decet Patrem . . . omnia quae ad Ec» clesiarum statum pertineant, festinavimus deferre ad » notitiam vestrae sanctitatis. Itaque omnes sacerdotes

αὐτὴ ἡ πολίμνη γινώσκουσα τὸν ἑαυτῆς ποιμένα, καὶ τῇ φωνῇ τοῦ οἰκείου ποιμένος ἀκολουθοῦσα.

(1) Ἀναστάσιος Σιναΐτης περὶ αἱρέσεων καὶ συνοδῶν (apud Pitra Iur. Eccl. Gr. II, p. 261). Ἡ οὖν σύνοδος Χαλκηδόνος συνεκροτήθη ... μάλιστα (χάριν τῆς) ἐκτὸς ἐπιτροπῆς τῆς Ἀποστολικῆς Ρωμαίων καθέδρας γενομένης τῆς (Ἐφέσου) ληστρικῆς συνόδου, ὅπερ οὔτε ἐξὸν γενέσθαι, οὔτε γέγονέ ποτε...

(2) Μαρκιανὸς βασιλεὺς πρὸς Λέοντα Πάπαν - Τὴν σὴν ἁγιωσύνην ἐπισκεύουσαν καὶ ἄρχουσαν τῆς θείας πίστεως, ἱεροῖς γράμμασιν ἐν πρώτοις δίκαιον ἡγησάμεθα προσπεῖν, ὥστε πάσης ἀσεβοῦς πλάνης ἀποκινηθείσης διὰ τῆς συγκροτησαμένης συνόδου, σοῦ αὐθεντοῦντος, μεγίστη εἰρήνη περὶ πάντας τοὺς ἐπισκόπους τῆς καθολικῆς πίστεως ὑπαρχθείη.

(3) Ἰουστινιανὸς αὐτοκράτωρ (ἐπιστ. πρὸς Ἰωάννην πάπαν) ἐν τῷ τίτ. Γ. περὶ τῆς ἁγ. τριάδος.

» universi orientis et subiicere et unire sedi Sanctitatis » vestrae properavimus... In praesenti ergo, quae hic » commota sunt, quamvis manifesta et indubitata sint, » et secundum Apostolicae Sedis vestrae doctrinam ab » omnibus Sacerdotibus custodita, necessarium duximus, » ut ad notitiam vestrae Sanctitatis perveniant. Nec enim » patimur quidquam quod ad Ecclesiarum statum perti- » net, quamvis manifestum ... ut non etiam Sanctitati ve- » strae innotescat, quae est caput omnium Ecclesiarum. » Animadvertat quisque heic necesse est, qua ratione Imperator ille, quem Orientales ut supremum legislatorem agnoscunt, hac lege dicat *omnes nemine excepto sacerdotes universi* orientis *subiectos esse debere* Romano Pontifici Capiti omnium Ecclesiarum.

Hi quidem ad thesim nostram probandam testes sufficerent, sed ne prorsus omnia quae passim in Ecclesiasticis monumentis, documenta occurrunt, silentio praetereamus, liceat nonnulla hinc inde deprompta vel innuere.

Patres Concilii Constantinopolitani ad Agapitum Pontificem confugiunt, ut haereticum Anthimum a sede patriarchali expellat; quorum deprecatio his verbis exprimitur. (1) « Adiuramus vestram Beatitudinem, licet audax » quid faciamus, per SS. et consubstantialem Trinitatem » et per principem Apostolorum Petrum, ne inulti relin- » quantur canones, qui ab illo (Anthimo) violantur, et » Ecclesia sibi tradita, quam contempsit; sed sequendo eos, » qui ante ipsam vestram Beatitudinem in vestro Aposto-

(1) Σύνοδος ΚΠ ὑπὸ Μηνᾶ πράξ. ά —'Ορκίζομεν τὴν ὑμῶν Μακαριώτητα, εἰ καὶ τολμηρόν τι ποιοῦμεν πρὸς τῆς ὁμοουσίου καὶ ἁγίας τριάδος, καὶ τοῦ Κορυφαίου τῶν 'Αποστόλων Πέτρου μὴ περιΐδεῖν τοὺς θείους κανόνας ὑπὸ τούτου ('Ανθίμου) καταπατουμένους, μηδὲ περιφρονουνένην παρ' αὐτοῦ τὴν παραδοθεῖσαν αὐτῷ ἐκκλησίαν, ἀλλ' ἐξακολουθοῦσαν ἐν ἅπασι τοῖς πρὸ αὐτῶν διαλάμψασι ἐν τῷ ἀποστολικῷ ὑμῶν θρόνῳ, πρᾶξαι ἐπ' αὐτῷ ἔτι καὶ νῦν κατὰ τῆς τῶν κανόνων αὐθεντίας νεανιευομένῳ, ἅπερ ὁ ἐν ἁγίοις Καλλιστῖνος προθεσμίαν, παρέχοντες αὐτῷ... ὥσπερ οὖν κἀκεῖνος Νεστορίῳ, ὡς ἐκτὸς ἐὰν μὴ ἀπαντήσας τὸν εἰρημένον λίβελλον τῇ ἀποστολικῇ ὑμῶν Καθέδρᾳ ἐπιδῷ...

» libo Throno claruerunt, et nunc adhuc adversus eum re-
» novare, quae S. Coelestinus fecit contra Nestorium, prae-
» scribentes ei definitos limites, ut ille Nestorio; intra quos
» nisi accurrens praedictum libellum Apostolicae Sedi
» vestrae porrexerit, etc. »

Cum iuxta deprecationem Episcoporum Agapitus ab episcopatu deposuisset Anthimum, in eius locum suffecit et consacravit S. Mennam presbyterum Constantinopolitanum. Is vero vir sanctissimus ita ad Synodum est allocutus (1) « Nos, ut vobis charissimi notum est, Apo-
» stolicam Sedem sequimur, ei obedimus, et comunicamus
» cum iis qui cum illa comunicant; et condemnatos ab
» illa condemnamus » Et alibi ait (2) « Sequentes in omni-
» bus Sedem Apostolicam quae ab ea statuta sunt prae-
» dicamus. »

De eadem auctoritate S. Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus ad Leonem Pontificem ait «Vos sequor
» Apostolicos Patres meos a Deo edoctos. . . . In vestris
» doctrinis et in vestra legislatione persistimus, in hac fide
» haud deficientes et sine macula » (3).

Nomine Sophronii sanctissimi patriarchae Hierosolymorum multa et pulcherrima proclamata sunt ab legato eius Stephano ep. Dorensi (4) » Quaerebamus aliquando

(1) Ibid. Ἡμεῖς, ὡς καὶ ἡ ὑμῶν ἐπίσταται ἀγάπη, τῷ Ἀποστολικῷ θρόνῳ ἐξακολουθοῦμεν τε, καὶ πειθόμεθα, καὶ τοὺς κοινωνικοὺς αὐτοῦ, κοινωνικοὺς ἔχομεν, καὶ τοὺς ὑπ' αὐτοῦ κατακριθέντας καὶ ἡμεῖς κατακρίνομεν.

(2) Collect. Concil. ed. Mansi tom. VIII, p. 407.

(3) Νικηφόρος Πατριάρχης ΚΠ, (ἐπιστολ. πρὸς Λέοντα πάπαν) apud Lab. VII, 1228. Τοῖς θεοδιδάκτοις καὶ ἀποστολικοῖς ὑμῖν πατράσιν ἕπομαι... ἵνα ταῖς ὑμετέραις διδασκαλίαις καὶ νομοθεσίαις στήκωμεν ἑδραῖοι, ἐν ταύτῃ τῇ πίστει ἀνελλειπεῖς καὶ ἀκέραιοι.

(4) Στέφανος ἐπ. Δόρων καὶ πρέσβυς τοῦ Πατριάρχου Ἱεροσολύμων ἐν συνόδῳ πρὸς Πάπαν (Labb. VI, p. 104)... Ποτὲ δὴ πτέρυγας ἐζητοῦμεν κατὰ τὸ θεῖον Δαβίδ, ἵνα πετασθῶμεν καὶ διαναγγέλλωμεν ταῦτα τῇ πασῶν ἀρχούσῃ καὶ ὑπερκειμένῃ Καθέδρᾳ, λέγω δὴ τῇ καθ' ὑμᾶς, κορυφαίᾳ καὶ ὑπερφερεῖ, πρὸς τοῦ σύμπαντος ἴασιν τραύματος· ἐπειδὴ τοῦτο πράττειν ἐξουσιαστικῶς ἄνωθεν καὶ ἐξ ἀρχῆς ἐξ Ἀποστολικῆς εἴωθεν Αὐθεντίας διότι πρὸ-

» alas sicut columbae, iuxta David, ut volaremus, et haec » nunciaremus Sedi illi, quae omnes regit et excellit, nempe » supremae vestrae auctoritati, ad sanationem cuiuscum- » que vulneris. Quoniam hoc potestative et ab initio fieri » ex Apostolica auctoritate consuevit. Nam apertissime » non solum claves regni caelorum, ut sibi concrederen- » tur, magnus coryphaeus Apostolorum Petrus dignus est » habitus, ut digne fidelibus aperiret, infidelibus vero iu- » ste clauderet; sed etiam primus iussus est *pascere oves* » totius catholicae ecclesiae ...» et alibi « ex praerogativa » iussus est *confirmare fratres* nutantes, utpote qui pro- » videntiae consilio super hos omnes potestatem et sa- » cerdotalem auctoritatem acceperit a Deo nostro incar- » nato. Quae cognoscens Sophronius patriarcha ... stu- » duit mittere humilitatem meam ad hanc Sedem ve- » stram ... » His verbis et iurisdictio illa divina et divina illius origo in B. Petro, ut ab initio evicimus, atque per eum ad successores eius derivata declaratur, ut modo il- lustrare contendimus (1).

Tarasius quoque Patriarcha Costantinopolitanus eandem rem confirmat in Synodo VII dicens Adriano Papae « ... Petro divino Apostolo cuius cathedram sortita est » Sanctitas vestra . . . iure igitur Sanctitas vestra ac

δήλως οὐ μόνον τὰς κλεῖς τῆς τῶν οὐρανῶν βασιλείας πιστευθῆναι μόνος παρὰ πάντας εἰς τὸ ἀνοίγειν ταῦτας τοῖς ἀπίστοῦσι... ὁ μίγας ἀληθῶς καὶ κορυφαῖος τῶν Ἀποστόλων ἠξίωται Πέτρος, ἀλλ' ὅτι καὶ ποιμαίνειν πρῶτος ἐπετράπη τὰ πρόβατα πάσης τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας.... Καὶ πάλιν κατ' ἐξαίρετον ὑποστηρίξειν σαλευομένους τοὺς ἀδελφούς, οἷα προνοητικῶς ἐπὶ πάντων αὐτῶν ἐξ αὐτοῦ τοῦ δι' ἡμᾶς σαρκωθέντος θεοῦ τὸ κῦρος κεκοσμημένος καὶ ἱερατικὴν αὐθεντίαν. ὅπερ εἰδὼς ὁ Σωφρόνιος πατριάρχης ... ἐσπούδασε τὴν ἐμὴν οὐδενίαν πρὸς Ἀποστολικὸν τοῦτονὶ καὶ μέγαν ἐξαποστεῖλαι θρόνον....

(1) De Oecumenica VI Synodo in II parte disquisitionis nostrae (pag. 25) diximus quae et heic ad rem facere viderentur. De damnatione vero Honorii Papae, quae in illius Concilii Actis pervulgatis modo legitur, inter alias confer *Laurentium Cozza – Historia polemica de Graecorum Schismate* – vol. IV. fol. Romae 1719.

» secundum Dei voluntatem hierarchicum gubernans or-» dinem, celebrem habet gloriam » (1).

Ut tot Sanctorum et celebrium testium seriem ad ea tempora concludamus, quibus opera Photii superbissimi viri res orientalis in malum usque ruere coepit, tantum nonnulla verba liceat referre Ignatii illius patriarchae sanctissimi, qui Photio strenue restitit, et martyr invictus a Photianis innumera pertulit atrocissima et fraudolenta.

Is oppugnatus a Photio, ab impio conciliabulo fraudibus appetitus et illud extremi sustinuit, ut a Legatis pontificiis, qui indigne ministerio suo fungebantur, locum invasori cedere cogeretur. Undique angustiis et aerumnis oppressus ad ipsum R. Pontificem sese vertit, ubi et iudicem iustum et patronum strenuum invenit. Cum ad illum appellaret haec habuit » (2). Intuere maiores tuos » Patriarchas Fabianum, Iulium, Innocentium, Leonem et » omnes qui pro veritate viriliter decertarunt, illosque » aemulare; et vindex pro nobis tam indigne passis ex-» surge » et postquam a Nicolao Pontifice in dignitatem et honorem pristinum fuerit restitutus, ad eundem ait (3).

(1) Ταράσιος πατριάρχ. ΚΠ πρὸς Ἀδριανὸν πάπαν... Πέτρου τοῦ θείου Ἀποστόλου, οὗ καὶ τὴν καθέδραν ἐκληρώσατο ἡ ὑμῶν ἁγιότης... Ἡ οὖν ἡ ὑμῶν ἀρχιερωσύνη ἐνθέσμως καὶ κατὰ θεοῦ βούλησιν πρυτανεύουσα τὴν ἱεραρχικὴν ὀγιστείαν διαβόητον ἔχει τὴν δόξαν.

(2) Ἰγνάτιος πατριάρχ ΚΠ. πρὸς Νικόλαον πάπαν — Ἐνθυμήθητι τοὺς πρὸ σοῦ πατριάρχας, λέγω δὴ Φαβιανόν, Ἰούλιον, Ἰννοκέντιον, Λέοντα καὶ ἅπαντας τοὺς ὑπὲρ τῆς ἀληθείας ἀνδρισαμένους· καὶ ζήλωσον τούτους, καὶ εἰς τὴν ἡμῶν τῶν ἀδικηθέντων τοσαῦτα ἐκδίκησιν ἀνάσθητι.

(3) Ἰγνάτιος πατριάρχ. — Ἔκπαλαι καὶ ἀνέκαθεν ἐν ταῖς ἀναφυσίσαις αἱρέσεσι καὶ παρανομίαις ἐκριζωταὶ τῶν πονηρῶν ζηζανίων γεγόνασι οἱ τοῦ Ἀποστολικοῦ θρόνου ὑμῶν διάδοχοι, καὶ νῦν ἡ σὴ Μακαριότης ἀξίως διατεθεῖσα τῆς διδομένης σοι Χριστόθεν ἐξουσίας, τοὺς τῆς ἀληθείας ἀντιπάλους κατέβαλε, καὶ τὸν διὰ τῆς θυρίδος εἰς τὴν αὐλὴν τῶν προβάτων λῃστρικῶς εἰσελθόντα, καὶ καταλαζονευσάμενον τοῦ θεοῦ τοσοῦτον ὥστε καὶ Σύνοδον ἀναπλάσαι κατὰ τῆς σῆς ἀνεπιλήπτου ἱεραρχίας, τῇ χειρουργίᾳ τῆς ἱεραρχικῆς σου καὶ τῆς ἀποστολικῆς ἐξουσίας τοῦ κοινοῦ τῆς ἐκκλησίας ἐξέτεμες σώματος, καὶ τοὺς ἠδικημένους ἡμᾶς ἐδικαίωσας καὶ τῇ καθ' ἡμᾶς ἐκκλησίᾳ δι' ὧν ἔγραψας, ἀποκατέστησας κ. τ. λ.

» Iam ab initio cum haereses et scelera pullularent, no-
» xias illas herbas et zizania Sedis Apostolicae vestrae
» Decessores extirparunt; et nunc Beatitudo tua digne
» tractans acceptam a Christo auctoritatem, fudit hostes
» veritatis, et eum, qui latronum more in ovile Christi
» per fenestram ascendebat, et in tantum sese adversus
» Deum attollebat, ut Synodum refingere auderet contra
» tuam incomprehensibilem hierarchicam potestatem, tu
» opera tua sacerdotali et Apostolica auctoritate a com-
» muni corpore Ecclesiae praecidisti, et nos ab illo per
» scelus oppressos innocentes declarasti, et nostrae Ec-
» clesiae restituisti. . . » Et post haec ad eandem decla-
randam iurisdictionem postulat a R. Pontifice, ut aliquid decernatur de iis, qui a Photio ordinati fuerunt, vel Photio olim adhaesissent.

Haec autem omnia luculenter confirmantur in Concilio oecumenico VIII Constantinopolim habito, cuius aliquot canones nobis latine servavit Anastasius Blbliothecarius (1). In Canone II legimus « *Obedite praepositis ve-*
» *stris et subiacete illis etc* Paulus magnus apostolus
» praecepit. Itaque B. Nicolaum Papam, tamquam orga-
» num Spiritus Sancti habentes nec non et sanctissimum
» Papam Adrianum eius Successorem, definimus atque
» sancimus etiam omnia, quae ab eis synodice per di-
» versa tempora exposita sunt et promulgata tam pro
» defensione et statu Constantinopolitanorum ecclesiae et
» summi eius Sacerdotis, Ignatii videlicet sanctissimi Pa-
» triarchae, quam etiam pro Photii neophyti et invasoris
» expulsione et condemnatione servari semper et custodiri
» cum expositis capitulis immutilata pariter et illaesa:
» et nullum episcoporum aut presbyterorum vel diacono-
» rum vel quempiam de catalogo clericorum evertere vel
» reprobare aliquid horum audere. Quisquis autem post

(1) Apud Card. *Pitra* « Iuris Eccl. Graec. Hist. et Monum. » tom. II, p. XXXVIII.

» hanc definitionem comprehensus fuerit spernens quic-
» quam capitulorum et decretorum, quae ab illis exposita
» sunt, si ... clericus a proprio decidat honore; monachus
» autem vel laicus cuiuscumque sit dignitatis segregetur,
» donec poenitens profiteatur se conservaturum praedicto-
» rum edictionem. »

Haud certe quasi penuriam testium sequentibus saeculis haberemus, hic finem facimus a testibus exquirendis, sed tantum, ne nimium haec elucubratiuncula nostra succrescat. Ex his enim, quae tantum hinc inde decerpsimus abunde declaratum est quid Graeca universa Ecclesia de suprema R. Pontificis iurisdictione sentiret; et quo pacto eidem Romano Pontifici omnes sese subiicere necessarium esse faterentur. Insuper manifestum est quod iis temporibus, quando Orientalis Ecclesia debito obsequio R. Pontificem prosequebatur, floruit doctrina, floruit sanctitate: quando vero praesertim post Photianum schisma semina indocilitatis erumpere, herbas superbae elationis ab omni subiectione alienae gliscere coeperunt, et diffusa malitia fructus suos dabat; tunc Orientalis Ecclesiae gloria paulatim imminui et quasi extingui coepit, et in miserum schisma converti. Fuerunt aliquando intervalla temporum, quando lux exoptata fulgere rursus visa est; sed statim omnia revertebantur ad tenebras. Fuerunt homines docti et sancti, qui inter illas nebulas ut stellae refulserunt: sed pristinum Orientalium Ecclesiarum decus, nonnullis exceptis regionibus et hominibus, post Ignatium et Photium hucusque non apparuit universale stabile atque firmum.

Aliqua ex his recentioribus graecis testibus vel innuere fortasse alicui opportunum esse videretur; nos vero ne limites saeculi IX praetergrediamur, et propositae studeamus brevitati, tum ab iis huiusmodi, tum a vetustioribus pluribus referendis graecorum de iurisdictione Rom. Pontificis testimoniis eo libentius abstinemus, quo res adeo manifesta se prodit continue apud eos esse proclamatam.

At vero cum apud plerosque eruditos viros ea sit opinio, quod Patriarchae Constantinopolitani, ut Ecclesiae suae privilegia augerent, omni studio conarentur ad R. Pontificis auctoritatem vel oppugnandam vel minuendam; hinc veluti adacti sumus nonnulla adiungere testimonia ex iisdem praecipue hominibus, qui ad hanc rem prae caeteris adnisos esse ex historia et scriptis eruditorum novimus.

Agmen ducat Anatolius (saeculi V) Patriarcha cuius opera et studio praecipue factum esse videtur, ut a Patribus Concilii Chalcedonensis canon ille disciplinaris conderetur, in quo commemorato alio canone Synodi Constantinopolitanae, agitur de ordine Patriarcharum; et post Rom. Episcopum locus Constantinopolitano datur (1).

Huic vero Canoni, utpote qui privilegia sedium Alexandrinae et Antiochenae laedebat, et Romanae Sedi adversus, nec non ecclesiasticae disciplinae contrarius habebatur, Legati Pontificii obstiterunt in ipsa Synodo; et illum postea improbavit Leo Pontifex et datis Epistolis ad Patriarcham Anatolium, ad Marcianum Imp. et Pulcheriam Augustam rescindi a regulis Ecclesiasticis decrevit. Quo ex facto et ex imperatoriis litteris nova accepit testimonia R. Pontificis iurisdictio. Sed nostra quod refert audiendae sunt excusationes Patriarchae Anatolii ad Leonem (Ep. 101, et 132) qui primo fatetur se velle dicti privilegii confirmationem a Rom. Pontifice obtinere, et auctoritatem eius praedicat (2).

(1) Laurentius Cozza, de quo modo diximus, haud immerito hinc veluti a prima mali labe narrationem suam exorditur in *Historia polemica de Graecorum Schismate.*

(2) Ἀνατόλιος πατριάρχ. ΚΠ. ἐπιστ. πρὸς Λέοντα. (inter Epp. S. Leonis 101, apud Migne Patrol. Lat. t. LIV. p. 982)... Πρὸς τοιαύτην πρᾶξιν ὁρμήσαμεν θαῤῥοῦντες εἰκότως τῇ ὑμετέρᾳ μακαριότητι, ὡς οἰκειώσεται τὴν τιμὴν τοῦ Κωνσταντινουπόλεως θρόνου... καὶ γὰρ ἀμφιβολίας οὐκ οὔσης, ὡς ἥδεται πάντως ἡ ὑμετέρα μακαριότης ... ἁγίων πατέρων διατυπούντων τὸν Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπον ἔχειν τὴν τιμὴν καὶ τὰ πρεσβεῖα μετὰ τὸν Ρώμης ἁγιώτατον θρόνον... pag. 983 τιμῇ τῇ περὶ ὑμᾶς καὶ τὸν τοιοῦτον τόπον ἐπὶ τὴν ὑμετέραν, ὁσιότητα ἡ ἁγία σύνοδος ἀνήνεγκεν καὶ ἡμεῖς·

Haec rem aggressi sumus confidentes merito vestrae
[illegible] fore, ut proprium reputet sedis Constantino-
[illegible] honorem. Cum nulli dubium sit quin gaudeat
[illegible] vestra Beatitudo Sanctis Patribus statuentibus,
[illegible]tantinopolitanus Episcopus habeat honorem et
[illegible] locum post Romanam Sedem. »

[illegible] fatetur huius privilegii auctorem Constantino-
[illegible]clesiae fore R. Pontificem. « Ob reverentiam
[illegible]sequimur et hoc decretum ad Sanctitatem
[illegible]a Synodus detulit et nos detulimus; ut
[illegible] a vobis et confirmationem obtineret; et
[illegible]oc a vobis fieri sanctissimi ... Sedes
[illegible]a habet patrem Thronum Apostoli-
[illegible]ipuo atque excellenti modo se ipsam

[illegible]titi privilegii confirmationem Leo
[illegible]iescit et fatetur illius supremam
[illegible]uisse necessariam « ut sic ge-
[illegible]firmatio auctoritati vestrae
»

[illegible] haereticum Patriarcham
[illegible] ab Apostolica Sede sententia de-
[illegible]batur, homo callidus, ut periculum arce-
[illegible]nosque sibi conciliaret « fallacibus rationibus usus
» promisit se omnia esse facturum, quaecumque summus
» Pontifex magnae Sedis Apostolicae decerneret; et ad san-
» ctissimos Patriarchas scripsit se sequi per omnia Aposto-
» licam Sedem » (1). Haec sufficiant; nam ad hunc virum

ἐφ' ᾧ τε παρ' ὑμῶν τυχεῖν συναινέσεως καὶ βεβαιότητος· παρακαλοῦμεν καὶ τοῦτο παρ' ὑμῶν γενέσθαι, ἁγιώτατοι. Ὁ γὰρ θρόνος Κωνσταντινουπόλεως ἔχει πατέρα τὸν Ἀποστολικὸν θρόνον ὑμῶν κατεξαίρετον ἑαυτὸν συνάψας ὑμῖν. Epistolam alteram Anatolii (inter Epp. Leonis 132) tantum latine habemus.

(1) Ἐν σονόδῳ ΚΠ. ὑπὸ Μηνᾶ. — Λόγοις ἀπατηλοῖς κεχρημένος ἐπηγγέλλετο πάντα ποιήσειν ὅσα ὁ τῆς μεγάλης Ἀποστολικῆς Καθέδρας ἱερεὺς ὑφήγησατο, καὶ πρὸς τοὺς ἁγιωτάτους Πατριάρχας ἔγραφεν ἀκολουθεῖν διὰ πάντων τῇ Ἀποστολικῇ Καθέδρᾳ....

paulo post nostra redibit oratio; sed ex his quamquam ex fraude ab Anthimo dictis, tamen manifeste apparet quae fuerit non modo Constantinopoli, sed apud omnes orientales Patriarchas opinio firmissima de iurisdictione Romani Pontificis.

Vel meminisse iuvat quae Io. Antiochenus Patriarcha suggerit Nestorio, ut sententiam peremptoriam R. Pontificis evaderet, qui retractactionis dies decem ei constituerat, alioquin e gradu suo decideret. Patriarchae Constantinopolitano Patriarcha Antiochenus ait in primis Pontificem R. intervallum, etsi angustum dedisset, tamen potuisse nec illud concedere (1): « Licet terminum valde an» gustum decem tantum dierum litteris suis interposuerit » Dominus meus Caelestinus; tamen res eiusmodi est, ut » non dico decem diebus, imo vero paucis horis confici » posse videtur . . . » Atque adiungit « Hoc nostrum » quaeso consilium admitte . . . Rogo te, ut obedienti ani» mo litterarum (Caelestini) turbinis instar ruentium » impetum sistas; quae, si obstinati restiterimus, mole» stiam afferent; sin autem obtemperaverimus, neque tur» bare neque confundere poterunt. » Vide et in his consiliis, etsi pravo animo datis, quae fuerit apud eos et omnes Episcopos de iurisdictione R. Pontificis opinio.

Inter adversos predictae iurisdictioni quidam collocant Io. Ieiunatorem, cuius tamen sanctitatem (2) R. Ecclesia annuente, Graeci catholici recolunt. At vero ab ipso Grego-

(1) Ἰωάννης πατριάρχ. Ἀντιοχείας ἐπιστ. πρὸς Νεστόριον — Εἰ καὶ προθεσμίαν στενωνάτην τοῖς γράμμασι ἐνέθηκεν. ὁ κύριός μου Καιλεστῖνος ὁ ἐπίσκοπος δέκα μόναις ἡμέραις ... περιορίσας τὴν ἀπόκρισιν· ἀλλ' ἔξεστιν ἔργον αὐτὸ ποιῆσαι καὶ ἡμέρας μόνης μιᾶς, τάχα δὲ καὶ ὡρῶν ὀλιγων... Ταῦτα παρ' ἡμῶν συμβουλεύθητι, παρακαλῶ..... Εὔχομαί σε φρονήματι εὐπειθεῖ χρησάμενον στῆσαι τῶν γραμμάτων τούτων καθάπερ λαίλαπος σφοδροτέραν φορὰν ἱκανήν· εἰ μὲν εἴξαιμεν, μὴ θολῶσαι μὴ δὲ ταράξαι, εἰ δὲ εἰσταίημεν λυπῆσαι.

(2) Hac de re nos aliqua adnotavimus *SS. Bibl. vetust. fragment.* pag. 326. Confer et *Blanchinium - Evang. Quadr.* I. fol. 537 et *Marcelli Calendarium Constantinop.* ad diem II Septembris.

rio Magno (Epp. lib. III) relatum testimonium eius habemus pro eadem suprema auctoritate, quando presbyteros Isauriae a Sede sua Constantinopolitana iudicatos ad supremum iudicium Romanum Pontificis dimisit.

Huiusmodi autem testis postremus sed celeberrimus sit Photius, qui doctrinam superbia aequavit, superbiam vero fraudibus pessimisque artibus tueri conatus est. Is quidem omnem movere lapidem adversus anctoritatem Romani Pontificis non omisit quando sibi adversari iudicabat; cum vero eam sibi necessariam ad ambitionis suae fines assequendos noverit, magnis extulit laudibus. Quinimo versutus et callidus homo saepe saepius ab ea actus suos confirmari simulavit, legatos Pontificios minis et muneribus corrupit, litteras Pontificias vel ipse fabricavit; vel authentica exemplaria interpolata vel mutilata marte suo coram episcopos protulit. Harum rerum testimonia vel multa proferri possent, sed quisque eruditus ex historia cognovit, ut Acta Synodorum quae verae et falsae in ea longa acerbissimaque causa celebratae sunt, eadem manifestent, et ipsius Photii opera quae supersunt documenta suppeditent.

Qua in re illud praecipue nostra refert, ut concludamus quod ex testimonio quoque eorum, qui Romanae Ecclesiae oppugnatores habentur, Romani Pontificis suprema et universalis iurisdictio tuetur et confirmatur.

IV.

SUPREMAM DISCIPLINAREM AUCTORITATEM IN ECCLESIA ORIENTALI ROMANUS PONTIFEX EXERCUIT.

Vel ab initio huius disquisitionis nostrae testimonia plura retulimus, quibus non modo fides facta est summam auctoritatis ecclesiasticae ab Rom. Pontifice obtineri, sed et ab eodem ubique exerceri; ideoque rursus nos de hoc vulgatissimo potestatis exercitio instituere sermonem minus certe necessarium videretur. At vero cum tot tantaeque sint huius potestatis gestorum memoriae et documenta, quae litteris consignata adhuc supersunt, haud omnino supervacaneum esse arbitramur, si ut elucubratiuncula haec nostram minus imperfecta appareat, quantum vires nostrae patiuntur, aliqua ex his historicis monumentis haurire vel delibare curemus. In primis illud nos movit, quod per verba testium aperte quidem ostenditur Rom. Pontifex suprema pollere auctoritate; sed per res gestas eiusdem potestatis exercitium liberum atque plenum extra omnem controversiae aleam collocatur; cum vero de rebus gravissimis agatur, scilicet de Ecclesiae systemate atque moribus, res gestae praebent iurisdictionis supremae ineluctabile argumentum.

Heic rursus vix meminerimus eorum, quae a Clemente I Papa gesta sunt, teste Irenaeo (1), ad turbas Corinthorum sedandas; neque ea referemus quae idem (2) de quibusdam Orientalium disciplinaribus negotiis apud R. Pontifices agitatis habet, nec ea quae de S. Polycarpo commemorat. Praeterimus, quae teste Basilio M. (3) prae-

(1) Adv. haeres. III, cf. pag. 21.

(2) *Epistola ad Victorem Papam* - apud Migne Patrol. Gr. t. V. pag. 1484.

(3) Epist. ad Damasum.

stitit Dionysius Pontifex Ecclesiis Cappadociae, vel quo pacto episcopi Pentapolitani (1) ad eumdem Pontificem iudicium de epistola Dionysii Alexandrini antistitis detulerunt: illud vero referre iuvat quod narrat Basilius (2) de Eusthatio Sebasteno episcopo: « qui in Synodo ob haeresim depositus viam sibi restitutionis excogitavit ad » vos (R. Pontificem) confugiens; quae vero fuerint illi a » B. episcopo Liberio proposita, quaeve ei concesserit, » ignoramus, nisi quod epistolam, quae eum restituebat » attulit. Quam Synodo, quae apud Thyanam erat, commostrans in Sede sua restitutus est. » Animadverte quomodo non modo Basilius dictis, sed et Thyanensis Synodus epistolae pontificiae auctoritatem facto declaret.

Iam vidimus qua ratione ipse Ecclesiae Doctor (3) una cum aliis praecipuis episcopis Orientalibus petiisset, ut Damasus auctoritate sua Ariminensis Concilii acta proscriberet atque irritaret. Quae procul dubio R. Pontificis auctoritatem supremam duplici facto commonstrant, tum quod Orientales antistites in re gravissima iudicium Romani Pontificis expostulant, tum etiam quod expostulant ab eo irritari acta episcoporum, qui una fuerant in concilio congregati; quod supremum iurisdictionis ecclesiasticae culmen est, cum supra concilium quoque auctoritatem pontificiam proclament, et ad eam appellent.

Historici quoque graecorum narrant huiusm odi iuris dictionis exercitium, quorum e libris aliqua commemorare constituimus. Socrates Iulii Papae sententiam de pluribus episcopis orientalibus hoc pacto retulit (4): « Paulus

(1) S. Athanasius « de sententia Dionysii. »

(2) Βασίλειος ὁ μέγας — Ἐπιστολὴ σξγ' — Εὐσταθίος... ὁδὸν ἑαυτῷ τῆς ἀποκαταστάσεως ἐπινόησε τὴν εἰς ὑμᾶς ἄφιξιν. Καί τινα μέν ἐστιν ἃ προετάθη αὐτῷ παρὰ τοῦ μακαριωτάτου ἐπισκόπου Λιβερίου, τίνα δὲ ἃ αὐτὸς συνίθετο, ἀγνοοῦμεν, πλὴν ὅτι ἐπιστολὴν ἐκόμισεν ἀποκαθιστῶσαν αὐτόν· ἣν ὑποδείξας τῇ κατὰ Τύανα συνόδῳ, ἀποκατέσθη τῷ τόπῳ.

(3) Confer pag. 36.

(4) Hist. Eccl. l. II, 15. (Σωκράτου ἱστορ. ἐκκλ. Β'. κεφ. ιε') — Παῦλος ὁ τῆς Κωνσταντίνου πόλεως, καὶ Ἀσκληπᾶς Γάζης, καὶ Μάρκελλος Ἀγκύ-

» ep. Constantinopolitanus, Asclepas Gazae, Marcellus » Ancyrae et Lucius Adrianopolis, alii ob aliam causam » accusati et ab ecclesiis suis pulsi Romae in urbe do- » minante conveniunt. Quae habebant singuli exponunt » episcopo Romae; is vero iuxta praecipuam iurisdictio- » nem, quam habet ecclesia quae Romae est, litteris suis » liberrime scriptis eos munivit, et in Orientem misit, » cuique proprium restituens locum; graviter vero re- » prehendens, qui illos deposuerant. Illi Roma proficiscen- » tes et decretis Iulii confisi suas repetunt ecclesias. »

Fere eadem, quinimo maiora, habet Sozomenus de eodem Pontifice (1): « Romanus episcopus ... quoniam » Sedis suae privilegio ad se pertinebat curam et iudicium » (episcoporum) omnium; cuique sedem suam restituit. » Praeterea iussit, ut ex iis quidam *(qui episcopos depo-* » *suerant)* indicta die Romae adessent, ut probarent, quo » pacto iusta foret sententia in condemnatos lata; si vero » a rebus novandis non destitissent, ecclesiasticam con- » demnationem subituros est comminatus. Haec Iulius » scripsit; qui vero erant cum Athanasio et Paulo, quis- » que sedem suam recepit; et Iulii epistolas illos ad epi- » scopos orientales miserunt. »

ρας, καὶ Λούκιος Ἀδριανουπόλεως, ἄλλος δι' ἄλλο κατηγορηθέντες καὶ τῶν ἐκκλησιῶν ἐξηλαθέντες ἐν τῇ βασιλευούσῃ Ρώμῃ εὑρίσκονται. Γνωρίζουσιν οὖν τῷ ἐπισκόπῳ Ἰουλίῳ τὰ καθ' ἑαυτούς· ὁ δὲ ἅτε προνόμια τῆς ἐν Ρώμῃ ἐκκλησίας ἐχούσης, παῤῥησιαστικοῖς γράμμασιν ὠχύρωσεν αὐτοὺς, καὶ ἐπὶ ἀνατολὴν ἀποστέλλει, τὸν οἰκεῖον ἑκάστῳ τόπον ἀποδιδοὺς καὶ καθαπτόμενος τῶν προπετῶς καθελόντων αὐτούς. Οἱ δὲ ἀναζεύξαντες ἐκ τῆς Ρώμης, καὶ τοῖς τύποις τοῦ ἐπισκόπου Ἰουλίου θαῤῥοῦντες τάς τε αὐτῶν ἐκκλησίας καταλαμβάνουσι.

(1) Hist. Eccl. l. III. c. 8. (Σωζόμενος ἱστ. Γ'. η'.) — Ὁ Ρωμαίων ἐπίσκοπος.... οἷα τῆς πάντων κηδεμονίας αὐτῷ προσηκούσης διὰ τὴν ἀξίαν τοῦ θρόνου, ἑκάστῳ τὴν ἰδίαν ἐκκλησίαν ἀπέδωκε ... ὀλίγους δὲ ἐκ πάντων (ἐπισκόπων) εἰς ῥητὴν ἡμέραν παρεῖναι ἐκέλευσε διελέγξοντας δικαίαν ἐπ' αὐτοῖς ἐνηνοχέναι τὴν ψῆφον· ἢ τοῦ λοιποῦ οὐκ ἀνέξεσθαι ἠπείλησεν, εἰ μὴ παύσοιντο νεωτερίζοντες. Καὶ ὁ μὲν τάδε ἔγραψε, οἱ δὲ ἀμφὶ τὸν Ἀθανάσιον καὶ Παῦλον, ἕκαστος τὸν ἑαυτοῦ κατείληφε θρόνον, καὶ τὰς Ἰουλίου ἐπιστολὰς διεπέμψαντο τοῖς ἀνὰ τὴν ἕω ἐπισκόπους.

De iudicio suo apud Romanum Pontificem sic loquitur Athanasius (1). « Neque amplius res nostrae iudicio » egent; iudicatae enim sunt pluries: primo in nostra » provincia cum circiter centum congregati essent epi- » scopi; postea vero Romae accusante Eusebio et illis et » vobis advocatis. » Habes igitur aperte declaratum non illi opus esse alio iudicio, qui semel a Romano Pontifice fuerit iudicatus.

Eadem et ipse Photius (2) de Athanasio narrat, et postquam de legatione Eusebii Caesariensis ad Pontificem ut Athanasius ab eo damnaretur dixisset, haec habet: «Iu- » lius vero ex acceptis epistolis non damnandum, sed » defendendum potius Athanasium cognoscens, iniuria » affectum suis litteris munivit et Alexandriam misit; » in quibus haud parum reprehendebantur, qui eum de- » posuerant. »

Sozomenus iterum (3) postquam retulisset sententiam Iulii Pontificis qui iudicium synodi Antiochenae adversus Athanasium irritaverat sic concludit: « legem esse » hieraticam, ut pro irritis habeantur quae praeter sen- » tentiam Episcopi Romani geruntur. »

Quae fere eadem apud Socratem habentur, quando narrat nullius roboris fuisse acta concilii Antiocheni, quia deerat Romani Pontificis auctoritas « Neque aderat Iulius » maximae Romae episcopus ... dum sacra lege praescri-

(1) Apolog. II. (Ἀθανάσιος — Ἀπολογία Β΄) — Οὐκ ἔτι γὰρ δεῖται κρίσεως τὰ καθ' ἡμᾶς· κέκριται γάρ... πολλάκις· πρῶτον μὲν ἐν τῇ ἡμετέρᾳ χώρᾳ συναγομένη ὑπὸ ἐπισκόπων ἐγγὺς ἑκατὸν· δεύτερον δὲ ἐν τῇ Ρώμῃ γρᾴψαντος Εὐσεβίου καὶ κληθέντων αὐτῶν τε καὶ ὑμῶν.

(2) Photius in Biblioth. (Φωτίου Μυριοβιβλίον)... ὁ δὲ (Ἰούλιος) ἐξ ὧν ἐκεῖνος ἔγραφεν, οὐ κατάκρισιν, ἀθῴωσιν δὲ μᾶλλον Ἀθανασίου συνορῶν, γράμμασιν τὸν ἠδικημένον ἐπιῤῥώσας εἰς Ἀλεξάνδρειαν ἀπεστέλλετ' ἐν οἷς καὶ τοὺς αὐτὸν καθελόντας οὐ μικρὰ μέμψις μετῆρχετο.

(3) Hist. Eccl. III, 10. (Σωζόμενος ἱστορ. ἐκκλ. Γ. ί) — εἶναι γὰρ νόμον ἱερατικόν, ἄκυρα ἀποφαίνειν τὰ παρὰ γνώμην πραττόμενα τοῦ Ρωμαίων ἐπισκόπου.

» ptum sit non deberi praeter sententiam Romani Epi-
» scopi dare legem ecclesiis » (1).

Haud abs re nobis videtur canones commemorare Synodi Sardicensis in quibus praeter alia de appellatione ad Pontificem R. statutum est (2): « Si quis episcopus » ab aliis fuerit depositus et ad R. Pontificem appellave- » rit, nullum alium in eius locum sufficiant ante sen- » tentiam Pontificis R. qui rem definire debet. » Quando de his probandis canonibus in synodo res pertractata est, episcopi responderunt: « Quae dicta sunt placent. »

Socrates refert (3) quo pacto causa Lucii invasoris Alexandrinae ecclesiae et Petri ab eo expulsi apud Romanam Sedem acta fuerit. « Petrus cum litteris Damasi epi- » scopi Roma reversus; quae quidem epistolae fidem » ὁμοουσίου confirmabant et Petri restitutionem. Populus il- » lis confisus Lucium expellit et Petrum introducit. »

Quanta iniuste Petrus antistes pertulerit, et iudicium, quod de innocentia et restitutione eius fecit Romana Sedes, narrat quoque S. Gregorius Nazianzenus (4) « Cui Sedi » fugitivus antistes veluti triumphum agens signa imma- » nitatis exhibuit; pro cadaveribus vestes cruentas pro- » tulit Romanae Ecclesiae; ac per tacitam accusationem

(1) Σωκράτης. Ἱστορ. Ἐκκλ. βίβλ. Β'. κεφ. ζ'. ... οὐδὲ παρὴν Ἰούλιος ὁ τῆς μεγίστης Ῥώμης ἐπίσκοπος... κανόνος ἐκκλησιαστικοῦ κελεύοντος μὴ δεῖν παρὰ τὴν γνώμην Ἐπισκόπου Ῥώμης τὰς ἐκκλησίας κανονίζειν. Eadem habet κεφ. ιζ'.

(2) Σύνοδος Σαρδι (apud *Pitra* - Iuris Eccl. Graec. tom. I. p. 471).

(3) Hist. Eccl. III, 37. (Σωκράτου ἱστ. ἐκκλ. Γ'. λζ') — ... Πέτρου τε ἐπανελθόντος ἀπὸ τῆς Ῥώμης μετὰ γραμμάτων Δαμάσου τοῦ Ῥώμης ἐπισκόπου βεβαιούντων τὴν τοῦ ὁμοουσίου πίστιν καὶ τὴν τοῦ Πέτρου κατάστασιν. Ἀναθαρρήσας οὖν ὁ λαός, τὸν μὲν Λούκιον ἐξελαύνουσιν, ἀντεισάγουσι δὲ τὸν Πέτρον.

(4) Gregorius Nazianz. hom. 23. (Γρηγόριος ὁ θεολόγος ὁμιλ. κγ') — ... ᾧ τῷ θρόνῳ τὰ σύμβολα τῆς ἀπονοίας ὁ φυγὰς ἱερεὺς ἐθριάμβευσε. προὔθηκε τῇ ἐκκλησίᾳ Ῥωμαίων ἀντὶ νεκρῶν τὴν ᾑμαγμένην ἐσθῆτα· καὶ κινεῖ πάνδημα δάκρυα διὰ τῆς σιωπώσης κατηγορίας, ἵνα καὶ παραστήσῃ τὸ πάθος καὶ τῶν δεινῶν ἐπίκουρον λάβῃ, ὥσπερ οὖν καὶ ἠλφότα ἴγνυμεν.

» movit lacrymas omnium, ita ut commiserationem ex-
» citaret, et aerumnarum susciperet levamen; quemad-
» modum etiam nactum esse scimus. »

In causa de depositione antistitis Antiocheni Theodoretus narrat Sedem Romanam fecisse iudicium; ideoque cum res iudicata fuisset, proponi amplius non deberi. Qua in re ipse refert (1) haec verba Damasi: « Quid ergo » Timothei depositionem a me requiritis, qui iudicio Se-
» dis Apostolicae, praesente quoque Petro Alexandrino
» damnatus est una cum Apollinare magistro suo? »

Ex historia quoque docemur haereticos viros ad Romani Pontificis tribunal saepe confugisse, ut vel in longum causam suam protraherent, vel se catholicos simularent, vel meliori mente ducti veniam peterent, absolutionemque obtinerent. Unum tantum exemplum referemus ex testimonio S. Epiphanii (2): « Ursacius et Valens poe-
» nitentiam agentes una cum libellis profecti sunt ad
» B. Iulium Rom. episcopum pro ratione reddenda de suo
» errore et delicto. » Adhuc etiam superest supplex libellus (3), quem ii Pontifici coram obtulerunt.

Mittimus alia multa atque insignia historica monumenta, ut statim nobis gradus sit ad celebrem Chrysostomi causam, quam, etsi vulgatissimam, iuvat heic vel innuere. Chrysostomus, ut paulo ante diximus, saevientibus in eum aulicis viris, opera Theophili Alexandrini e sede sua pulsus est; sed statim ipse ad R. Pontificem confugit. Innocentius I Papa cum certior factus esset in exilium inique actum fuisse Chrysostomum, litteras au-

(1) **Hist. Eccl. l. V. 9.** *Θεοδωρήτου ἱστ. ἐκκλ. Ε'. ί — Τί τοίνυν πάλιν παρ' ἐμοῦ ζητεῖτε τὴν καθαίρεσιν Τιμοθέου· ὃς καὶ ἐνταῦθα κρίσει τῆς ἀποστολικῆς καθέδρας, παρόντος καὶ Πέτρου ἐπισκόπου τῆς Ἀλεξανδρέων πόλεως, καθηρέθη ἅμα τῷ διδασκάλῳ αὐτοῦ Ἀπολιναρίου; κ. τ. λ.*

(2) **Haeres. LXVIII.** *(Ἐπιφάνιος αἱρεσ. ξή) Οὐρσάκιος καὶ Οὐάλης μετὰ λιβέλλων προσελθόντες τῷ μακαρίτῃ Ἰουλίῳ ἐπισκόπῳ Ῥώμης ὑπεραπολογούμενοι τοῦ ἑαυτῶν σφάλματος....*

(3) **Apud Harduin. Coll. Concil. I. 601.**

ctoritatis plenas dedit Augustis Arcadio et Eudoxiae, quibus eos et facinoris auctores et fautores excommunicationis poena perculit ; ut refert Nicephorus historicus. Apud eum (1) legimus haec R. P. verba ad Imperatorem : « Vox « sanguinis fratris mei Ioannis clamat ad Deum contra » te, o Imperator, ut olim iusti Abel contra fratricidam » Cain... Ideo ego peccator et minimus, utpote cui sedes » magni apostoli Petri commissa est, interdico tibi et » illi *(Eudoxiae)* participationem SS. mysteriorum Chri- » sti.... Praeterea qualemcumque episcopum et clericum... » qui visus fuerit communicare vobiscum ex quo tempore » hanc sententiam legeritis, deponi iubeo... Arsacium vero, » quem vos in sede episcopali pro Ioanne posuistis, post » mortem etiam damnamus cum omnibus iis, qui cum » eo communionem habent, neque eius nomen in dipty- » chis scribatur.... etc. »

A quo sententiae vinculo ut sese liberaret Imperator, haud omisit supplices porrigere preces Pontifici, ut ait Glycas in historia sua (2), qui inter alia haec refert obsecrantis Augusti verba : « . . . enixe obsecro te, ut nos » a segregatione liberes, nec multipliciter punias. » Cui Pontifex his verbis veniam concessit. « Excepimus stu- » dium vestrum erga Deum, quod propter nomen eius

(1) Hist. Eccl. III. 34. Ad rem consulatur Palladius Helenopol. in vita Chrysostomi.

Νικηφόρου [Καλλίστου *ἱστορ. ἐκκλησιαστ.* Γ'. λδ'.... — *Φωνὴ αἵματος τοῦ ἀδελφοῦ μου Ἰωάννου βοᾷ πρὸς τὸν θεὸν κατὰ σοῦ, βασιλεῦ, ὡς ποτε Ἄβελ τοῦ δικαίου κατὰ τοῦ ἀδελφοκτόνου Καΐν... διὸ ἐγὼ ἐλάχιστος καὶ ἁμαρτωλὸς ὡς πιστευθεὶς τὸν Θρόνον τοῦ μεγάλου Ἀποστόλου Πέτρου ἀφορίζω σὲ τε κἀκείνην* (Εὐδοξίαν) *τῆς μεταλήψεως τῶν ἀχράντων μυστηρίων Χριστοῦ..... Ἀρσάκιον δὲ ὃν εἰσηγάγετε εἰς τὸν Θρόνον τῆς ἐπισκοπῆς ἀντὶ Ἰωάννου, καὶ μετὰ θάνατον καθαιροῦμεν σὺν πᾶσι τοῖς κοινωνήσασιν αὐτῷ· οὗτινος μὴ δὲ τὸ ὄνομα ἐγγραφήτω τοῖς ἱεροῖς διπτυχοῖς ... κ. τ. λ.*

(2) Annal. par. IV. Γλυκὰς (χρονικ. δ') ... *παρακαλῶ λοιπόν, ἵνα τοῦ ἀφορισμοῦ λύσῃς ἡμᾶς, καὶ μὴ ἐκδικήσῃς πολλαχῶς...*

Ἀπεδεξάμην ὑμῶν τὴν κατὰ θεὸν σπουδήν, ἥνπερ διὰ τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐνεδείξασθε· ὅθεν τῶν ἱερῶν δεσμῶν ἀνεθέντες ἐν τοῖς δεσποτικοῖς συμβόλοις προσέλθετε ἐῤῥωμένοι.

» demonstrastis; unde e sacris vinculis liberati in domi-
» nicis symbolis accedite confidenter. »

Aeque ac de causa Chrysostomi, imparibus tamen iuribus meritisque, superius aliqua diximus de causa Nestorii; qua in re liceat modo animadvertere illud nonnihil singularitatis prae se tulisse, quod Patriarchae quatuor diversas partes in eodem iudiciali negotio haberent; in quo summa R. Pontificis potestas mire refulsit. Coelestinus Romanus iudicem agit: Cyrillus Alexandrinus apud eum est haeretici hominis delator, et postea iudicis sententiam vice sacra executioni mandat: Ioannes Antiochenus admonitoris partes explere videtur, ut Nestorius R. Pontifici pareat; ac denique Nestorius ipse Constantinopolitanus reus est et in iudicio damnatus. Verba historicorum et documenta ad rem proferre minime necessarium ducimus; tantummodo vero praeterire silentio nolumus quod facultas, quam Cyrillo utpote vicario suo Pontifex Rom. facit, ut is novo pastore provideat Constantinopolitanam ecclesiam (1), testatur Coelestinum hac in re non modo iudicis partes explevisse, verum etiam ad constituendum ecclesiae patriarchalis antistitem, aliis delegasse potestatem sibi competentem. Qua in re alter patriarcha erat decreti executor, alter vero patriarcha promovendus (2).

Eadem porro facultate Apostolica Sedes usa est quando

(1) In Actis Concilii Ephes. « Sedis nostrae auctoritate usus... » illico Sanctitas tua illi ecclesiae provideat » ait Coelestinus Cyrillo.

(2) Huic causae, si cui lubeat intimius res agitare, alienus omnino non apparebit et ille qui locum quintum inter Patriarchas habuit, nempe Hierosolymitanus. Etenim Iuvenalis, qui tunc illam obtinebat sedem, in Synodo visus est pontificiae assertor auctoritatis haec habens de Ioanne Antiocheno, quem Nestorio favere accusabant quidam «Opor-» tebat Ioannem Antiochenum confestim accurrere ut de illis, quae ei » obiiciuntur, apud Apostolicam sedem magnae Romae nobiscum con-» sidentem se purgaret, a qua maxime mos est ex apostolico ordine » et traditione, ut ipsa sedes Antiochena dirigatur et iudicetur » (Concil. ed. Mansi IV,1312) Vid. pag. 39.

Agapitus Papa Anthimum patriarcham constantinopolitanum haereticum deposuit, et S. Mennam suffecit; quinimo idem Pontifex Mennam suis manibus consecravit. Qua in re acta Synodi (1) testantur Agapitum se gessisse adversus Anthimum, ut olim Coelestinus adversus Nestorium.

Paucis post annis eadem quoque auctoritate Vigilius Pontifex usus est in ipsum patriarcham Mennam aliosque orientales episcopos; quandoquidem in epistola encyclica, cum celebris causa *trium capitulorum* ageretur, excommunicationi maximae subiecit Theodorum Caesariensem factionis caput, Patriarcham vero aliosque episcopos, qui eidem praebuerunt assensum « leviori sententia tandiu » a sacra communione (inquit) suspendimus, donec unus» quisque vestrum errorem transgressionis suae cogno»scens propriam culpam apud nos competenti satisfactio» ne deleverit (2). » Cuius rei Patriarcha a Vigilio veniam exposcit inquiens: « Quia tempore discordiae excommu» nicatos vel non receptos a vestra Beatitudine in com» munionem suscepi, pariter veniam postulo (3). »

Ab eodem excommunicationis vinculo ut solverentur, orientales ad Symmachum pontificem preces obtulerunt, uti legimus in actis Concilii Chalcedonensis, disertis verbis pontificiam auctoritatem praedicantes (4).

Amplissimae auctoritatis huiusmodi exercitium super orientales quoque Patriarchas apparet in aliis pluribus causis, et praecipue in iis, quae in causa Acacii fuere coniunctae; plures enim Romani Pontifices Felix, Gelasius,

(1) Acta Concil. Constantinop. sub Menna. Confer quae superius dicta sunt pag. 45.

(2) Acta Concil. V. sub initio. Σύνοδ. Ε'... πρωτίστῳ ψήφῳ ἐπὶ τοσοῦτον τῆς ἱερᾶς κοινωνίας ἀφορίζομεν, ἐφ' ὅσον ἕκαστος ὑμῶν τὸ ἴδιον ἀνόμημα προσηκούσῃ πληροφορίᾳ ἐξαλείψει.

(3) Ibid. ... διὰ δὲ τὸ ἐν καιρῷ τῆς διχοστασίας ἀποδέξασθαι κοινωνοὺς τοὺς παρὰ τῆς ὑμετέρας Μακαριότητος ἀφορισθέντας ἢ ἀπωσθέντας, ὁμοίως αἰτῶ συγχώρησιν.

(4) Act. Concil. Chalced. apud Binium pag. 517.

Anatolius, Synesius, Hormisdas in Constantinopolitanos, Alexandrinos et Antiochenos antistites et in orientales ecclesias iura suprema exercuerunt. Quae omnia longam et notissimam constituunt ecclesiasticae historiae periodum (1).

Innumera sunt huiusmodi exempla quae iurisdictionem hanc supremam evincant; ut vero huic elucubrationi nostrae finem tandem imponamus, caeteris omissis aliqua tantum summatim memoriae liceat revocare. Clemens I Corinthiis scribens (2) vetat quominus presbyteri et diaconi iniuste deiiciantur, et regulam apostolicam de creandis episcopis tradit. Victor papa orientalibus mandat, ut Pascha die dominico celebretur (3). Stephanus pontifex episcopos Tarsensem et Caesariensem, qui haereticos rebaptizandos esse contendebant, a communione separat (4). Athanasius et Aegyptii episcopi a Marco Pontifice per legatos expostulant ut Acta synodi Nicaenae authentica mittat, ait enim exemplaria, si auctoritate Pontificis fulciantur, etiam ab aemulis suis recipi (5). Iuvenalis patriarcha Hierosolymitanus, qui sibi vindicare studuiti iura Metropolitani Caesariensis in ea provincia praeeminentis, per Cyrillum Coelestini Papae Vicarium auctoritate pontificia ad servanda iura Caesariensis Metropolitae adigitur (6). Leo Theodoretum, cui multi episcopi adversa hauturi per epistolas in sedem suam restituit (7). Pelagius fines dioeceseos Thebanae a iurisdictione episcopi Larissensis exemit (8). Martinus I iura sua in ecclesia Antiochena

(1) Cf. *Laur. Cossa* «Historia polemica de Schismate Graecorum, par. I. cap. IV-XX.» et *Card. Pitra* - De triplici Ecclesiae iudicio in Nestorium, in Eutychen, in Acacium «Iur. Eccl. Graec. t. II. pag. 190.»

(2) Κλήμης ἐπιστ. πρὸς Κορινθίους.

(3) Εὐσέβιος ἱστορ. ἐκκλ. βιβλ. Ε', κγ'.

(4) Εὐσέβειος ἱστορ. ἐκκλ. Ζ'. ε'.

(5) Epist. ad Marcum Pap. inter Athanasii opp. II, 633.

(6) Leo Papa epist. 62.

(7) Confer pag. 41.

(8) Gregor. Magn. Regest. III, 7.

et Hierosolymitana exercuit, et apud orientales vicarium suum constituit Episcopum Philadelphiensem, qui auctoritate apostolica Episcopos crearet, presbyteros et diaconos consecraret et supremae iurisdictionis actus exerceret (1). De haereticis Iconomachis narrat S. Theodorus Studita (2): « Non effugerunt sane quin a suprema Ec» clesiae Sede reprehenderentur; ut factum est, et vos » videtis. » Adversus pseudosynodum ab iisdem Iconomachis coactam S. Stephanus iunior martyr haec aiebat (3): « Quomodo oecumenica appellari posset haec Synodus, in » qua non convenit Romanus Antistes; sine quo omnino » impossibile est res ecclesiasticas lege moderari? » Denique in ipsa causa Photiana non modo Ioannes papa VIII dispensationem dedit (4), ut in patriarcham Constantinopolitanum eligeretur Stephanus in locum Photii, quia decretum fuerat neminem ad episcopatum evehi potuisse, qui a Photio erat ordinatus, quod contingebat in Stephano; sed et Episcopi qui in Synodo veniam petierunt per Pontificios Legatos reconciliati sunt et in pristinum honorem restituti; ac praesertim Photius dispensatione pontificia gavisus est, ut post Ignatium legitimus, patriarcha Constantinopolitanus haberetur.

Haec omnia, imo universa Ecclesiae ubique terrarum diffusae historia ex rebus ipsis rite gestis fatetur supremam in omnibus ecclesiasticis negociis agendis, moribus instituendis, condendis legibus, definiendis ritibus, da-

(1) Labbe, Collect. Concil. edit. Venet. tom. VII.

(2) Θεόδωρος ἐπιστ. ξγ΄ βιβλ. β΄.— Οὐ μὴν διέφυγον καὶ ὑπὸ τοῦ Κορυφαίου Θρόνου τῆς ἐκκλησίας διελεγχθῆναι· καθὼς ἐγένετο, καὶ οἴδατε.

(3) In vita apud Migne. Patr. Gr. t. 159 - col. 1344 - Πῶς δὲ καὶ οἰκουμενικὴ ἂν κληθείη (ἡ σύνοδος), ἐφ' ᾗ οὐχ ὁ Ρώμης εὐδόκησε πρόεδρος, οὗ χωρὶς ἀδύνατον πάντως τὰ ἐκκλησιαστικὰ κανονίζειν;

(4) Apud Migne Patrol. Lat. t. 126. Conf. Acta Concilior. et Vitam S. Ignatii. Multa reperiuntur inter acta in causis Photianis gesta, in quibus suprema auctoritas disciplinaris R. Pontificis apertissime elucet. Digna propterea esset haec periodus ecclesiasticae historiae, ut speciali pertractatione hoc sub respectu agitaretur.

mnandis vel absolvendis accusatis, cunctis denique quocumque sacro vinculo et lege liberandis et in aliis huiusmodi Romano Pontifici supremam, unicam et plenam esse potestatem.

Quid igitur nobis restat postquam tantum ex graecis testibus evicisse contenderimus summam disciplinaris potestatis Petro a Christo collatam ad eius successores transiisse, in iisdemque perpetuo viguisse? Certe nil aliud nobis reliquum est, quam enixis votis exorare luminum Patrem, a quo est omne datum bonum et donum perfectum, ut sicut unus est Deus, unus Christus, una Ecclesia, unumque eius visibile Caput in terris, a quo omnes regantur; ita omnes qui nomen Christi colunt in obsequium tantae auctoritatis intellectum captivent et voluntatem. Quod vero si qui sint, qui obedientiam detrectent, ne tardent experiri, quam suave et salutare sit iugum a Deo impositum et regimen hoc, per quod pax vera Ecclesiae et orbi universo oriri potest. Illud vero maximum aeternumque est, et in votis in primis habendum, ut omnes homines hoc divinum regimen experiantur, per quod ad regnum caelorum, amotis periculis et cumulatis praemiis, pertingere quisque valeat.

Ex Monasterio S. Basilii de Urbe die 1 mensis Martii 1870.

IMPRIMATUR

Fr. Raph. Arch. Salini O. P. S. P. Ap. Magistri Socius.

IMPRIMATUR

Iosephus Angelini Archiep. Corinth. Vicesg.

DE CASUUM RESERVATIONE

IN

SACRAMENTO POENITENTIAE

AUCTORE

JOANNE BAPTISTA BERTAGNA S. TH. D.

TAURINI AD S. FRANCISCI COLLEGIUM

COLLATIONUM MORALIUM PRAEFECTO



TAURINI
EX OFFICINA STEREOTYPOGRAPHICA
PETRI, HYACINTHI FILII, MARIETTI
TYPOGRAPHI PONTIFICII

MDCCCLXVIII

Auctor sibi vindicat jus proprietatis.

JOSEPHO CAFASSO

SACERDOTI OBSERVATAE MEMORIAE
TAURINI AD S. FRANCISCI RECTORI CONVICTORUM SACERDOTUM
PRAEFECTO MORALI SCIENTIAE IBIDEM TRADENDAE
ADMISSORUM CONFESSIONEM AUDIENTIBUS
ITEM CURIONIBUS PROBANDIS
JUDICI
ADLECTO INTER TAURINENSIS SEMINARII ADMINISTRATORES

Parvum de re morali opus edituro, mihi non abs re visum est hoc te auspice prodi. Si enim moralium disciplinarum amore impulsus, ad eas animum contuli, illisque pro viribus hodieque incumbo, hoc tibi potissimum acceptum est referendum, qui ad hujusmodi studium me quammaxime incitabas, in ejus cursu dirigebas, tuaque mira illustrabas sapientia. Quare hoc idem opus, ut ita dicam, tuum, tibi probatum iri bene sperare posse videor, atque in eo tuae memoriae dicando fidens sum, et gaudeo, dum et gratum animum tibi exprimere studeo. Verum et ipsa hujus scripturae ratio ad eam tibi dicandam me impulit. Illius enim finis est, quae imo in corde, totiusque vi-

tae curriculo tenuisti, quorumque fuisti perfectum exemplar, ea firmare: exactam scilicet ac rigorosam canonicarum legum observantiam, quibus S. M. Ecclesia graviora peccata eorumque poenas sibi reservat, hac praesertim tempestate, qua fit, ut haud exigua inobsequentium filiorum pars eas nihili faciens aspernetur, ejusdem piae Matris, omnium exoptantis conversionem et vitam, una cum benigna mente componere: atque ita ad meliorem frugem sese recipere sincero corde satagentibus faciliorem viam, utpote legibus ipsis consentaneam, eorumque infirmitati magis accomodatam, ostendere, ne complures difficultatibus deterriti, contra earumdem legum finem, a resipiscendo removeantur. Haec porro sunt, quae verbis et operibus, omnique vi et conatu semper es prosecutus. Siquidem praeterquamquod in omnes ecclesiasticas leges et M. Pontificum decreta, profundo obsequio indesinenter altus, iis firmiter adhaerebas; et vehementi in miseros peccatores charitate flagrabas, et justitiam aeque ac misericordiam diligebas, et a gravioribus oneribus imponendis perpetuo abhorrens, totus semper in eo fuisti, ut, cum in exquirendis, tum in excipiendis agendisque ad ovile errantibus ovibus, mi-

sericordia, quantum liceret, usus, Christi Domini vestigiis insisteres. Hac norma juniores sacerdotes, moralibus disciplinis operam dantes, complures annos scite dirigebas: hac opere adhibita norma, quot in vincula conjectos, vel capite damnatos, quot infirmos jam morituros, aliosque innumeros, assidua sacramenti Poenitentiae administratione, e vitiorum coeno ad integriorem vitam perduxisti! Quibus quidem Dei gratiam, tibi vero, prae tot laboribus meritorum pleno, caelestem gloriam cito comparasti, prout omnibus persuasum est, qui te noverunt, quique eximias tuas virtutes in singulis tuis operibus facere non potuere quin admirarentur. Hanc normam utinam et ipse sim secutus, ut hoc opus, dum est mei in te obsequii argumentum, ad animarum salutem Deique gloriam possit conferre. Haec mea mens est. Si quid tamen minus recti, Ecclesiae Maximique Pontificis judicio haud omnino consentanei, e calamo me invito exciderit, id omne in antecessum libenter reprobo ac damno, atque ut non scriptum volo.

Discipulus tuus

Sac. Joannes Baptista Bertagna

AD LECTOREM

Mihi semper, cum Theologiae Moralis incumberem, uti adhuc ratione officii incumbo, non leves difficultates occurrerunt in quaestionibus solvendis, quae de peccatorum, eorumque poenarum reservatione instituuntur. Hinc cum ad rectam viam inquirendam (neque enim nobis licet in errandi periculo desidere, in rebus maxime, quae ita proxime ad animarum salutem Deique gloriam pertinent) non parum studii ad eas evolvendas contulerim, praesens opus exortum est, quod utpote a nonnullis gravissimis viris probatum, typis mandare statui confessariorum gratia, qui hujusmodi materiam et arduam et imple-

xam et ipsi fortasse fatebuntur. Si quid vero boni in eo fuerit, Deo ac Sanctissimae et Immaculatae Virgini Matri pro accepto grates agantur. Quod si forte acciderit, ut, etsi omnem adhibui diligentiam nec parvos conatus, quibus solam veritatem semper et in omnibus videor esse prosecutus, aliquid tamen erraverim, et utinam non saepius, rogo ut propter virium ingeniique mei imbecillitatem, id mihi condonetur, sapienterque corrigatur.

CONSTITUTIO SANCTISSIMI D. N.

QUA

CENSURÆ LATÆ SENTENTIÆ LIMITANTUR

DOCUMENTIS OMNIBUS MUNITA CENSURISQUE TRIDENTINIS AUCTA

NONNULLIS ILLUSTRATA COMMENTARIIS

IN COMMODUM CONFESSARIORUM

EX LATINIS EPHEMERIDIBUS

QUIBUS TITULUS, **Acta, quae apud S. Sedem geruntur,**

EXCERPTA

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam

« Apostolicae Sedis moderationi convenit, quae salubriter veterum canonum auctoritate constituta sunt, sic retinere, ut, si temporum rerumque mutatio quidpiam esse temperandum prudenti dispensatione suadeat, Eadem Apostolica Sedes congruum supremae suae potestatis remedium ac providentiam impendat. Quamobrem cum animo Nostro iampridem revolveremus, ecclesiasticas censuras, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae ad incolumitatem ac disciplinam ipsius Ecclesiae tutandam, effrenemque improborum licentiam coercendam et emendandam sancte per singulas aetates indictae ac promulgatae sunt, magnum ad numerum sensim excrevisse; quasdam etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine atque causis, ob quas impositae fuerant, vel a pristina utilitate atque opportunitate excidisse; eamque ob rem non infrequentes oriri sive in iis, quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus dubietates, anxietates, angoresque conscientiae; Nos eiusmodi incommodis occurrere volentes, plenam earundem recensionem fieri Nobisque proponi iussimus, ut, diligenti adhibita consideratione, statueremus, quasnam ex illis servare ac retinere oporteret, quas vero moderari aut abrogare congrueret. Ea igitur recensione peracta, ac Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus in negotiis Fidei Generalibus Inquisitoribus per universam Christianam

Rempublicam deputatis in consilium adscitis, reque diu ac mature perpensa, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae hactenus impositae sunt, nonnisi illae, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo, quo inserimus, robur exinde habeant; simul declarantes, easdem non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac Nostra Constitutione conveniunt, verum etiam hac ipsa Constitutione Nostra, non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere.

Excommunicationes latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae.

» Itaque excommunicationi latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatae subiacere declaramus:

I.

» Omnes a christiana fide apostatas, et omnes ac singulos haereticos, quocumque nomine censeantur, et cuiuscumque sectae exsistant, eisque credentes, eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores.

II.

» Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorundem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per Apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes (1).

(1) Hoc articulo simplex datur principium, ita ut cessent censurae latae pro libris, qui in indicem librorum prohibitorum sunt relati, exceptis illis, qui in hoc articulo memorantur. Quare reliqui omnes libri in dictum Indicem relati sine gravi culpa legi quidem non poterunt, non tamen lectores ceterique, quibus prohibitio extenditur, in censuras incurrent. Item excommunicati sunt, excommunicatione tamen nulli reservata, qui imprimunt vel imprimi faciunt libros de rebus sacris tractantes sine venia Ordinarii, de quibus inferius sanctio statuitur.

Heic advertas velim, ea omnia quae sum dicturus, me tenere, quousque authentica interpretatio vel Decretum non superveniat quod secus declaret vel decernat; immo quousque viri doctrina praestantes in explananda Constitutione aliud non ostenderint.

III.

» Schismaticos et eos qui a Romani Pontificis pro tempore exsistentis obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt (1).

IV.

» Omnes et singulos, cuiuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore exsistentium ad universale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit (2).

V.

» Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis Dioecesibus, Territoriis, Terris, seu Dominiis eiicientes, nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem.

VI.

» Impedientes directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad fo-

(1) Praeter notos schismaticos, comprehenduntur sub hac censura etiam illi, qui *pertinaciter se subtrahunt vel recedunt*: quare 1° non comprehenduntur illi qui simpliciter non obediant; sed esse debent pertinaciter rebelles: 2° non est tamen necessarium, ut sint rebelles ab auctoritate S. Sedis universim sumpta; sed sufficit, ut sint rebelles ab obedientia eius personae, quae actu B. Petri sedem legitime occupat. Quaero: comprehenduntur ne sub hac censura illi catholici liberales, ut aiunt, qui repulsa data legibus et mandatis regnantis R. Pontificis, sese publice gerunt tamquam soluti ab eius obedientia, quamquam nulli alii ecclesiasticae auctoritati adhaereant vel nullam auctoritatem constituere conentur? Puto comprehendi; quia et hi sunt vero sensu rebelles ab obedientia existentis Romani Pontificis. Conditio autem ut alicui auctoritati schismaticae adhaereant vel eam constituere conentur, ut schismatici faciunt, non requiritur, quum satis sit ab obedientia pertinax recessio.

Verba articuli de quo agimus deprompta sunt ex Bulla caenae Gregorii XIII, quae incipit: *Consueverunt*, in qua espresse egitur: *Excommunicamus... schismaticos et eos, qui se a nostra et Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertintaciter subtrahunt vel recedunt.* » Et anse Gregorium XIII, Paulus II et Xistur IV inter peccata reservata et hoc sibi eservarunt prout legitur in utriusque Extravaganti, *Etsi Dominici, de poenit. et remis.*, his verbis: *« Conspirationis in personam aut statum Romani Pontificis, seu cuiusvis offensae inobedientiae seu rebellionis eiusdem Pontificis vel Sedis Apostolicae. »*

(2) Habes unum exemplum dictae rebellionis in specie declaratum.

rum saeculare, eiusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem praestantes (1).

VII.

» Cogentes sive directe, sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones (2): item edentes leges vel Decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae.

VIII.

» Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab eiusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios laedentes vel perterrefacientes.

IX.

» Omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis ac supplicationum gratiam vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarios seu Gerentes vices eorum aut de mandato Eiusdem Romani Pontificis signatarum: nec non falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis seu Vice-Cancellarii aut Gerentis vices praedictorum.

X.

» Absolventes complicem in peccato turpi etiam in mortis articulo, si alius Sacerdos licet non adprobatus ad confessiones, sine gravi exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem (3).

(1) Quaestio erat inter interpretes Bullae caenae utrum ad incurrendam hanc excommunicationem satis esset recurrere ad Curias saeculares, etiamsi a Judice laico nihil obtineretur; vel opus esset ut mandatum seu prohibitio contra Judices ecclesiasticos obtineretur; et etiam exsecutioni mandaretur. Prima sententia recepta fuerat a sacris Congregationibus, quarum praxis haec est, ut quoties in causis iudicandis noscant, aliquem contra auctoritatem Ordinarii recurrisse ad laica tribunalia, indicere soleant eiusmodi recurrenti: *consulat conscientiae suae ob recursum ad laicum tribunal.* Huius dubitationis praetextus per verba articuli: *et ad hoc recurrentes ad forum saeculare eiusque mandata procurantes,* nunc sublatus est.

(2) Per verba, *praeter canonicas dispositiones*, allusio fit ad Concordata Gubernio-rum cum Apostolica Sede, quae in vigore permaneant.

(3) Sanctissimus D. N. peculiari generalique Decreto per S. U. Inquisitionem edito feria IV. die 17 Junii 1866 edixit: « *In*

XI.

» Usurpantes aut sequestrantes iurisdictionem, bona, redditus, ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut Beneficiorum pertinentes (1).

XII.

» Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios Civitates, Terras, loca aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam iurisdictionem in eis; nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes (2).

» A quibus omnibus excommunicationibus huc usque recensitis absolutionem Romano Pontifici pro tempore speciali modo reservatam esse et reservari; et pro ea generalem concessionem absolvendi a casibus et censuris, sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis nullo pacto sufficere declaramus, revocatis insuper earundem respectu quibuscumque indultis concessis sub quavis forma et

facultatibus, quibus Episcopi aliique locorum Ordinarii ex concessione Apostolica pollent absolvendi ab omnibus casibus Apostolicae Sedi reservatis excipiendos semper in posterum, et exceptos habendos esse, casus reservatos in Bulla Benedicti XIV, quae incipit: Sacramentum poenitentiae. » Hoc Decretum vero omnibus ubique terrarum Ordinariis praedicta absolvendi facultate donatis absque ulla exceptione significandum mandavit. Duo autem sunt casus reservati in hac Constitutione; idest casus Sacerdotis *attentantis absolutionem* personae complicis in materia turpi, et casus personae cuiuscumque sexus *falso denunciantis* Sacerdotem aliquem de sollicitatione. Verum primus casus in superiori articulo commemoratur ob censuram adiectam; secundus autem reservatus manet sine censura, et fere unicus hodie dici potest casus S. Sedi reservatus sine censura.

(1) Quaeri facile potest, quid dicendum de his, qui bona ecclesiastica usurpata ab usurpatoribus accipiant per aliquem contractum? Comprehenduntur ne sub hac censura? Puto non comprehendi, quamquam si non ageretur de censura, comprehendi dicendum esset; namque ejusdem causae rei sunt generatim habendi tam qui usurpant tam qui usurpata ab usurpatore recipiant: sed heic agitur de usurpantibus et sequestrantibus in re strictae interpretationis, in qua viget regula iuris: legislator quod voluit expressit, quod autem non expressit noluisse censendus est.

Item quaero, an comprehendantur sub hac censura qui usurpant bona quidem ecclesiastica, sed tamen quae non pertineant ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum vel Beneficiorum, ut ex. gr. sunt bona piorum locorum? Puto non comprehendi ob eandem rationem. Attamen tum illi, tum hi comprehenduntur sub censura Tridentina Romano Pontifici, etsi non specialiter, tamen reservata.

(2) Saepe accidit, ut sub censuris dicantur comprehendi illi, qui *auxilium, consilium, favorem* praebeant actionibus prohibitis. Haec autem ita sunt intelligenda, ut interveniat formalis cooperatio et realis adhaesio, quae non consistat solum in intentione, sed in actione; non ex ignorantia aut timore, sed ex deliberata voluntate. De qua re satis est nobis afferre responsum S. Poenitentiariae inter plura quae in nostris latinis ephemeridibus deduximus: sic enim S. Poenitentiaria respondit die 10 Decembris 1860, de hisce fere rebus rogata: ***Censuras ecclesiasticas iuxta Litteras Apostolicas diei 26 Martii 1860 incurri ab iis, qui formaliter cooperantur vel adhaerent rebellioni ditionis Pontificiae. Quare ad dignoscendum in Foro conscientiae, utrum quis Censuras incurrerit discutienda est per Confessarium uniuscuique conscientia.***

quibusvis personis etiam Regularibus cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti, etiam speciali mentione dignis et in quavis dignitate constitutis. Absolvere autem praesumentes sine debita facultate, etiam quovis praetextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatae innodatos se sciant (1)dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint.

Excommunicationes latae sententiae Romano Pontifici reservatae

» Excommunicationi latae sententiae Romano Pontifici reservatae subiacere declaramus:

I.

» Docentes vel defendentes sive publice, sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae; item docentes vel defendentes tamquam licitam praxim inquirendi a poenitente nomen complicis, prouti damnata est a Benedicto XIV in Const. *Suprema* 7 Iulii 1745; *Ubi primum* 2 Iulii 1746; *Ad eradicandum* 28 Septembris 1746 (2).

(1) Quare casus Romano Pontifici simpliciter reservati, qui mox numerantur, non sunt septem et decem, sed, hoc comprehenso, sunt duodeviginti. Heic quaeri potest, quid iuris si aliquis absolveret sine facultate eiusmodi poenitentes, non ex inobedientia, sed ex persuasione pertinaci, R. Pontificem vel Episcopos non habere ius reservandi peccata? Hic Confessarius esset haereticus ex *can. II. Concilii Trid. sess. 14 de poenit.* in qua legitur: « *Si quis dixerit, Episcopos non habere ius reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam; atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit.* »

(2) Benedictus XIV in Const. *Suprema*, praxim inquirendi a poenitente nomen complicis hisce verbis ad Lusitanos scribens reprobavit: « Notum vobis esse volumus, memoratam superius praxim penitus reprobandam esse, eandem a nobis per praesentes nostras in forma Brevis litteras reprobari atque damnari tamquam scandalosam et perniciosam, ac tam famae proximorum, quam ipsi etiam Sacramento iniuriosam, tendentemque ad sacrosancti sigilli sacramentalis violationem, atque eiusmodi Poenitentiae Sacramenti tantopere proficuo et necessario usu fideles abalienantem. »

In Const. *Ubi primum*, idem Pontifex priorem confirmans Constitutionem inter alias sanctiones haec edixit: « Statuentes ac decernentes, ut quicumque... ausus in posterum fuerit docere licitam esse eiusmodi praxim prout ea in relato nostro Brevi exponitur ac reprobatur; vel scribere aut loqui praesumpserit in eiusdem damnatae praxis defensionem, vel ea, quae in dicto Brevi contra eandem praxim decreta sunt, impugnare aut in alienos sensus temere detorquere seu interpretari, incidat ipso facto in excommunicationem, a qua non possit, praeterquam in articulo mortis, ab alio quocumque, etiam dignitate fulgente vel auctoritate suffulto, nisi a Nobis, vel pro tempore exsistente Romano Pontifice, absolvi. »

In Constitut. *Ad eradicandum*, Pontifex, contra pravas opiniones eorum, qui docerent eas Constitutiones non ultra Lusitaniam extendi ad quam missae essent, ita declaravit: « Decernimus et declaramus, memoratam praxim in se ipsa et ubique locorum ac temporum, Apostolica Auctoritate reprobatam atque damnatam esse et censeri debere...»

II.

» Violentas manus, suadente diabolo, iniicientes in Clericos, vel utriusque sexus Monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus iure vel privilegio permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat (1).

III.

» Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est, non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis. (2)

IV.

» Nomen dantes sectae *Massonicae*, aut *Carbonariae*, aut aliis eiusdem generis sectis quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinantur; nec non iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes; earumve occultos coriphaeos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint (3).

(1) Idest Legatus a Latere, qui hac potestate fruitur statim ac ex Urbe discedat, eademque in sua extensione amplisssima, iuxta cap. *Ad eminentiam, de sententia excomm. et ex cap. 9 de Officio legati*; item Legatus missus, attamen varia limitatione iuxta tradita ex dicto *cap.* 9. Episcopus etiam potest, si percussio sit occulta, ex privilegio Tridentino; id etiam posse tradunt Auctores Theologiae moralis si percussio sit levis etsi publica.

(2) Comprehendit hic articulus Constitutionem Tridentinam de duellantibus *cap.* 19 *sess.* 25, atque praeterea adiungit reservationem, quae vi tridentinae sanctionis non videtur adfuisse.

(3) Secta Fenianorum declaratur comprehensa sub sectis in hoc articulo significatis.

DECRETUM

Feria IV die 12 *Januarii* 1870.

« Cum dubitatum fuerit a nonnullis, an societas Fenianorum comprehensa censeatur inter Societates damnatas in Pontificiis Constitutionibus, Sanctissimus Dominus Noster Pius Divina Providentia Papa IX, exquisito prius suffragio Eminentissimorum Patrum Cardinalium contra haereticam pravitatem in universa christiana Republica Inquisitorum generalium, ne fidelium, praesertim simplicium, corda cum evidenti animae discrimine pervertantur, inhaerens Decretis alias a S. Congregatione Universalis Inquisitionis in similibus editis, praesertim Decreto feria IV die 5 Iulii 1865, decrevit ac declaravit, Societatem Americanam seu Hibernicam, Fenianorum appellatam, comprehendi inter societates vetitas ac damnatas in Constitutionibus Summorum Pontificum et praesertim in nuperrima eiusdem Sanctitatis Suae edita quarto Idus Octobris 1869: Incip. « *Apostolicae Sedis* » qua sub num. 4. Excommunicationi latae Sententiae Romano Pontifici reservatae obnoxii declarantur « Nomen dantes sectae Massonicae aut Carbonariae aut aliis eiusdem generis sectis quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam seu clandestine machinantur; necnon iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes; earumve occultos coriphaeos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint. » Atque ita Episcopis quibuscumque petentibus responderi mandavit. »

Loco ✠ Sigilli

Pro D. Angelo Argenti
S. Rom. et Univ. Inquis. Notario
Iacobus Vogaggini Substitutus.

V.

» Immunitatem asyli ecclesiastici violare iubentes, aut ausu temerario violantes.

VI.

» Violantes clausuram Monialium, cuiuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes, itemque Moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V. in Constit. *Decori* praescriptam (1).

VII.

» Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et Superiores aliosve eas admittentes.

VIII.

» Reos simoniae realis in Beneficiis quibuscumque, eorumque complices.

IX.

» Reos simoniae confidentialis in Beneficiis quibuslibet, cuiuscumque sint dignitatis.

(1) S. Pius V. in Constitutione, *Decori*, edita die 24 Januarii 1570 haec constituit: §. 1. Sane periculo et scandalo plena res est, ac regulari observantiae vehementer adversatur, sanctimoniales aliquando, parentes, fratres, sorores aut alios agnatos vel cognatos, nec non monasteria et alia filiationes nuncupata, etiam eis subiecta, visitandi, aut infirmitatis causa aliove praetextu a monasteriis exire, et per saecularium personarum domos discurrere et vagari, quo veluti colore eximium quoque honestatis et pudicitiae decus in discrimen committunt.

» §. 2. Unde nos, malo huic, pro nostro pastoralis officii debito, salubriter occurrere volentes, inhaerentes etiam Decreto sacri Concilii Tridentini de Clausura Monialium disponenti, ac aliis nostris Litteris desuper huiusmodi clausura editis adiicientes, volumus, sancimus et ordinamus nulli Abbatissarum, Priorissarum, aliarumve monialium, etiam Carthusiensis, Cisterciensis S. Benedicti, et Mendicantium et quorumcumque aliorum Ordinum, etiam militiarum ac statuum, graduum, conditionum, dignitatum ac praeeminentiarum existentium, etiam a regia vel illustri prosapia ortarum, de cetero, etiam infirmitatis seu aliorum monasteriorum, etiam eis subiectorum, aut domorum, parentum aliorumve consanguineorum visitandorum, aliave occasione et praetextu, *nisi ex causa magni incendii vel infirmitatis leprae aut epidemiae, quae tamen infirmitas praeter alios Ordinum superiores, quibus cura monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum seu alium loci Ordinarium, etiam si praedicta monasteria ab Episcoporum et Ordinariorum iurisdictione exempta esse reperiantur, cognita et expresse in scriptis approbata sit, a monasteriis praefatis exire, sed nec in praedictis casibus extra illa, nisi ad necessarium tempus stare licere;* aliter autem quam ut praefertur egredientes, seu licentiam exeundi quomodocumque concedentes, nec non concomitantes, ac illarum receptatrices personas, sive laicas aut saeculares vel ecclesiasticas, consanguineas vel non, excommunicationis maioris latae sententiae vinculo statim eo ipso, absque aliqua declaratione, subiacere, a quo, praeter quam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi nequeant.» Quae tamen nunc sunt abrogata.

X.

» Reos simoniae realis ob ingressum in Religionem.

XI.

» Omnes qui quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus excommunicationis censura plectùntur Constitutione S. Pii V. *Quam plenum* 2 Ianuarii 1569. (1)

(1) Illi, qui excommunicatione plectuntur ex Constitutione *Quam plenum* S. Pii V, edita die 2 Ianuarii 1569, sunt Episcopis inferiores. Pontifex ille in hac Constit. graves quosdam enarrans abusus in quorundam facultatum concessione, easque inde concessiones irritat, atque demum poenas sancit, hac ratione: « §. 1. Rem profecto indignam audivimus, quod quidam ecclesiarum Hispaniae praesules et etiam quondam Gomentius Tellezgiron, temporarius, quod magis detestandum est, et simplex administrator ecclesiae Toletanae, gratia gratis accepta pietatis specie abutentes, et facultates a sacris canonibus sibi concessas excedentes, litteras suas in eorum civitatibus et dioecesibus publicare praesumpserunt, quibus, inter cetera pericula, deprehenditur, quod cuicumque illas accipienti, certa soluta pecunia, licitum sit quem voluerit sibi sumere Sacerdotem, qui, confessione audita, ipsum absolvere valeat, non iis tantum casibus in quibus simplex Sacerdos absolvere potest, sed etiam in iis, quae solis Episcopis reservata reperiuntur, aliquo praeterea casu admixto, qui ad examen huius Sanctae Sedis esset omnino referendus.

» §. 2. Ad hanc, ipsi, in dispensandis caelestis gratiae donis nimium prodigi, iis sic litteras praedictas accipientibus indulgentias et poenitentiarum iniunctarum remissiones, nulla cum re temporali conferendas, profusius passim et indiscrete largiuntur, quibus et aliis licentiis praedictis non pauci fluctuantes et infirmi, veniae facilitate inducti, ad peccandum procliviores fiunt, quando tot et tantorum delictorum remissionem certo et vilissimo pretio acquirere possint; et indicem praeterea casuum ac indulgentiarum aedibus sacris appendi iusserunt, quibus emptores venari videntur, cum palam significetur solventibus suprascripta concedi.

» §. 3. Itemque Missae sacrificium et sepulturam tempore interdicti, ciborum prohibitorum usum, assumptionem duorum vel plurium Compatrum ad sacrum baptisma, contra Decretum Concilii Tridentini, praeter eos, qui synodalibus, ut dicunt, constitutionibus adsciscuntur, a simoniae reatu absolutionem Sedi Apostolicae reservatam impendunt, reparationem ecclesiarum et pias causas praetexentes, ut honesta praescriptione videantur cupiditatis vitium obduxisse.

» §. 4. Cum igitur, inter cetera scandala, etiam simoniae pravitas non obscure redoleat, et praedictis sacri Tridentini Concilii Decretis et aliis sanctionibus canonicis, nostrae praeterea Constitutioni de indulgentiis ad quaestum non emittendis adversetur, clavium auctoritas evilescat, et poenitentialis satisfactio enervetur; nos his malis celeri remedio occurrendum, eademque opera futuris praecavendum fore censentes, motu proprio et ex certa scientia et de Apostolicae potestatis plenitudine, supra dicta omnia, quae in ipso Archiepiscopatu Toletano et quibuscumque aliis civitatibus, dioecesibus et locis, tam Hispaniarum, quam aliarum quarumcumque provinciarum et regionum hucusque, etiam praetextu Confraternitatum augendarum et quocumque alio, emanarunt, damnamus et execramur ac perpetuo abolemus, nullaque et irrita fuisse et esse nunciamus mandantes litteras et indices

» §. 5. Nec non scripturas et monumenta quaecumque publica et privata per ipsos locorum Ordinarios et alios ecclesiarum rectores, ubicumque reperientur, dilacerari, confringi penitusque deleri; et ne talia de cetero a quoquam fiant, publicentur vel concedantur, districtius prohibemus.

» §. 6. Quicumque, etiam si Cardinalatus honore praefulgeant, secus egerint seu contenderint attentari; ab ingressu et perceptione fructuum suarum ecclesiarum tamdiu suspensi ineant, donec, satisfactione praevia, illis per Sedem praedictam suspensio relaxetur; *inferiores vero ab Episcopis sententiam excommunicationis incurrant*, a qua nisi in mortis articulo constituti ab alio quam Romano Pontifice absolutionis beneficium nequeant obtinere.»

XII.

» Colligentes eleemosynas maioris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent.

XIII.

» Omnes qui excommunicatione mulctantur in Constitutionibus S. Pii V, *Admonet nos*, quarto Kalendas Aprilis 1567, Innocentii IX, *Quae ab hac Sede* pridie nonas Novembris 1591, Clementis VIII, *Ad Romani Pontificis curam*, 26 Iunii 1592, et Alexandri VII, *Inter ceteras*, nono Kalendas Novembris 1660, alienationem et infeudationem Civitatum et Locorum S. R. E. respicientibus (1).

(1) In Constitutione, ***Admonet nos***, solemnissime edita a S. Pio V, excommunicatione mulctantur omnes illi, qui per se vel alios agere studeant sive insinuare vel suadere Romano Pontifici alienationem vel infeudationem civitatum seu locorum ad S. Sedem pertinentium ex quovis praetextu, etiam necessitatis vel evidentis utilitatis. Ita autem se habet Constitutio: « §. 3. Statuimusque et decernimus, quod omnes et singulae, tam Communitates et Universitates, quam cives et incolae civitatum et locorum praedictorum *(quae Sanctae Sedi in temporalibus sunt subiecta)*, aliaeque quaecumque personae tum ecclesiasticae, tum saeculares, cuiusvis dignitatis et ordinis, etiam episcopalis vel maioris, existentes, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, tam publice in consiliis civitatum et locorum praefatorum, quam privatim alibi in quibusvis locis, etiamsi civitatum et terrarum earundemque Gubernatores aut Sedis Apostolicae Legati vel Pro-Legati existant, tractantes, consulentes, aut alias verba facientes de infeudationibus aut alienationibus de civitatibus et locis praefatis immediate ad nos et Sedem praefatam spectantibus et pertinentibus, etiam devolutis, etiam in feudum communiter et pluries dari solitis, etiam ex causa permutationis vel sub annuo censu aut canone, aut alias quomodolibet, etiam contemplatione meritorum erga Sedem praefatam, aut sub praetextu necessitatis vel evidentis utilitatis faciendis, seu de postulandis a nobis et Sede praefata quibusvis personis, cuiusvis dignitatis, status, gradus, etiam nobis et successoribus nostris secundum carnem coniunctis, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, aut quavis alia temporali vel ecclesiastica dignitate fungentibus, in Duces, Vicarios, Gubernatores seu quemvis alium titulum, ad vitam vel in perpetuum vel longum tempus aut etiam ad Sedis Apostolicae torum, ac propterea de eligendis oratoribus ad nos et successores nostros super praemissis vel illorum occasione mittendis, proponentes, tam ipsi quam oratores munus huiusmodi recipientes, aut alii quicumque alienationes huiusmodi Romano Pontifici pro tempore existenti, per se vel alium seu alios, insinuantes vel suadentes eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, a qua, nisi ab ipso Pontifice, praeterquam in mortis articulo, absolvi nequeant. »

Innocentius IX in Constitutione, ***Quae ab hac Sancta Sede***, in primo Consistorio secreto post suam electionem ad Pontificatum, inseruit integram Constitutionem, ***Admonet***, S. Pii V, atque commemorans, Gregorium XIII, Const. ***Inter***, Sixtum V, Const. ***Quanta***, et Gregorium XIV iurasse eam Pianam Constitutionem servaturos eandemque adprobasse, confirmasse et innovasse, ita ipse Innocentius eam iterum approbavit, confirmavit, innovavit, et prohibitionem infeudandi et alienandi dictas Civitates, terras et loca uberius quoque explicavit.

Clemens VIII in Constitutione, ***ad Romani Pontificis curam***, iterum confirmavit utramque Constitutionem: immo derogavit cuidam moderamini quod induxerat Gregorius XIV, atque explicavit quomodo sub iuramentum de non alienandis civitatibus et locis cadere possint casus necessitatis et evidentis utilitatis, his verbis: « Cum huiusmodi casus absolutae necessitatis, aut verae et evidentis utilitatis facilius mente atque animo concipi et effingi, quam usu venire possint, multo magis expedire omnem prorsus alienationum et investiturarum, prorogationum et aliarum concessionum, quomodocumque et sub quibuscumque causis et praetextibus attentandi viam omnino praecludere, quam ob rarissimos casus, qui vix umquam contingere possunt, apertam relin-
quere. »

XIV.

» Religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis Sacramentum extremae unctionis aut Eucharistiae per viaticum ministrare absque Parochi licentia.

XV.

» Extrahentes absque legitima venia reliquias ex Sacris Coemeteriis sive Catacumbis Urbis Romae eiusque territorii, eiusque auxilium vel favorem praebentes.

XVI.

» Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.

XVII.

» Clerici scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis et ipsos in officiis recipientes (1).

(1) Ante Concilium Constantiense omnes excommunicati excommunicatione maiore erant vitandi: post hoc Concilium ob Constitutionem Martini V, quae incipit, *Ad evitanda scandala*, vitandi tantum erant notorii percussores Clericorum et qui excommunicati essent nominatim, expresso videlicet nomine ut consuetudo hactenus tulit: multa autem in iure non sine ambagibus reperiuntur constituta de illis, qui cum excommunicatis communicarent, qui modo excommunicationem minorem ipso facto incurrerent, modo majorem secundum id in quo communicarent, et modo reservatam modo non reservatam: eiusmodi autem censurae cohibitae sunt post Martini V Constitutionem ad eos tantum, qui communicarent cum dictis excommunicatis sive nominatim, sive cum notoriis Clericorum percussoribus

Hodie autem post constitutionem, *Apostolicae Sedis*, de qua agimus, cessat censura quaevis quam antea contrahebant illi, qui communicarent cum notorio Clericorum percussore; quum de hac censura nonnisi in hoc et superiori articulo sermo habeatur. Quare hodie sub poena excommunicationis vitandi tantum manent nominatim excommunicati a Papa: atque excommunicationem maiorem, eandemque Romano Pontifici reservatam, incurrunt omnes, qui communicant in crimine criminoso; et clerici scientes et sponte communicantes in divinis et eos in officiis recipientes: haec sanctio ad Clericos, quod spectat, ipsis verbis desumpta est ex capite *significavit, de sententia excom.* in quo sic respondit Clemens III: « *Verum Clericos, qui scienter et sponte participaverunt excommunicatis a nobis, et ipsos in officiis receperunt eadem excommunicationis sententia cum ipsis non dubitamus involvi: quos etiam pro beneficio absolutionis habendo ad nos volumus cum litterarum tuarum insinuatione remitti.* » Prima autem sanctio, quae ad omnes refertur, desumpta est ex cap. *Nuper, eod. tit.* in quo Innocentius III sic inter cetera rescripsit: « *In secunda vero quaestione credimus distinguendum, an is, qui nominatim excommunicati cummunicat, scienter in crimine communicet criminoso, ei consilium impendendo, auxilium vel favorem; aut alias in oratione vel osculo, aut orando secum aut etiam comedendo. In primo quidem articulo, quum talis communicet crimini et participet criminoso, ac per hoc ratione damnati criminis videatur in eum delinquere qui damnavit, ab eo vel eius superiore merito delicti tunc erit absolutio requirenda, quum facientem et consentientem par poena constringat: in secundo vero casu a suo Epi-*

Excommunicationes latae Sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae.

» Excommunicationi latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae subiacere declaramus:

I.

» Clericos in Sacris constitutos vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes; nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes.

II.

» Procurantes abortum, effectu sequuto.

III.

» Litteris apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes.

Excommunicationes latae sententiae nemini reservatae.

» Excommunicationi latae sententiae nemini reservatae subiacere declaramus:

I.

» Mandantes seu cogentes tradi Ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos.

II.

» Laedentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes, testes, aliosve ministros S. Officii; eiusve Sacri Tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes; vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes.

vocpo, vel a proprio Sacerdote etc. Sed hic ecundus casus, de eo qui communicat extra imen, post Constitutionem, *Apostolicae*, nsuram minorem antea dictam, non amplius secumfert: manet autem tantum maior excommunicatio et reservata in omnes, qui in crimine criminoso participent et in Clericos, qui communicent in divinis.

III.

» Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis, *Ambitiosae* De Reb. Ecc. non alienandis (1).

IV.

» Negligentes sive culpabiliter omittentes denunciare infra mensem Confessarios sive Sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Praedecess. Nostris Gregorio XV.

(1) Constitutio, *Ambitiosae*, quae legitur in Sexto Decretalium *lib.* 3 *Extrav. Commun. cap. unic. de rebus Ecclesiae non alienandis* edita fuit a Paulo II anno 1467, quaeque quotidie allegatur ubi agitur de contractibus rerum Ecclesiae, tenoris est qui sequitur: « Ambitiosae cupiditati illorum praecipue, qui divinis et humanis affectatis, damnatione postposita, *immobilia et pretiosa mobilia Deo dicata*, ex quibus Ecclesiae, Monasteria, et pia Loca reguntur illustranturque, et eorum Ministri sibi alimoniam vindicant, profanis usibus applicare, aut cum maximo illorum ac divini cultus detrimento, exquisitis mediis usurpare praesumunt, occurrere cupientes, *omnium rerum et bonorum ecclesiasticorum alienationem, omnesque pactum per quod ipsorum dominium transfertur, concessionem, hypothecam, locationem et conductionem ultra triennium, nec non infeudationem vel contractum emphyteuticum*, praeterquam in casibus iure expressis, ac de rebus et bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, et tunc *Ecclesiarum evidenti utilitate*, ac de fructibus et bonis, quae servando servari non possunt pro instantis temporis exigentia, hac perpetuo valitura Constitutione *fieri prohibemus*. Praedecessorum nostrorum Constitutionibus, prohibitionibus, et Decretis aliis super hoc editis, quae tenore praesentium innovamus, in suo nihilominus robore permansuris. Si quis autem contra hujus nostrae prohibitionis seriem de bonis et rebus eisdem *quicquam alienare praesumpserit, alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio, et infeudatio huiusmodi nullius omnino sint roboris vel momenti. Et tam qui alienat, quam is qui alienatas res, et bona praedicta recepserit, sententiam excommunicationis incurrat.* Alienanti vero bona Ecclesiarum, Monasteriorum, Locorumque piorum quorumlibet, inconsulto Romano Pontifice, aut contra praesentis Constitutionis tenorem, si Pontificali vel Abbatiali praefulgeat dignitate, ingressus Ecclesiae sit penitus interdictus. Et si per sex menses immediate sequentes sub interdicto huiusmodi, animo (quod absit) perseveraverit indurato, lapsis mensibus, eisdem, a regimine et administratione suae Ecclesiae, vel Monasterii cui praesidet, in spiritualibus et temporalibus sit eo ipso suspensus. Inferiores vero Praelati, Commendatarii, et aliarum Ecclesiarum Rectores beneficia vel administrationem quomodolibet obtinentes, Prioratibus, Praeposituris, Praepositatibus, Dignitatibus, Personatibns, administrationibus, officiis, canonicatibus, praebendis, aliisque Ecclesiasticis cum et sine cura saecularibus et Regularibus beneficiis, quorum res et bona alienarunt dumtaxat, ipso facto privati existant: illaque absque declaratione aliqua vacare censeantur, possintque per locorum Ordinarios, vel alios, ad quos eorum collatio pertinet, personis idoneis (illis exceptis quae propterea privatae fuerint) libere de iure conferri, nisi alias dispositioni Apostolicae Sedis sint specialiter aut generaliter reservata. Nihilominus alienatae res bona huiusmodi ad Ecclesias, Monasteria, et Loca pia, ad quae ante alienationem huiusmodi pertinebant, libere revertantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae prohibitionis et innovationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum. Datum Romae apud S. Marcum anno Dominicae Incarnationis MCCCCLXVII, Calendis Martii, Pontific. Nostri anno III. » Censura, quae nunc remanet, est excommunicatio.

Const. *Universi* 20 Augusti 1622, et Benedicto XIV, Constit. *Sacramentum poenitentiae*, 1 Iunii 1741 (1).

» Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque quos Sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus; excepta anathematis poena in Decreto Sess. IV. *De editione et usu Sacrorum Librorum* constituta, cui illos tantum subiacere volumus, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt (2).

Heic paulisper sistimus, ut inseramus excommunicationis poenas, quas inflixit Tridentinum Concilium cum adiectis ab eo reservationibus, atque inde prosequemur exponere Constitutionem de qua agimus.

De usurpatoribus quorumcumque bonorum ecclesiasticorum aut iurium, quorum excommunicatio est Romano Pontifici a Concilio Tridentino reservata.

Sess. 22 c. 11 de Refor. « *Si quem clericorum vel laicorum quacumque is dignitate, etiam imperiali aut regali, praefulgeat, in tantum*

(1) Casus expressi in Constitutione Gregorii XV, *Universi*, ita se habent: « § 4.... Statuimus, decernimus et declaramus, quod omnes et singuli Sacerdotes, tam saeculares, quam quorumvis etiam quomodolibet exemptorum ac Sedi Apostolicae immediate subiectorum Ordinum, Institutorum, Societatum et Congregationum regulares, cuiuscumque dignitatis et praeeminentiae, aut quovis privilegio muniti existant, qui personas, quaecumque illae sint, *ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis quomodocumque perpetranda in actu sacramentalis Confessionis, sive antea vel post immediate, seu occasione vel praetextu Confessionis huiusmodi etiam ipsa Confessione non sequuta, sive extra occasionem Confessionis in Confessionario aut in loco quocumque ubi Confessiones sacramentales audiuntur, seu ad Confessionem audiendam electo simulantes ibidem Confessiones audire, sollicitare vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones sive tractatus habuerint.*

« § 7. Mandantes omnibus Confessariis ut suos poenitentes, quos noverint fuisse ab aliis ut supra sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes... »

Casus expressi in Constitutione Benedicti XIV, *Sacramentum poenitentiae*, sunt qui sequuntur: « *Qui aliquem poenitentem, quaecumque persona illa sit, vel in actu sacramentalis Confessionis, vel ante vel immediate post Confessionem, vel occasione, aut praetextu Confessionis, vel etiam extra occasionem Confessionis, in Confessionale sive in alio loco ad Confessiones audiendas destinato, aut electo simulatione audiendi ibidem Confessionem, ad inhonesta et turpia sollicitare vel provocare sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc aut post legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint.* »

(2) Ita se habebat Tridentinum Decretum, quod per Constitutionem temperatum est: « Nulli liceat imprimere vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine Auctoris, neque illos in futurum vendere aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati probatique fuerint ab Ordinario, sub poena anathematis et pecuniae in canone Concilii novissimi Lateranensis apposita. Et si Regulares fuerint, ultra examinationem et probationem, huiusmodi licentiam quoque a suis superioribus impetrare teneantur recognitis per eos libris iuxta formam suarum ordinationum. Qui autem scripto eos communicant vel evulgant, nisi antea examinati probatique fuerint, eisdem poenis subiaceant quibus impressores. Et qui eos habuerint vel legerint, nisi prodiderint auctores, pro auctoribus habeantur. »

malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicuius ecclesiae seu cuiusvis saecularis vel regularis Beneficii, montium pietatis, aliorumque piorum locorum iurisdictiones, bona, census ac iura etiam feudalia et emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones, quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, per se vel alios vi vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas Clericorum aut Laicorum, seu quacumque arte aut quocumque quaesito colore in proprios usus convertere, illosque usurpare praesumpserit, seu impedire, ne ab iis ad quos iure pertinent, percipiantur, is anathemati tamdiu subiaceat, quamdiu iurisdictiones, bona, res, iura, fructus et redditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione suppositae personae, pervenerint, ecclesiae eiusque administratori sive Beneficiato integre restituerit, ac deinde a Romano Pontifice absolutionem obtinuerit . . . . Clericus vero, qui nefandae fraudis et usurpationis huiusmodi fabricator seu consentiens fuerit eisdem poenis subiaceat....»

Excommunicatur Magistratus, si ad instantiam Episcopi non praebeat auxilium adversus contradictores clausurae monialium: itemque violantes earum clausuram.

Sess. 15 c. 5 *de Regul.* « *Bonifacii VIII Constitutionem, quae incipit,* Periculoso, *renovans Sancta Synodus, universis Episcopis sub obtestatione divini iudicii et interminatione maledictionis aeternae praecipit, ut in omnibus monasteriis sibi subiectis ordinaria, in aliis vero Sedis Apostolicae auctoritate, clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, et ubi inviolata est, conservari maxime procurent, inobedientes atque contradictores per censuras ecclesiasticas aliasque poenas, quacumque appellatione postposita, compescentes, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Quod auxilium ut praebeatur, omnes Christianos Principes hortatur Sancta Synodus, et sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda, omnibus magistratibus saecularibus iniungit* ».

Sess. 25 ex cap. 5 de Reg. « *Ingredi autem intra septa monasterii nemini liceat, cuiuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerit, sine Episcopi vel Superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda* ».

Excommunicantur Raptores mulierum eorundemque consocii.

Sess. 24 ex cap. 6 de Refor. matr. *Decernit Sancta Synodus, inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta a raptore separata et in loco tuto et libero constituta illum in virum habere censuerit, eam raptor in uxorem habeat, et nihilominus raptor ipse ac omnes illi consilium, auxilium et favorem praebentes, sint ipso iure excommunicati...*»

Excommunicantur qui libertatem matrimonii contrahendi violant.

Sess. 24 ex cap. 9 de Ref. matr. « *Ita plerumque temporalium dominorum ac magistratuum mentis oculos terreni affectus atque cupiditates excaecant, ut viros et mulieres, sub eorum iurisdictione degentes, maxime divites vel spem magnae hareditatis habentes, minis et poenis adigant cum iis matrimonium invitos contrahere, quos ipsi domini vel magistratus illis praescripserint. Quare, quum maxime nefarium sit Matrimonii libertatem violare et ab eis iniurias nasci, a quibus iura expectantur, praecipit Sancta Synodus omnibus, cuiuscumque gradus, dignitatis et conditionis existant, sub anathematis poena, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo directe vel indirecte subditos suos vel quoscumque alios cogant, quominus libere matrimonia contrahant.* »

Excommunicantur, qui cogant mulierem ad ingrediendum monasterium, vel impediant.

Sess. 21 cap. 18 de Regul. « *Anathemati Sancta Synodus subiicit omnes et singulas personas, cuiuscumque qualitatis vel conditionis fuerint, tam Clericos quam Laicos, saeculares vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, si quomodolibet coegerint aliquam virginem vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem, praeterquam in casibus in iure expressis* (1), *ad ingrediendum monasterium vel ad susci-*

(1) Casus in iure expressi ad hos reducuntur: in *cap.* 18 *de Convers. coniugatorum* Innocentius III ita legitur ad propositum eidem casum rescripsisse: « Significavit nobis A. mulier, quod, quum ipsa F. viro » suo coram Decano Sancti Quiriaci, vice » Archiepiscopi Senonensis in hac parte fungente, licentiam concesserit religionem intrandi; continentiae tamen voto eidem » iniuncto, et recepta fide ab ipsa, quod

piendum habitum cuiuscumque religionis, vel ad emittendam professionem, quique consilium, auxilium vel favorem dederint, quique scientes eam non sponte ingredi monasterium aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel praesentiam vel consensum vel auctoritatem interposuerint. Simili quoque anathemati subiicit eos, qui sanctarum virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi vel voti emittendi quoquo modo sine iusta causa impedierint. »

Excommunicantur duellantes et reliqui, qui duellum quasi honestum spectaculum permittunt vel adiuvant, vel assistunt.

Sess. 25 ex cap. 19. de Ref. « *Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites et quocumque alio nomine domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris suis inter christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati. Qui vero pugnam commiserint, et qui eorum patrini vocantur, excommunicationis.... poenam incurrant.. Illi etiam, qui consilium in causa duelli tam in iure, quam in facto dederint aut alia quacumque ratione ad id quemquam suaserint, nec non spectatores, excommunicationis ac perpetuae maledictionis vinculo teneantur.* »

Excommunicantur qui sequentes falsas propositiones doceant.

Sess. 13 ex can. 11 de Euchar. « *Ne tantum Sacramentum* (Eucharistiae) *indigne atque ideo in mortem et condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa Sancta Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment,*

» perpetuo contineret, idem Decanus, post » factam professionem a viro praedicto in » monasterio in quo habitum assumpserat » monachalem, asseruit, ipsam debere Re- » ligionem intrare, quamquam id primo non » expressisset eidem, et hoc expresso, illi » licentiam non dedisset. Quocirca manda- » mus quatenus si est ita, et est talis de » qua suspicio haberi non possit, ipsam, » votum continentiae observantem, intrare » monasterium compelli non permittatis in- » vitam. » Ex quo capite Glossa sic arguit: « Ex eo enim quod dicit *de qua suspicio haberi non possit non debet compelli*, intelligo quod si sit suspecta, debet compelli religionem intrare ex quo promisit continentiam. »

Item Gregorius IX *in cap.* 19 *eod. tit.* alterum consideravit casum, atque ita rescripsit: « Mulieres vero, quae relicto ma- » ritali toro lapsu carnis ceciderunt, si » mariti earum a te diligenter commoniti » eas ad frugem melioris vitae conversas » noluerint recipere propter Deum, in clau- » stris cum religiosis mulieribus studeas » collocare, ut perpetuam poenitentiam ibi » agant. »

habita copia confessoris, necessario praemittendam esse Confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, praedicare vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere praesumpserit, eo ipso excommunicatus existat. »

Sess. 24 ex cap. 1 de Ref. matr « *Dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, et proinde iure damnandi sunt illi, ut eos Sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant, quique falso affirmant, matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse.* »

Hae sunt excommunicationes quas inflixisse Tridentinum Concilium reperimus. Sequitur modo SSmi Domini Nostri Constitutio, quam referre assumpsimus.

Snspensiones latae sententiae Summo Pontifici reservatae.

I.

» Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum Beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Praelatos de praedictis Ecclesiis, seu Monasteriis apud eandem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras Apostolicas de sua promotione.

II.

» Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso iure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo Beneficii vel patrimonii cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.

III.

» Suspensionem per annum ab Ordinum administratione ipso iure incurrunt ordinantes alienum subditum etiam sub praetextu Beneficii statim conferendi, aut iam collati, sed minime sufficientis, absque eius Episcopis litteris dimissorialibus, vel etiam subditum pro-

prium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii eius loci litteris testimonialibus.

IV.

» Suspensionem per annum a collatione Ordinum ipso iure incurrit, qui, excepto casu legitimi privilegii, Ordinem sacrum contulerit absque titulo Beneficii vel patrimonii Clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.

V.

» Suspensionem perpetuam ab exercitio Ordinum ipso iure incurrunt Religiosi eiecti, extra Religionem degentes.

VI.

» Suspensionem ab Ordine suscepto ipso iure incurrunt, qui eundem Ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato vel suspenso, vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio: eum vero, qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.

VII.

» Clerici saeculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in praedicto examine reiecti fuerint (1): nec non Clerici pertinentes ad ali-

(1) Specialis praxis Romae viget ex RR. Pontificum Decretis originem ducens, ob quam Clerici, qui quasi domicilium Romae contrahunt (quod ad hunc effectum per quatuor mensium moram contractum intelligitur), ut quamvis suorum Ordinariorum amplissimas obtineant dimissoriales litteras ad Ordines suscipiendos; tamen promoveri ab aliis Episcopis non possint, nisi praevio in Urbe examine et obtenta ab Emo Urbis Vicario licentia ut in hoc articulo statuitur. Negligere nimirum et declinare haud possunt Romae examen ad Ordines, quos, dum hic morantur suscipere cupiunt. Eiusmodi praxis originem duxit ex Decreto Clementis VIII, quod ita se habet: « Universis et singulis Clericis nunc et in futurum pro tempore in urbe commorantibus, et ad minores vel sacros etiam Presbyteratus Ordines promoveri volentibus, de mandato SSmi D. N. Clementis Papae VIII, vivae vocis oraculo desuper facto, edicimus et praecipimus, ne de caetero extra eandem Urbem, etiam vigore litterarum dimissorialium suorum Ordinariorum, et cuiusvis alterius facultatis ad dictos Ordines promovere se faciant, nisi praevio examine ab Examinatoribus in Urbe deputatis idonei reperti et adprobati fuerint, et a nobis licentiam in scriptis obtinuerint. Qui secus fecerint, ab Ordinum exsecutione

quem e sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non praemissis ante Ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana Sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab Ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso iure incurrunt: Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum.

Interdicta latae sententiae reservata.

I.

» Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso iure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis eiusdem Romani Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appellantia.

II.

» Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato Iudice, vel a iure interdictis; aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu Ecclesiae ipso iure incurrunt, donec ad arbitrium eius, cuius sententiam contempserunt, competenter satisfecerint.

» Denique quoscumque alios Sacrosanctum Concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso iure esse decrevit, Nos pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus.

Heic iterum paulisper sistimus inserentes Suspensiones vel Interdicta a Concilio Tridentino lata, ut has canonicas censuras Lectores sub oculis habeant.

eo ipso suspensi sint, nisi a SSmo D. N. Papa et S. Sede Apostolica absolutionis et habilitationis gratiam obtinuerint, decernentes praesentium exsecutionem, in locis solitis dimissis illarum copiis etiam impressis, ita quemlibet afficere, perinde ac si personaliter unicuique intimatae fuissent vel ostensae. In quorum fidem etc. »

Datum Romae die 24 Mensis Novembris 1603.

Hoc Decretum fuit quoque confirmatum ab Alexandro VII die 15 Maii 1664. Anno autem 1668 declarationes quaedam authenticae emissae sunt. Denique Benedictus XIV, Decreto diei 20 Martii 1743 quod incipit, *Cum inter*, adiecit suspensionem ab usu Pontificalium per annum in Episcopum, qui eos ordinaverit. Si haec documenta et ampliora quaeras, confer *Vol. II* latinarum ephemeridum *pag.* 586 *et seqq.*

Suspenduntur vel interdicuntur qui variis modis violant canones de sacra Ordinatione.

Sess. 23 ex cap. 8 de Ref. « *Unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cuiusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii praetextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi eius probitas ac mores, Ordinarii sui testimonio, commendentur. Si secus fiat, ordinans a collatione Ordinum per annum et ordinatus a susceptorum Ordinum exsecutione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.* »

Sess. 23 ex cap. 14 de Ref. « *Cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare.* »

Sess. 7 c. 10 de Ref. « *Non liceat Capitulis sede vacante, infra annum a die vacationis, ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias seu reverendas, ut aliqui vocant, tam ex iuris communis dispositione, quam etiam cuiusvis privilegii aut consuetudinis vigore, alicui, qui Beneficii ecclesiastici recepti sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere. Si secus fiat, Capitulum contraveniens ecclesiastico subiacet interdicto, et sic ordinati, si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio clericali, praesertim in criminalibus gaudeant. In maioribus vero ab exsecutione Ordinum ad beneplacitum futuri Praelati sint ipso iure suspensi,* »

Sess. 6 cap. 5 de Ref. « *Nulli Episcopo liceat cuiusvis privilegii praetextu pontificalia in alterius dioecesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, et in personas eidem Ordinario subjectas tantum. Si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio pontificalium, et sic ordinati ab exsecutione Ordinum sint ipso iure suspensi.* »

Sess. 23 c. 10 de Refor. « *Abbatibus ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat in posterum intra fines alicuius dioecesis consistentibus, etiam si nullius dioecesis vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, Tonsuram vel minores Ordines conferre; nec ipsi Abbates et alii exempti, aut collegia vel capitula quaecumque, etiam ecclesiarum cathedralium, litteras dimissorias aliquibus Clericis saecularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant. Sed horum omnium ordinatio, servatis omnibus, quae in huius Sanctae Synodi Decretis continentur, ad Episcopos, intra quorum dioecesis fines existant, pertineat; non obstantibus quibusvis privilegiis, praescriptionibus aut consuetudinibus etiam immemorabilibus. Poenam quoque impositam iis, qui contra huius Sanctae Synodi sub Paulo III De-*

cretum a capitulo (1) *episcopali sede vacante litteras dimissorias impetrant, ad illos, qui easdem litteras non a Capitulo, sed ab aliis quibusvis in iurisdictione Episcopi, loco Capituli sede vacante succedentibus, obtinerent, mandat extendi. Concedentes autem dimissorias contra formam Decreti ab Officio et Beneficio per annum sint ipso iure suspensi.* »

Sess. 14 ex cap. 2 de Ref. « *Nemo Episcoporum, qui titulares vocantur, etiam si in loco nullius dioecesis, etiam exempto, aut aliquo monasterio cuiusvis ordinis resederint, aut moram traxerint, vigore cuiusvis privilegii sibi de promovendo quoscumque ad se venientes pro tempore concessi, alterius subditum, etiam praetextu familiaritatis continuae commensalitatis suae, absque sui proprii Praelati expresso consensu aut litteris dimissoriis, ad aliquos sacros aut minores Ordines vel primam Tonsuram promovere seu ordinare valeat. Contra faciens exercitio pontificalium per annum, taliter vero promotus ab executione Ordinum sic susceptorum, donec suo Praelato visum fuerit, ipso iure sint suspensi.* »

Interdicuntur Episcopi, qui non denunciant Episcopos illegitime absentes.

Sess. 6 ex cap. 1. de Refor. « *Crescente vero contumacia* (Episcopi absentis ultra secundum semestre tempus) *ut severiori ss. canonum censurae subiiciatur, Metropolitanus suffraganeos Episcopos absentes, Metropolitanum vero absentem suffraganeus Episcopus antiquior residens, sub poena interdicti ingressus ecclesiae eo ipso incurrenda infra tres menses per litteras seu nuncium Romano Pontifici denunciare teneatur.* »

Sess. 23 ex cap. 14 de Ref. « *Episcopi quoque, quod absit, si ab huiusmodi crimine* (concubinatus) *non abstinuerint, et a synodo provinciali admoniti, se non emendaverint, ipso facto sint suspensi.* »

Hactenus de Suspensionibus vel Interdictis a Synodo Tridentina inflictis. Sic autem prosequitur et explicit Constitutio Sanctissimi Patris de qua agimus.

» Quae vero censurae sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, Nostris, aut Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut sacris canonibus praeter eas, quas recensuimus, latae

(1) Hoc Decretum est illud Sessionis 7 cap. 10 modo relatum.

sunt, atque hactenus in suo vigore perstiterunt sive pro R. Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcumque ordinum et institutorum regularium, nec non quorumcumque collegiorum, congregationum, coetuum locorumque piorum cuiuscumque nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus et declaramus.

» Ceterum decernimus, in novis quibuscumque concessionibus ac privilegiis, quae ab Apostolica Sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi umquam debere, aut posse comprehendi facultatem absolvendi a casibus et censuris quibuslibet Romano Pontifici reservatis, nisi de iis formalis explicita ac individua mentio facta fuerit: quae vero privilegia aut facultates, sive a Praedecessoribus Nostris, sive etiam a Nobis cuilibet Coetui, Ordini, Congregationi, Societati, et Instituto, etiam regulari cuiusvis speciei, etsi titulo peculiari praedito, atque etiam speciali mentione digno a quovis umquam tempore huc usque concessae fuerint, ea omnia, easque omnes Nostra hac Constitutione revocatas, suppressas, et abolitas esse volumus, prout reapse revocamus, supprimimus, et abolemus, minime refragantibus aut obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam specialibus, comprehensis, vel non, in corpore iuris, aut Apostolicis Constitutionibus, et quavis confirmatione Apostolica, vel immemorabili etiam consuetudine, aut alia quacumque firmitate roboratis quibuslibet etiam formis ac tenoribus, et cum quibusvis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, quibus omnibus, quatenus opus sit, derogare intendimus et derogamus.

» Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam *Sess. XXIV cap. VI de reform.* in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac Nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus.

» Decernentes has Litteras, atque omnia et singula, quae in eis constituta ac decreta sunt, omnesque et singulas, quae in eisdem factae sunt ex anterioribus Constitutionibus Praedecessorum nostrorum, atque etiam Nostris, aut ex aliis sacris Canonibus quibuscumque, etiam Conciliorum Generalium, et ipsius Tridentini, mutationes, derogationes, ratas et firmas, ac respective rata atque firma esse et fore, suosque plenarios et integros effectus obtinere; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Iudices Ordina-

rios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Anditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, et Apostolicae Sedis Nuntios, ac quosvis alios quacumque praeeminentia, ac potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere; et irritum atque inane esse ac fore quidquid super his a quoquam quavis auctoritate, etiam praetextu cuiuslibet privilegii, aut consuetudinis inductae vel inducendae, quam abusum esse declaramus, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

» Non obstantibus praemissis, aliisque quibuslibet ordinationibus, constitutionibus, privilegiis, etiam speciali et individua mentione dignis, nec non consuetudinibus quibusvis, etiam immemorabilibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

» Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae Constitutionis, ordinationis, limitationis, suppressionis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

» Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Sexagesimo Nono, Quarto Idus octobris, Pontificatus nostri anno vigesimo quarto.

M. Card. Mattei Pro-Datarius N. Card. Paracciani Clarelli

Visa de Curia

Dominicus Bruti

Loco † Plumbi I. Cugnoni

APPENDIX

DE CONSTITUTIONE, *APOSTOLICAE SEDIS*,

QUAESTIONES NONNULLAE GENERALES

Sanctissimus Dominus Noster per hanc Constitutionem quam exposui, reipublicae christianae consuluit, ut planior et certa tum Sacrorum Antistitibus tum Confessariis redderetur via, ne vagari cogerentur per innumeros et difficiles censurarum, quae generatim inflictae sint, anfractus.

Quod quisque non solum diserte significatum declaratumque legit in ea Constitutione, sed aperte quoque colligit ex ipsa abscissione et abrogatione facta quamplurimarum censurarum. Namque harum rerum Peritis perspectum est, quot auctores quantumque de censuris scripserint, quot per saeculorum decursum latas collegerint vel allegaverint, manente nihilo secius legentium animo saepenumero in dubietate perplexo, utrum nec ne, sive per non usum, sive per cessationem finis ob quem inflictae essent, sive ob rerum supervenientium mutationem cessaverint.

Licet autem, ut dixi, via planior et certa per eiusmodi limitationes Confessariis praesertim, quoad substantiam, sit reddita, non tamen est putandum, simplicem hanc Constitutionem Peritorum commentariis interpretationibusque locum non dare. Hoc enim est proprium omnium legum, etiam sapientissimarum, ut quando de earum applicatione agitur, viam facile aperiant dubitationibus atque disquisitionibus pro casuum adiunctorumque varietate. Exemplo sint vetustissimae Romanae Leges tum quae duodecim tabularum appellantur, tum ceterae quae sunt consecutae: hae enim licet pro veterum Romanorum more sapientissime concinnarentur, nihilominus adeo Prudentum interpretationibus auctae fuerunt, ut Iustinianus Imperator suo tempore manum apponens ad Pandectas concinnandas per Tribonianum, scriptum reliquerit: *Maximum opus aggredientes, ipsa vetustatis studiosissima opera iam paene confusa et dissoluta eidem viro excelso* (Triboniano) *permisimus tam colligere, quam certo moderamini tradere. Sed cum omnia percontabamur, a praefato viro excelso suggestum est, duo paene millia librorum esse conscripta, et plus quam tricies centena millia versuum a veteribus effusa, quae necesse esset omnia et legere et perscrutari, et ex his quod optimum fuisset eligere. Quod caelesti fulgore et summae Trinitatis favore confectum est secundum nostra mandata.*

Huius quidem Constitutionis interpretatio ad rerum moralium peritos, qui fidelium conscientias dirigunt, maxime pertinet, quique iuxta recepta prudentiae moralis principia pro variis rerum adiunctis eam explanabunt: attamen quaedam praecipua capita in ea Constitutione habentur, quae occasionem nobis praebent, in medium deducendi nonnulla interpretationis legum principia, quae Constitutioni, de qua agimus, applicanda esse videntur.

Nec praetereundum est, rem facilem haud esse, legem novam (quamquam novae non sint res, de quibus Constitutio agit) explanare et interpretari; idque duplici praesertim de causa: 1. est, quod nova lex, ideo quia nova, nullam determinationem per usum est assequuta: 2. quia facile potest contingere, ut interpretatio a privatis data sit praeter vel contra mentem legislatoris, ex eo quod legislator non omnes praevidens casus in condenda lege, quibus intelligi a subditis potest, non omnibus casibus per latam legem prospexit, sicut prospexisset si praevidisset. Unde

saepe contingit, ut post aliquam datam Constitutionem subsequantur novae authenticae declarationes, quae et usum determinant, et mentem legislatoris uberius explanant.

Eiusmodi authenticae interpretationes sunt duplicis generis: aliae sunt simplices interpretationes datae iuxta consueta interpretandi principia, quae non differunt a privati auctoris interpretationibus nisi ratione auctoritatis. Sive enim ex. gr. S. Alphonsus ita legem interpretetur, sive S. Poenitentiaria, res in se est eadem, propterea quod eadem sunt principia quorum ope lex explanatur: est tamen diversa auctoritas; ob quam diversitatem interpretatio privati auctoris tantum valet quantum demonstrat; de interpretatione autem ab auctoritate facta non est quaerenda ratio. Quum autem eadem soleant esse interpretationis principia, iuxta eadem principia intelligi quoque debet authentica interpretatio.

Aliae sunt interpretationes authenticae, quae non tam legem interpretantur, quam mentem legislatoris in lege non satis significatam declarant: et ideo sunt interpretationes praeter legem et habent rationem novae legis: quae quidem interpretationes, quamvis non sint facile optandae, sunt tamen apprime servandae. Recentissima habemus utriusque generis exempla in declarationibus authenticis datis ad Constitutionem, *Nemo*, datam die 11 Aprilis 1869, qua conceditur Indulgentia plenaria in forma Iubilaei, quae exempla heic singillatim exponere supervacaneum foret.

I.

DE REVOCATIONE FACULTATUM.

Vetustissimus est in Ecclesia catholica usus, quo Romana Sedes et Episcopi quorundam criminum absolutionem sibi reservant sive ob censuram reservatam appositam, sive nulla censura adiecta: de qua re in *Sess. 14. de Sacram. Poenit. c. 7* sic Patres Tridentini sunt loquuti: « *Magnopere vero ad christiani Populi disciplinam pertinere, sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quaedam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis tumtaxat Sacerdotibus absolverentur: unde merito Pontifices Maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare.* »

Hac facultate utitur Romanus Pontifex in bonum Ecclesiae et fidelium; utscilicet disciplina ecclesiastica, quoad praecipua sua principia, in suo robore permaneat; et fideles gravitatem criminum magis magisque cognoscant per aggerem censurarum quarum absolutio Poenitentibus ex speciali gratia conceditur.

Quum autem non ut ardua nimis evadat absolutio, casus reserventur; ideo Romanus Pontifex communicat facultates speciales Cardinali Maiori Poenitentiario, cuius potestatem, quousque sese protendat, exposuit Benedictus XIV in celebri Bulla quae incipit *Pastor bonus* edita die 13 Aprilis 1744: atque praeter facultates rite concessas, quae in ea describuntur, alias quoque eidem pro rerum supervenientium varietate Pontifex tribuit vel protendit: idemque facit quoad alterum tribunal quod propagando christiano nomini praesidet, quoad omnes, qui in locis missionum versantur. Per eiusmodi tribunalia non solum conceduntur facultates quae pro singulis casibus petantur, sed dantur quoque Episcopis ampliores minoresque, pro variis in quibus versantur locis, facultates absolvendi a censuris S. Sedi reservatis; et Confessarii obtinere possunt similes facultates: quae quidem ad tempus determinatum tum Episcopis tum Confessariis concedi solent.

Quaerimus nobis itaque I. Utrum eiusmodi facultates personales, quae ad tempus a sancta Sede conceduntur ac concessae fuerint, vel forte etiam perpetuae, si quae sint, per Rescriptum concessae sive Episcopis sive Confessariis, revocatae sint per verba Constitutionis, *Apostolicae Sedis*, quae leguntur in §. *A quibus*, post enumeratas excommunicationes speciali modo Romano Pontifici reservatas.

II. Utrum extraordinariae facultates, per Iubilaeum concessae, revocatae censendae sint.

Hisce quaesitis iam SSmus Dominus Noster suae vocis oraculo respondere dignatus est his verbis latine conversis: *Per Constitutionem se nullatenus*

intendisse, ne minimum quidem, detrimentum inferre facultatibus cuiuscumque indolis, quae a Sancta Sede ante promulgationem eiusdem Constitutionis concessae fuerint, sive hae quinquennales, sive extraordinariae, sive respicientes ad praesens Iubilaeum; seque velle, ut in suo pleno vigore permaneant, tempore perdurante in dictis concessionibus sive indultis praefinito (1).

Immo scimus, per S. Poenitentiariam renovari Confessariis consueta Indulta, quae vulgo *Pagellae S. Poenitentiariae* appellantur, sine ulla immutatione, quibus tantum nunc adiicitur clausula, *non obstante Constitutione* etc. Idque servabitur, usque dum nova indultorum formula concinnata non fuerit. Itaque nihil quoad huiusmodi concessiones innovatum intelligitur; eveniet tamen, ut nonnulla reservata peccata seu censurae, quae antea sine speciali indulto absolvi non poterant, nunc speciali facultate non amplius indigeant, quae in his indultis fuerit expressa.

Constitutio praeterea de qua agimus, enumerat quidem censuras generales, et indicat Tridentinas, statuitque, ut hae solae in vigore permaneant reliquis generalibus abrogatis; attamen in §. *Quae vero*, subiungit, ut firmae quoque permaneant censurae omnes quae generales non sint, et spectent ad aliquem peculiarem coetum vel locum, quaeque hactenus in suo vigore perstiterint.

Quoniam vero omnes facultates absolvendi a censuris reservatis simul revocentur, quae competant, puta, ratione officii, vel perpetui privilegii, vel dignitatis, quaeque reales appellari possunt; quaeri potest, utrum illae etiam facultates reales revocatae sint, quae respiciant censuras, reservatas quidem, sed peculiares coetuum vel locorum. Pone ex. gr. Regularem aliquem in censuram incidere, quae propria sit eius regularis Instituti, eademque fuerit Romano Pontifici reservata; pone pariter, Superiorem regularem, vel alium, habere ex aliquo perpetuo et legitimo titulo facultatem absolvendi Regularem ab ea censura: quaeritur, utrum per revocationem facultatum, quas dixi, intelligatur revocata etiam haec facultas.

Respondendum videtur, eiusmodi facultates non esse revocatas. Ratio est quia revocatio facultatum refertur ad enumeratas vel indicatas censuras generales reservatas; non vero ad censuras peculiares coetuum vel locorum: hae enim peculiares censurae ob eam tantum causam memorantur ne abrogatae per Constitutionem censerentur; nihil autem de his cavetur quoad facultatem absolvendi. Revocatio autem facultatum legitimarum non praesumi sed ostendi debet.

II.

DE CENSURIS TRIDENTINIS CONFIRMATIS.

In Constitutione de qua agimus, dum omnes censurae, quae ipso facto ac iure incurrendae latae universim sunt praeter enumeratas, abrogantur; confirmantur tamen censurae Tridentinae: sed constat Tridentinum Concilium alias censuras *directe* inflixisse, alias vero *indirecte*. Expedit hoc exemplis declarare.

(1) Ita se habent officiales litterae, quas ex mandato SSmi Patris scripsit Illmus et Rmus D. Adsessor S. Officii Laurentius Nina ad Illmum et Rmum D. Secretarium S. C. de Propaganda Fide die 12 Januarii hujus anni 1870.

« Il sottoscritto assessore del S. O. si è recato a premura di umiliare a Sua Santità nell' udienza di Feria IV 12 cor. il dubbio promosso da alcuni Vescovi a codesta S. C. di Propaganda per senso della Costit. Apostolica, *Apostolicae Sedis moderationi*, testè publicata, se cioè con essa s' intendano revocate ai medesimi le facoltà di assolvere dalle censure *latae sententiae* riservate specialmente al S. P., ed ora adempie al dovere di parteciparle il risultato.

» Sua Santità ha ordinato le si comunichi la stessa risposta data già sullo stesso argomento all' Emo Bizzarri per parteciparsi ai Rmi PP. Del Concilio che la richiedessero che cioè con la detta Costituzione il S. P. non ha punto inteso di recare la menoma alterazione alle facoltà di qualsiasi natura dalla S. Sede innanzi alla promulgazione della medesima accordate, siano esse quinquennali o straordinarie o relative al presente Giubileo, e vuole che rimangano nel pieno loro vigore durante il termine nelle rispettive concessioni od indulti prefinito. Laonde potrà ella partecipare ai Vescovi richiedenti questa stessa dichiarazione per loro quiete e governo. »

Censuras, quas directe Tridentina Synodus inflixit, iam retuli in Constitutione quam exposui. Censurae autem, quas eadem Synodus indirecte inflixit, illae sunt, quae indicuntur sive per generalia verba, ut ex. gr. in *sess.* 21 *c.* 1 *de Ref.* in qua legitur: *et qui secus fecerint....poenas a iure inflictas ipso facto incurrant.* Et in capite sequenti: *antiquorum canonum poenas super his innovando,* et ita passim. Sive per speciales allegationes, ut ex. gr. in *sess.* 14 *c.* 6 *de Ref.* in qua legitur: *Constitutionem Clementis V in Concilio Viennensi editam, quae incipit,* Quoniam, *innovando et ampliando.* In hac autem Constitutione, *Quoniam,* inter ceteras poenas recensetur etiam quaedam suspensio ipso facto incurrenda: item in *sess.* 24 *c.* 3 *de Ref.* legitur: *Aliis etiam poenis iuxta Constitutionem Concilii generalis Lugdunensis, quae incipit*: Exigit.... *mulctetur.* In hac autem Constitutione, *Exigit,* si quis mulctae non paruerit, interdictum ingressus ecclesiae ipso facto contrahendum edicitur, vel suspensio.

Quaero itaque, an censurae a Tridentino indirecte inflictae comprehendantur sub Constitutione, *Apostolicae Sedis*: vel ut aliis id exprimam verbis, utrum censurae a Concilio Tridentino sive per generalia verba, sive per speciales allegationes innovatae, in vigore sint post dictam Constitutionem.

Respondendum videtur, non comprehendi, nec in vigore esse post dictam Constitutionem.

Prima ratio petitur ex Constitutionis scopo, qui est, ut certus determinatusque censurarum numerus ad plura evitanda incommoda haberetur; quod legitur in eiusdem Constitutionis initio: « *Nos eiusmodi incommodis occurrere volentes, plenam earundem recensionem fieri nobisque proponi iussimus, ut, diligenti adhibita consideratione, statueremus, quasnam ex illis servare ac retinere oporteret, quas vero moderari, aut abrogare congrueret. Ea igitur recensione facta.... decernimus, ut ex quibuscumque censuris... nonnisi illae, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo quo inserimus, robur exinde habeant.* »

Porro nec certus esset censurarum merus, nec ea incommoda satis essent sublata, si intelligantur comprehensae censurae per generalia verba a Tridentino renovatae.

Quod spectat ad censuras renovatas per allegationes speciales, notandum est, paucissimas esse Constitutiones veteres a Tridentino sic renovatas, quae censuras ipso facto incurrendas contineant, eaeque, si unam vel alteram Constitutionem excipias, ita sunt innovatae, ut satis significaretur a Concilio censuras in illis contentas non intelligi innovatas.

Sane reperi, Tridentinam Synodum septem et viginti Constitutiones innovasse vel commemorasse, inter has, illae, quae censuras ipso facto incurrendas continent, sunt, Constitutio Sixti IV de immaculata Deiparae Conceptione, quae Constitutio incipit, *Grave nimis,* quaeque legitur in *Extrav. commun. l. III. de Reliquiis et venerat. Sanct. c.* 2, a Concilio Tridentino expresse innovata in *Sess.* 5 *de peccato origin.* §. 5. Per eam Constitutionem infligebatur excommunicatio ipso facto incurrenda, et Romano Pontifici reservata, illis omnibus qui catholicae doctrinae de Immaculata Conceptione contradicerent, sicut et illis, qui eam ut dogma iam definitum traderent. Haec Constitutio cessavit per anathema solemnissime adiectum doctrinae a SSmo D. N. definitae.

Altera Constitutio, quae censuras continet, commemoratur a Tridentino Concilio *in sess.* 14 *can. de Poenit.* his verbis: *Si quis dixerit... ad eam* (confessionem omnium peccatorum) *non teneri omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles iuxta magni Concilii Lateranensis Constitutionem semel in anno.... anathema sit.* » Constitutio Lateranensis commemorata est celebris canon his verbis editus: « *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno proprio Sacerdoti, et iniunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha eucharistiae sacramentum, nisi forte de consilio proprii Sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum; alioquin et vivens ab ingressu ecclesiae arceatur, et moriens christiana careat sepultura.* » At vero haec Con-

stitutio a Tridentino alia de causa fuit commemorata quam ob poenas; nec poena interdicti intelligitur latae sententiae sed ferendae, per verbum *arceatur*.

Tertia Constitutio, quae a Tridentino innovata continere videtur censuras, est illa, quam superius indicavi, Clementis V in Concilio Viennensi edita quae incipit, *Quoniam;* eaque plures poenas continet contra Clericos vestibus clericalibus Ordini congruentibus non incedentes, quam innovavit Tridentinum in *Sess.* 14 *c.* 6 *de Ref.* his verbis: « *si semel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum et Beneficiorum huiusmodi coerceri possint et debeant, Constitutionem Clementis V in Concilio Viennensi editam quae incipit,* Quoniam, *innovando et ampliando.* » Verum 1°, Tridentinum eam Constitutionem renovavit ampliando: quod secumfert, ut poenae, quas Tridentinum inferendas edixit, praevaleant poenis Constitutionis: 2°, in ea Constitutione agitur quidem de suspensione ipso facto incurrenda, sed de suspensione a fructibus tantum Beneficiorum et intra determinatum tempus, quae suspensio, cum consistat in privatione fructuum, nec censura appellari meretur.

Quarta Constitutio a Tridentino renovata, quae censuras continet, est illa, quam Tridentinum in *sess.* 24 *de Ref.*, agens de victualibus, quae ratione visitationis sunt Episcopis ministranda, his verbis innovavit: « *Quod si quispiam quod absit, aliquid amplius in supra dictis omnibus casibus accipere praesumpserit, is praeter dupli restitutionem intra mensem faciendam, aliis etiam poenis iuxta Constitutionem Concilii generalis Lugdunensis, quae incipit,* Exigit, *nec non et aliis poenis in synodo provinciali arbitrio synodi absque ulla spe veniae mulctetur.* » Porro in Const. *Exigit*, quae legitur in *c* 2 *de Censibus in* 6. quaedam mulctae infliguntur, *alioquin* (id est si non solvantur intra mensem) *ex tunc Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi ingressum sibi ecclesiae sentiant interdictum; inferiores vero ab officio et Beneficio noverint se suspensos, quoadusque de duplo etc.* » Quamvis in hac Costitutione de censuris ipso facto incurrendis agatur, attamen Tridentinum loquitur de poenis, quae pecuniaria mulcta consistunt: ac praeterea inde censuris verbum illud *mulctetur* quoque velit, intelligi tamen deberi, Tridentina dispositione, de censuris ferendae sententiae.

Haec de singulis Constitutionibus quae censuras ipso facto incurrendas continere videntur, quaeque a Tridentino innovatae sunt.

Alia denique generalis ratio habetur, quae ostendit in Costitutione, *Apostolicae Sedis*, non comprehendi censuras a Tridentino indirecte inflictas. Id scilicet ostendit ratio loquendi eiusdem Constitutionis. Nam ea loquendi ratio est in usu Romanae Curiae, ut quando agitur sive de poenis sive de constitutionibus, quas Tridentinum innovavit, dici non soleat poena a Concilio inflicta, vel Constitutio Tridentina, sed poena inflicta in Constitutione N. (adiecto scilicet Constitutionis nomine), vel Constitutio N., et saepius negliguntur quoque verba: *a Tridentino innovata.* Quum itaque haec sit consueta loquendi ratio, agaturque de Constitutione facta ad coercendum censurarum numerum, si non reperiantur verba: *censurae a Tridentino innovatae*, hae exclusae sunt censendae.

Porro in Constitutione, *Apostolicae Sedis*, haec verba non habentur; immo habetur quaedam verborum conceptio, quae ex sese eas excludere videtur; sic enim statuitur: *Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque quos Sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus; excepta anathematis poena in sess. IV,* de editione et usu sacrorum librorum *constituta etc.* » Et paullo post: *Denique quoscumque alios Sacrosanctum Concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso iure esse decrevit, Nos pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus.* »

Hac enim ratione dicendi, non solum censurae per Tridentinum innovatae vel implicite confirmatae heic non memorantur; sed directe indicantur legum violatores, quos Tridentinum voluit excommunicatos vel suspensos vel interdictos cum adiunctis quibus ipsum voluit: quae verba non bene applica-

rentur illis quos censuris subiecerunt alii canones, licet a Tridentino aras memorati vel innovati, quin significaret. ipsum Concilium expli...

III.

De censuris, quae circa eandem materiam versantur, latis tum a constitutione de qua agimus, tum a tridentino concilio.

Quando Tridentinum de aliqua materia agens censuras explicite inflixit, quin sacros commemoraret canones, dici solet, hoc ipso facto, censuras si quae essent latae de eadem materia a veteribus canonibus, manere abrogatas; propterea quod Concilium Tridentinum nova ratione de eadem materia prospexit.

Haec autem dici non possunt de Constitutione, *Apostolicae Sedis*, quoad Tridentinum. Id patet non solum ex eo quod Constitutio voluit, ut censuris subiicerentur, quos subiectos voluit Tridentinum; sed etiam ex eo, quod unam excepit censuram sessionis IV. *de editione et usu sacrorum librorum*, quam temperavit.

Hisce positis, duplicem exercitii causa facimus hypothesim: 1ª, ponamus censuram aliquam Pontificiam non posse cohaerere cum censura Tridentina in eadem materia: quaeritur quaenam vincat, an Pontificia vel Tridentina? 2ª Ponamus censuram Pontificiam posse quidem componi cum censura Tridentina quia diversos eiusdem rei respiciant casus, sed si censura Pontificia specialem vel non specialem habeat reservationem, debent ne dici pari modo specialiter vel non specialiter reservata censura Tridentina?

Ad primam quod spectat quaestionem facilis quidem est responsio; namque principium est in canonica iurisprudentia, universales leges, anteriorem et posteriorem, si ad invicem componi non possint, posteriorem derogare anteriori: sed praeterea in legibus de quibus agimus huic rei est iam prospectum per clausulam Constitutioni Pontificiae appositam his verbis: « *Decernentes has Litteras atque omnia et singula, quae in eis constituta et decreta sunt, omnesque et singulas, quae in eisdem factae sunt ex anterioribus Constitutionibus... etiam Conciliorum Generalium et ipsius Tridentini, mutationes ...gationes ratas et firmas... esse.* » Ideoque si quid in conflictu veniat, quod componi non possit inter Pontificiam Constitutionem et Tridentinas dispositiones praevalere debet Constitutio Pontificia.

Ad secundam quod spectat quaestionem pariter non difficilis videtur responsio. Namque quando Constitutio Pontificia da una re agens casum specialiter reservat, et Tridentinum, de eadem re agens et alios considerans casus, reservationem non adiiciat, vel non pari modo reservet, hoc tantum secumfert, ut censurarum ordo ratione reservationis non congruat cum ordine censurarum ratione materiae; quod hoc exemplo potest illustrari. Censura XI de excommunicatione Romano Pontifici specialiter reservata infligitur illis his verbis significatis: « *Usurpantes aut sequestrantes iurisdictionem, bona, redditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut Beneficiorum pertinentes.*

Concilium Tridentinum de eadem re agens in *sess.* 22 *c.* 11 ampliores numero casus considerans, eos, qui usurpant, vel usurpata quovis modo recipiant, ecclesiae et locorum piorum bona, excommunicationi subiecit Romano Pontifici simpliciter reservatae.

Constitutio Pontificia in censura III excommunicationi nemini reservatae subiecit « *Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque beneplacito Apostolico ad formam Extravagantis*, Ambitiosae, *de Rebus Eccl. non alienandis.*

Itaque triplici loco sermo habetur de bonis ecclesiasticis, sive de usurpatoribus eorundem, sive de usurpatoribus quorumcumque bonorum et usurpata recipientibus vel retinentibus, sive de alienantibus vel recipientibus per contractus non usurpata absque Apostolica venia. Hi omnes excommunicationi ipso facto subiiciuntur; et ratione excommunicationis et rei de qua agitur ad unum genus unamque classem referuntur: at vero non possunt sub unam classem recenseri si de censurae reservatione ratio habeatur; sed in triplicem classem sunt distinguendi, quorum primi incurrunt excommunicationem Romano Pontifici specialiter reservatam, secundi non specialiter reservatam, tertii denique nulli reservatam.

IV.

DIFFICULTATES QUAE OBIICIUNTUR IN APPLICANDA CONSTITUTIONE.

Non semel audivimus nonnullos haec obiicientes: in Constitutione de qua agimus, quasdam obligationes statutas esse, censuris quoque sancitas, quae plurimis in nationibus, aetate qua vivimus, applicari non possunt, ut lex non trahendi clericos causasque ecclesiasticas ad laica tribunalia; lex asyli, quae tum a Guberniis tum a fidelibus penitus ignoratur; lex denunciandi sectariorum occultos duces et coriphaeos, quae multis in locis christiano populo vix dici posset; et alia id genus. Eiusmodi difficultates ex eo petuntur, tamquam ex suprema causa, quod Gubernia iura Ecclesiae non admittant, legesque et consuetudines hisce legibus adversae vigeant.

His difficultatibus generice obiectis non potest breviter nisi generice responderi; atque respondeo: 1°, eiusmodi obligationes novae non sunt in catholica Ecclesia, sed vetustissimae; et Constitutio non solum eas obligationes non creavit, sed immo mitius quoad adiectas poenas egit; poenas enim limitavit. 2° Si hae leges servari non possint ob conditiones penitus anormales, in quibus fideles populos reperiri contingat, non ideo legislator abra[illegible] debet, ab his legibus commemolegibus ad[illegible]andisque: de talibus enim que, ecclesiast[illegible]arum, saltem pleraetum constituunt, [illegible]ciplinae fundamenninituntur, quae cum Ecc[illegible]iis quoque tutione cohaerent. Fidelibus aut[illegible] clesiasticisque viris per quam utile semper erit, ut cognoscant, quid ecclesiastica disciplina exigat, ne pedetentim putent, iure alios facere, quod contra Ecclesiae iura et honestatem publicam publicumque bonum iniuria faciunt. 3° Falsum est, eas leges non posse in plurimis nationibus universim servari. Variae enim sunt rerum hominumque conditiones in variis locis; et quod uno in loco forte servari non possit, vel aegre admodum possit servari, in multis aliis servabitur; praesertim si Episcopus sua vigilantia cognoscat, difficultates, si quae sint, se posse suo zelo superare, easdemque superare aggrediatur. 4° In praxi autem, quid sit Confessariis agendum pro singulis rerum, hominum locorumque adiunctis, iam tradiderunt probati auctores, quum non agatur de re nova, et firma maneant principia prudentiae moralis, quae suggerunt, quibus in adiunctis lex ecclesiastica non obliget, et quomodo Confessarii cum poenitentibus, sive scientibus, sive bona fide leges ignorantibus sese gerere debeant.

PETRUS AVANZINI ROMANUS PRESBYTER

IMPRIMATUR
Fr. Marianus Spada O. P. S. P. A. Magister

IMPRIMATUR
Joseph Angelini Archiep. Corint. Vicesg.

DE CASUUM RESERVATIONE

IN SACRAMENTO POENITENTIAE

TRACTATIONIS DIVISIO

Hanc dissertationem in duas partes dividimus. In prima erit quaestio tum de reservatione in genere, ejus scilicet quidditate, divisione et fine, de potestate, et regulis illam statuendi et interpretandi; tum de conditionibus ad reservationem incurrendam requisitis, et causis ab illa excusantibus: et descendentes ad reservationem in specie dicemus sive de casibus Pontifici reservatis ratione sui, sive de reservatis Episcopo tum jure communi, tum jure particulari in nostra dioecesi (Taurinensi), et de reservatis in Religione. In altera dicemus de absolutione a reservatis tum jure ordinario, tum jure delegationis et de poenis, in indebite absolventes a reservatis, statutis, et disputationem absolvet quaestio de potestate in reservata Pontifici, quam habent Praelati Regulares erga subditos.



PARS PRIMA

CAPUT I.

Quid reservatio, an et a quibus valeat indici, illius divisio et finis, quomodo interpretanda, et quae regulae in illa statuenda.

Reservatio, quae generatim loquendo nil aliud est quam quaedam exceptio, prout in peccata fertur, vel poenas peccatis adnexas, communiter definitur: Restrictio seu limitatio jurisdictionis inferiori sacerdoti ad absolvendum concessae. Per reservationem igitur alicujus peccati, vel poenae, tollitur, seu non conceditur sacerdoti inferiori jurisdictio ad absolvendum ab illo peccato, vel poena quae reservatur, dum tamen fit facultas absolvendi ab aliis; et hinc casus reservatus est ille, cujus absolutio non permittitur cuivis confessario, sed cujus remittendi facultas manet penes superiorem reservantem, vel penes alium confessarium ad id a superiore delegatum. Quid reservatio.

Certum est in Ecclesia esse potestatem quaedam peccata reservandi a superioribus Praelatis, ita ut inferiores confessarii non possint ab iis absolvere; assertio est de fide definita in Tridentino (sess. 14, can. 11), ubi habetur: «Si quis dixerit Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam; atque ideo casuum reservationem non prohibere quominus sacerdos a reservatis vere absolvat; anathema sit.» Superiores qui reservare possunt peccata, sunt Summus Pontifex respectu totius Ecclesiae; Episcopi, quorum nomine veniunt omnes Praelati habentes proprium independens territorium et jurisdictionem quasi Episcopalem, respectu confessariorum suae dioecesis, quos ipsi approbant, etiam parochorum et religiosorum; Praelati Regulares quasi Episcopalem auctoritatem habentes, respectu suorum subditorum. Indicendae reservationis in Ecclesia potestas.

Quibus competat potestas reservandi.

Parochi non possunt, saltem de facto, sibi casus reservare.

Parochi non possunt saltem de facto sibi reservare casus; nam juxta hodiernam Ecclesiae praxim sacerdotes inferiores non solum approbationem, sed saltem de facto et jurisdictionem accipiunt ab Episcopo, quam proinde jurisdictionem parochi, utpote a superiore collatam, limitare non possunt casuum reservatione (1).

(1) Dicimus saltem de facto simplices sacerdotes ad confessiones audiendas approbatos, juxta hodiernam Ecclesiae praxim, jurisdictionem in foro poenitentiae accipere ab Episcopo. Hoc nullus hodie videtur negare et sic saltem ob hanc rationem, nullam ultra habet parochus potestatem reservandi sibi casus. Verum an solo jure inspecto, et non eo quod contingere solet, sed quod absolute contingere potest, parochi donentur facultate reservandi sibi casus, affirmant valde communiter Theologi. Distinguunt enim valde communiter inter approbationem et jurisdictionem; et quamvis omnes concedant approbationem necessario esse obtinendam ab Episcopo, ut Tridentinum (Sess. 23 de Ref. c. 15) requirit, dicunt tamen jurisdictionem adhuc et post Tridentinum non necessario obtinendam ab Episcopo, et haberi adhuc posse a Parocho, sicut et a quotquot habent ordinariam jurisdictionem in foro poenitentiae. In hac sententia approbatio est simpliciter actus intellectus, et communiter a praedictis DD. definitur: Testificatio qua Episcopus fidem facit sacerdotem aliquem idoneum esse ad confessiones audiendas. Sed licet minus communiter, probabilius tamen alii cum Clericato, decis. 37, n. 8. et 25; Billuart, diss. 6 art. 5.; Goritia, tavol. 155; Antoine, c. 3. quaest. 3, cum quibus et bene videntur Pattuzzi, c. 3, n. 4; Concina, c. 3; Albertus a Bulsano et Scavini, 417, (IX edit.) licet aliqualiter obscure, approbationem a Tridentino requisitam, ut simplices sacerdotes confessiones saecularium excipere valeant, non distinguunt a jurisdictione, et sicut illam omnino ab Episcopo obtinere oportet, sic et istam dicunt. In hac sententia approbatio est simul actus intellectus et voluntatis, et approbatio definitur: Testimonium juridicum quo Episcopus fidem facit se ad confessiones in sua dioecesi audiendas talem sacerdotem approbasse et deputasse. Et secundum hanc sententiam nullus relinquitur locus potestati parochorum sibi reservandi casus. Dum enim Episcopus sacerdotes approbat, confessarios instituit, et illis confert jurisdictionem, quam nullus inferior, ut per se patet, limitare potest. Haec sententia, licet minus communis, habet pro se auctoritatem magni ponderis, constitutionis scilicet *Apostolicum ministerium*, 12 maji 1753, Benedicti XIV, qui ibi, § 8, ait: «Duos omnino actus complectitur approbatio, quorum primus ad intellectum, alter spectat ad voluntatem. Proprium enim est intellectus debita ac necessaria scientia in examinato deprehensa, illum confessionis muneri obeundo aptum existimare. At non nisi voluntatis est, facultatem confessionum audiendarum liberam plenamque facere, sententiamque de eo proferre, qui approbatori subjicitur. Primum itaque ab examinatore praestatur, cujus fidei et integritati innititur, atque acquiescit, qui confessiones audiendi facultatem in limitibus, et confiniis sibi assignatis impertitur. Alterum immediate peragitur ab ipsomet superiore, cujus est praedictam facultatem concedere.» Cum enim ibi doceat praefertus Pontifex approbationem importare liberam et plenam licentiam audiendarum confessionum, haec autem videatur omnino includere jurisdictionem, ut notat Bartolus penes Clericato, decis. 38; non ergo approbatio a jurisdictionis delegatione separari debet. Insuper passim a Summis Pontificibus approbatio dicitur licentia; hoc potest observari in cit. constit. Bened. XIV, qui ibi pluries repetit licentiam ordinarii vel facultatem esse necessariam ad sacramentum Poenitentiae administrandum, ut v. g, § 9, 22 et § 7, ubi dicit Regulares teneri examen subire, et consensum ab Ordinario dioecesano impetrare ad confessiones audiendas; et idem verbum licentia pariter occurrit et in Bulla *Superna*, Clementis X, et semper assumitur in Clementina *Dudum de sepulturis*, et Extrav. *Inter cunctas*. Et Tridentini verba etiam videntur huic opinioni favere; dicit enim nullum posse confessiones audire, nec ad id idoneum reputari, *nisi idoneus judicetur et approbationem obtineat*. Ex quo vides,

Reservatio alia est Papalis, alia Episcopalis, alia Regularis, prout casus reservatur Pontifici, vel Episcopo aut Praelatis habentibus jurisdictionem episcopalem, vel Praelatis Regularium. Rursus reservatio ita adhuc dividitur, ut alia dicatur ratione sui, alia ratione censurae. Si reservetur culpa aliqua propter se et ejus malitiam, quaeque non habeat censuram annexam, vel independenter a

Reservationis divisio.

ultra judicium idoneitatis, in quo prima sententia ponit approbationem, Trident. adhuc approbationem requirere, quod est licentia audiendi confessiones, quod tandem non est improbabile Suarez, disp, 28, sect. 5, 7. Illa autem licentia, ut jam dixi, videtur non posse esse sine collatione jurisdictionis, nec aliud videtur posse intelligi a Tridentino nisi hanc licentiam sub approbationis nomine requiri. Si enim haec approbatio nil aliud esset quam idoneitatis judicium, alterutrum tantum, non utrumque membrum, posuisset Sancta Synodus, et vel tantum dixisset «nisi idoneus judicetur», vel tantum «nisi approbationem obtineat»; et eumdem sensum utrique membro tribuere, est Tridentino adscribere hanc loquutionem: *nisi idoneus judicetur, et nisi idoneus judicetur;* quod nullo modo videtur conveniens.

Sed et confirmatur ex eo quod approbatio a Tridentino videatur expostulari ut dispositio proxima non ad id, quod aliquis possit jurisdictionem accipere, sed ad id quod possit confessiones audire; dicit enim: *nullum posse confessiones audire:* dispositio autem proxima et ultima pro audiendis confessionibus nulla alia esse potest nisi sola jurisdictio, ergo vere sub approbationis nomine jurisdictionem intellexisse Tridentinum videtur. Et adhuc confirmatur: Tridentinum aequalem vim pro audiendis confessionibus tribuit beneficio parochiali et approbationi. Atqui habens beneficium parochiale potest confessiones audire absque alia delegatione; ergo item posse dicendus qui habet approbationem; ergo approbatio jurisdictionem includere debet; ergo bene videtur approbationem a Tridentino requisitam importare jurisdictionem.

Ulterius Episcopi dum confessarios approbant, illis etiam jurisdictionem conferunt. Ita fert praxis universalis, ut omnes recentiores fatentur et etiam ex antiquis plurimi cum Suarez, disp. 28, sect. 4, 13, quamvis Lugo, disp. 21, 20, dicat plerumque Episcopum Sacerdotes approbare ut valeant confessiones audire de consensu Parochi, sub hac formula de consensu parochi intelligendo quod debuissent jurisdictionem a Parocho accipere, solum in prima sententia haec collatio jurisdictionis fiet per novum actum Episcopi, ab approbatione distinctum. At si vere jurisdictio esset conferenda per novum actum ab approbatione distinctum, videtur quod non fuisset tam generalis consuetudo introducta conferendi jurisdictionem per approbationem, et per eumdem actum qualis est. Quin imo haec generalis consuetudo videtur etiam probare Episcopos communiter intellexisse approbationem requirere jurisdictionis collationem. Et quamvis daretur Episcopos aliquando consuevisse approbare, sub conditione Parochi consensus, non inde sequitur quod non contulissent approbando jurisdictionem, et quod hanc a Parochis accipere illi sacerdotes sic approbati debuissent. Equidem enim potest Episcopus sacerdotem aliquem approbare, et illi facultatem facere audiendi confessiones, sub conditione tantum si ab aliquo alio, v. g., Parocho deputetur ad confessiones; sed hoc ideo potest quia potest approbationem limitare sub conditione aliqua, qua vero stante, ipse semper erit qui confert jurisdictionem per approbationem, quae veniente conditione transit in absolutam; saltem etiam dato quod fuerit illa consuetudo quam adducit Lugo, quae tamen adhuc esset probanda, nil ex illa sequeretur contra sententiam, quae valde probabilior mihi est, quaeque dicit approbationem a Tridentino requisitam ut quis possit confessiones excipere, et idoneum ad illas reputari, includere et importare jurisdictionis collationem, vel ad minus licentiam utendi jurisdictione; quod addimus propter Regulares, qui valde communiter dicuntur accipere jurisdictionem a Papa vi privilegiorum suorum; quam quaestionem non est hic excutere, quamque inter alios bene expendit Clericato, decis. 38 a n. 10; potest et videri Bouix, de jure Regularium, part. 5, c. 3, q. 2.

poena qua puniatur, dicitur reservatio ratione sui; quod si culpa plectatur censura, quae censura reservetur, reservatio dicitur ratione censurae.

Reservationis finis.

Finis reservationis est, ut atrociora crimina puniantur et facilitas ea committendi coerceatur propter difficultatem absolutionis obtinendae, et propter erubescentiam comparendi coram superiore; et ut graviores morbi serventur medicis peritioribus, quales sunt superiores. Hanc disciplinam reservandi crimina atrociora et graviora in Ecclesia commendat Tridentinum sess. 14, c. 7.

Reservatio restringenda.

Reservatio non est amplianda, sed restringenda, quia odiosa est, sive eo quod limitat auctoritatem absolvendi in confessario, sive eo quod respectu poenitentis saltem secundario est poena et in ejus gravamen reddit; porro odia sunt restringenda. Est communis.

Regulae in reservatione indicenda.

Quia autem, scribit Benedictus XIV de Syn. lib. 5, c. 5, n. 4, Tridentinum Episcopos monuit, ne hac potestate in destructionem, sed aedificationem utantur; idcirco isti nimium faciles esse non debent ad reservationes multiplicandas; et refert ibi laudatus Pontifex, ut sint instar regulae, aliqua monita et decreta S. C. Episcoporum et Regularium, quibus repetitis vicibus locorum Ordinarii monentur, ne pluribus, quam opus sit, reservationibus subditis, aut confessariis in animarum salute procuranda cooperantibus sint onerosi, et ut paucos casus eosque tantum quos ad christianam disciplinam retinendam, animarumque sibi creditarum salutem, pro cujusvis dioecesis statu et qualitate necessario reservandos esse judicaverint, reservent, interim abstinentes a superflua reservatione casuum, qui in Bulla Coenae continentur, vel jam specialiter Sedi Apostolicae reservati sunt. Circa quod eadem S.C., (26 novemb. 1602), Literas Enciclicas ad Episcopos dedit in hunc tenorem: « Praecipue vero haec monenda censet Sacra Congregatio, ut videant ipsi Ordinarii, ne illos casus promiscue reservent, quibus annexa est excommunicatio major, a jure imposita, cujus absolutio nemini reservata sit, nisi forte propter frequens scandalum, aut aliam necessariam causam, aliqui hujusmodi casus nominatim reservandi viderentur; neque casus, in quibus absolutio, nisi cum restitutione, vel executione

eorum, ad quae poenitentes tenentur, non confertur; neque illos, qui, etsi mortale peccatum inducant, circa res tamen parvi momenti versantur, et frequenter inter idiotas evenire solent, uti damni dati, et similium. In peccatis etiam carnalibus reservandis multa utantur circumspectione, propter periculum scandalorum in iis maxime personis, in quas ob accessum ad confessarios extraordinarios, vel frequentem reditum ad ordinarios, suspicionis aliquid cadere potest. Postremo eam potissimum ineant et sequantur rationem, quae, consideratis diligenter cujusque provinciae, ac populorum moribus, natura, ac propensione, magis in Domino expedire videbitur. » Videatur et Clericato, decis. 44, n. 13. Et monet idem Summus Pontifex, de Syn. cit., lib. 5, c. 4, n. 3: Congruum esse ut reservatio fiat in Synodo, ne secus parochi conquerantur suam ordinariam potestatem, ipsis prorsus insciis, nimis admodum coarctari. « Nam quamvis Episcopus possit jurisdictionem absolvendi, quam aliis sacerdotibus delegat, omnino pro libito limitare, et ad paucissimas causas restringere; tanta tamen potestate non potitur quoad parochos, quorum jurisdictio etsi ab Episcopo pendeat, eique subjaceat, non est tamen delegata sed ordinaria, nec potest sine legitima causa, aut prorsus auferri, aut adeo imminui, ut fere inanis remaneat. »

Ad Galliam quod attinet, ait Bouix de Episcopo, p. 5, c. 21, prop. 3, attentis hodiernis circumstantiis, optima mihi praxis videretur reservationem ad duos tresve ad summum casus regulariter loquendo restringere; et quod Bouix dicit hodie de Gallia, fortasse potest dici et de aliis regionibus. Et ipse Concina, lib. 2, diss. 2, cap. 6, refert valde urgentem epistolam cancellarii Parisiensis ad quemdam Episcopum, in qua moderationem in casibus reservandis maxime commendat, etiam malis notatis, quae, ex nimis coarctata potestate confessariorum absolvendi, facile possunt evenire. Circa quod, si quidpiam mihi advertere licet, dicerem Episcopos in reservatione statuenda non tam debere inspicere gravitatem peccatorum in se. Nam si propter hanc solam rationem illa peccata utile esset reservari, quum illa gravitas intrinseca sit culpae, et culpa ubique talis sit, speculator domus Israel, qui Jerusalem custodien-

dam habet, illa reservare non desineret; neque enim hic dormitabit, neque dormiet. Unde potius videtur Episcopos inspicere debere gravitatem peccatorum relate ad populum suum, idest an et quae peccata et quidem ex gravioribus magis frequententur in populo ipsis commisso, et magis praejudicium illi afferant, quam frequentiam per reservationem spes sit minuere, et quod praejudicium avertere.

CAPUT II.

Quae conditiones ut peccatum censeatur reservatum.

Secundum receptam Ecclesiae praxim ut peccatum sit reservatum plures requiruntur conditiones; et 1. debet esse *mortale.* Nam etsi absolute veniale reservari possit, tamen de facto nullum veniale reservatur, imo de facto solum reservantur graviora et atrociora. Quae tamen ex objecto venialia sunt sicut possunt fieri gravia ob aliquam circumstantiam, et non parvi discriminis populo christiano, ideo aliquando poterunt, utpote ratione adjunctorum gravia, reservari. Dicunt vero hic nonnulli quod sicuti Tridentinum docet solum atrociora et graviora crimina esse sub reservatione ponenda, quod pariter commendatur per decreta S. C. et monitionem Clementis VIII, ideo esse concludendum, quando Episcopus reservat sibi aliquod crimen quod ex genere suo non esset atrox nec valde grave, illud non esse reservatum, nisi secum ferat aliquam circumstantiam, quae illud valde grave reddat. Et afferunt pro exemplo furtum non qualificatum, quod ajunt, si reservetur aliquando ab Episcopo, non esse existimandum reservatum nisi notabiliter excedat quantitatem, quae ad materiam gravem requiritur, nisi saltem constet de contraria mente reservantis. Verum hoc non videtur sine difficultate. Nam dato de aliquo peccato non tam gravi ex genere suo quod non debeat intelligi reservatum statimac materiam gravem attingat, quando erit

1. Ut sit mortale.

dicendum primo sub reservatione cadere? Quae mensura et quo procedendum judicio ad statuendum nunc et non prius et nec postea haberi illud gravitatis et atrocitatis genus de quo loquitur Tridentinum, et quod sub reservatione ponere vult superior? Unde mihi videtur dicendum, quod quamvis Episcopi non debeant absque causa, juxta praecitatas monitiones, sibi reservare crimina communia, sed solum graviora, si tamen aliquando aliquod ex illis in albo reservatorum inscribant, non solum id valide efficere, ut fert longe communior et tenenda sententia, sed etiam esse judicandum quod optimis rationibus ducti id faciant, et illa crimina esse reservata quando gravia sint in eorum genere, si caetera non desint.

2. Debet esse *externum*. Peccata interna posse reservari est communis sententia, quia eo ipso quod est necessaria jurisdictio ad illorum absolutionem, Ecclesia potest illam non conferre; at de facto peccata interna pariter ac venialia non reservantur, idque cavere debet Episcopus ex Bened. XIV, de Syn., lib. 5, cap. 5. 2. Ut sit externum.

3. *Externe mortale*, unde peccatum ex objecto et specie veniale secundum quod est externum, in individuo autem et ex intentione mortale non est reservatum, nisi superior id expressis verbis significet. Nam reservatio praecipue cadit in actum externum malum, ut bene ait Antoine, quaest. 1, ac proinde requirit actum externum mortaliter malum ex objecto. Et sicut sola voluntas interna non reservatur, ita nec quando non procedit in actum externum habentem ex se gravem malitiam. Sic, exempli gratia, in nostra dioecesi (1), est culpa reservata sub n° 6, II classis, percussio parentum, quae si contingat externe esse tantum venialis tum ratione injuriae, tum ratione laesionis, non erit sub reservatione, etsi ex odio vel mala voluntate percutiens graviter peccet; sic similiter si bonorum ad loca pia spectantium conversio in proprios usus fiat ab administratoribus in ea quantitate, quae non sit materia gravis, etsi isti dispositi sint alias in magna quantitate furari, si revera postea ultra non furentur, non erit culpa reser- 3. Externe mortale in genere suo.

(1) Saepe adducam in exemplum casus reservatos in dioecesi Taurinensi, quod et alienae dioecesis, si cui hoc scriptum deveniet, utile judicavi, probe noscens reservationes apud nos statutas, fere ubique et receptas vigere.

vata, etsi caeterae aliae conditiones haberentur a lege reservationis petitae, et peccati mortalis rei facti fuerint ob supradictam pravam voluntatem.

Nec sejunctum a formali interna malitia.

Insuper oportet ut actio interna concordet cum externa in ratione peccati reservati, alias non verificabitur fuisse formaliter commissum peccatum reservatum. Sic qui peccat cum consanguinea in gradu prohibito a lege reservationis, ignorans tamen illam foeminam esse sibi consanguineam, vel si agnoscit judicans inculpabiliter peccatum cum ista non esse malitia diversum, ac si peccaret cum alia foemina, iste non incurreret reservationem; nam licet actio externa habeat materialiter malitiam incestus, quia tamen malitia interna est solum contra castitatem, nec peccaminosa est ratione incestus, hinc est quod neque actio externa, quae ab interna desumit formalem malitiam, mala sit formaliter ratione incestus, ideoque non cadit sub hujus reservatione. Roncag., quest. 6, pag. 105. Et ob eamdem rationem, si peccatum ut sit reservatum aliquam circumstantiam aggravantem debet habere, et haec circumstantia debet ab operante nosci, et peccatum ut sit formale etiam in ordine ad hanc circumstantiam requisitam oportet, salvis semper contrariis peculiaribus declarationibus.

4. Ut sit completum.

4. *Completum in suo genere*, scilicet in ea specie, quae reservatur, consummatum, nisi pariter aliter expresse habeatur in lege. Igitur in nostra dioecesi ubi est casus reservatus homicidium voluntarium, quod quis sive per se, sive per alium perpetraverit, non incurrit reservationem qui graviter tantum vulnerat, etiam cum intentione occidendi, si mors non sequatur. Similiter non erit reservatus incestus etiam inter consanguineos vel affines in gradu expresso in reservatione, nisi semen intra vas naturale fuerit emissum.

Unum adhuc exemplum afferam. Sub n° 1° secundae classis in nostra dioecesi reservatur blasphemia contra Deum aut sanctissimam ejus Matrem, vel uno praesente, qui advertat prolata; blasphemia igitur quae reservatur, est blasphemia quae dicitur propria, scilicet quae ore fit; hinc, si quis aliquod verbum per se blasphemiam praecise non continens, irate proferret contra imaginem Christi vel

Beatae Virginis, quas etiam animo malo et perversis factis dehonestaret, reservationem non incurreret, quia blasphemia prout in casu non est perfecta in ea specie, in qua reservatur; supponimus enim verba quae proferuntur, blasphemiam ex se non continere contra Christum vel Beatam Virginem.

Corollaria.

Hinc sequitur, eum qui mortali vulnere aliquem percussit, antequam mors eveniat, posse absolvi a simplici confessario, nec postea teneri cum vulneratus decesserit denuo homicidium confiteri; nam cum illud primum confessus est, directe potuit ab illo absolvi; nondum enim erat in suo genere completum, prout lex reservationis decernit, et ideo nondum reservatum. Peccatum vero directe semel remissum nullo in adjuncto est iterum ex obligatione confitendum. Item dic de eo qui mandatum dederat ad occidendum, et quum jam non posset ullo modo mandatum revocare, illius poenitens confessus est, dum homicidium nondum erat secutum; vel de eo qui potionem dedit puellae ad abortiendum, quique confessionem instituit dum abortus nondum contigerat; isti possunt absolvi a simplici confessario, et quamvis postea effectus tum mortis, tum abortus sequatur, nulla erit ultra obligatio illud peccatum confitendi habenti potestatem in reservata. Alasia, 192; Salm. de cens., cap. 1, 153; S. Alph., lib. 7, 40 contra Concina; quia jam fuit directe illud peccatum absolutum; imo si agatur de reservatione ratione censurae, etsi confessio non praemittatur antequam eveniat effectus qui sub censura prohibitur, si tamen causa meliori quo fieri potest modo revocetur, et vera contritio habeatur, nulla amplius incurritur reservatio quum effectus continget, quia non incurritur censura in casu. Nam censura est poena medicinalis ecclesiastica non ad punitionem, sed ad emendationem ordinata, quae proinde non infligitur in eum qui jam est emendatus. Etenim qui ab infirmitate quam contraxerat jam invaluit ultra non indiget medicina. Idque est valde commune penes theologos. Videatur Sanctus Alphonsus, lib. 7, 40. Et subdunt alii, neque in casu incurri reservationem ratione sui, et hanc addunt rationem, quia revocata causa per poenitentiam, effectus, qui ab illa sequitur, et qui non potest impediri,

jam in se non erit amplius culpabilis, prout videtur requiri ad reservationem. Vid. Salm. loc. cit., de censuris, c. 1, 153; Roncaglia, de poenit., q. 7, c. 1, q. 6. Nam quum haec sit strictae interpretationis si non infligatur nisi tali effectu sequuto intelligenda est cum effectu culpabili in se etiam dum actu contingit. Sed quid mihi circa hanc quaestionem videatur, dicam modo hoc eodem capite sub sexta conditione.

5.Ut sit certum. 5. *Certum*, et certitudine quae excludat dubium tum *facti*, tum *juris*. Dubium facti habetur quando dubitatur an peccatum, quod certo in lege reservationis includitur,

Dubium aliud est facti. habeat ex parte materiae sufficientem gravitatem ad mortale, vel an fuerit commissum cum sufficienti deliberatione et advertentia, quae sufficiat ad peccatum mortale, vel an objectum peccati habuerit conditiones in lege requisitas; v. g., an vere clericus fuerit quem quis percussit, vel an omnes adsint circumstantiae, quibus solum existentibus, reservatur peccatum; puta si dubites an blasphemiam, quae quidem est contra Deum, vel Beatissimam Virginem, prout apud nos requiritur ut sit reservata, aliquis adverterit a te fuisse prolatam, quae circumstantia penes nos etiam requiritur ad reservationem. Dubium

Dubium aliud est juris. juris erit quum peccatum aliquod est certe commissum, et est certe grave, sed dubitatur an sub lege reservationis cadat, eo quod lex reservationis non omnino est perspicua quoad illud peccatum, et alii aliter illam legem pro illo casu interpretantur. Sic, v. g., in duello an principales reservationem ratione censurae incurrant, ex eo quod solum offerant, vel acceptent duellum, quod postea non sequatur, disputant theologi. Videri possunt Sanchez, Decalog. c. 39, 28; Salm. tract. 10, c. 4, n. 44; Billuart, de charitate, diss. 7, art. 5; Diana, Coord. t. 5, tract. 1, res. 54 (1).

(1) Benedictus XIV, qui sua Constit. *Detestabilem*, 10 novembre 1752 nonnullas quaestiones circa materiam duelli definivit per aliquarum propositionum proscriptionem, presentem quaestionem intactam reliquisse videtur. Equidem propositio secunda in citata Constit. damnata, dicebat: «Excusari possunt etiam honoris tuendi, vel humanae vilipensionis vitandae gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam; » sed ut patet nullum in hac propositione habetur verbum, quod indicet principales in duello excommunicationem incurrere ex eo quod tantummodo offerant vel acceptent duellum, quod postea non sequatur. Nam illud verbum « excusari etiam possunt,» quod habetur in propositione, potius intelligendum est de culpa, quam de poena, maxime quia laudatus Pontifex, quae voluit sub poena declarare, aperte et explicite explicavit, ut in prima et tertia propositione in praedicta Constit. damnatis.

Sic et disputant an eamdem excommunicationem incurrat qui amico jam armato et parato ad duellum, a quo deterreri nullo modo potest, commodat arma meliora ut minori cum periculo pugnet. Videatur Diana, Coord. cit. tom. 5, tract. 1, resol. 63; Billuart cit.

Dubium moraliter diligentia excutiendum.

Sed notandum quod, quum poenitens vel confessarius dubitant an peccatum sit reservatum, tenentur inquirere communi diligentia, si id nondum fecerint, ut dubium evincatur. Inscitia enim confessarii vel poenitentis negligentia in praemittendo examine, non faciunt peccatum non esse reservatum, nec conferunt jurisdictionem; sed si adhibita debita diligentia dubium facti perseveret, vel si dubium sit juris, nullus erit reservationi locus; et quidem si dubium sit facti est communis sententia peccatum posse a quolibet confessario absolvi, quia reservatio est strictae interpretationis; unde debet intelligi de peccatis certe gravibus, vel certe habentibus conditiones quas lex designat, et quia in dubiis benignora semper praeferenda sunt maxime in re tam odiosa, qualis est reservatio, quae proinde non est extendenda ad casus dubios, sed ad solos claros et indubios, ac certe reservatos est coarctanda.

In dubio facti nulla habetur reservatio.

Neque in dubio juris probabilius.

Quod si dubium sit juris, licet nonnulli arbitrentur non licere confessario absolvere, quia in dubio an superior voluerit tale peccatum reservare oritur, prout ajunt, dubium de jurisdictione, in quo volunt non licere absolvere, saltem ordinarie loquendo; communior tamen sententia docet etiam in hoc casu posse absolvi ob supradictam rationem, scilicet quia reservatio est strictae interpretationis, et quia stante errore communi Ecclesia supplet jurisdictionem. Tamb.; Roncaglia, q. 4.; S. Alph., 600. Ferraris v. reserv. 40; Billuart, Gousset 492; Sporer 673, et bene illam firmat Collet, c. 9, § 4, IV, contra Alasia, Concina cum aliis. Limitaverat conclusionem Clemens VIII prohibens omnibus confessariis absolvere a casibus dubiis contentis in Bulla Coenae, anno 1601; quia tamen anno sequenti 1602 in alio decreto de eadem re omisit dictam advertentiam, ideo praedictam limitationem ultra non vigere dicunt Viva in prop. tertia damnata ab Alexandro VIII, quem sequitur Reuter 359, 5 et S. Alph., cit. 600; Ferraris, Roncaglia, q. 7, c. 4, estque contra Billuart

Nonnullae limitationes expenduntur.

compend. pag. 1713, qui post Giraldi contendit dictam limitationem adhuc subsistere. Nec omnino urget limitatio, quam ex Joanne XXII habent alii cum S. Alph., lib. 7, 280, vi cujus in dubio an clerici percussio fuerit externe gravis (1), esset jam non amplius Episcopo permissa, sed Pontifici reservata. V. Diana, coord., tom. 5, tract 2, res. V, qui contendit extravag. Joannis XXII authenticam non esse; vid. et Viva, de Censuris, q. 5, art. 3, IX, ubi videtur admittere sententiam Bordoni, qui vult praedictam extravag. Joannis XXII non continere praeceptum. Hinc deduces illum non impingere in reservationem, vel melius posse absolvi a communi confessario, qui quum cooperatus sit abortui, illum v. g. consulendo, vel medium ad illum aptum indicando, nunc ignorat an effectus sit sequutus vel non, vel dubitat an foetus fuerit animatus; ibi enim habemus dubium facti. Idem erit in dubio facti supra exposito circa blasphemiam, quae apud nos reservatur, et de quocumque alio simili dubio facti, ut si dubites apud nos, ubi reservatur percussio parentum, an saxum quod contra parentes projectum fuit, eorum personam attigerit.

Consectaria.

Similiter ubi ut, in nostra dioecesi, est culpa reservata sodomia tum activa, tum passiva, dicendum sub reservatione includi solum sodomiam perfectam, idest concubitum ad non debitum sexum, ut habet valde communis sententia, ita ut neque videatur circa hoc adesse dubium, quamvis aliqui contrarium opinentur: sed an perfecta dicenda sodomia, coitus foeminae cum altera foemina, etsi cum affectu ad indebitum vas, videtur dubium, affirmat communior cum Alasia, negant alii cum Elbel, tom. 2, conf. 9, 264, quorum sententia non est improbabilis ex S. Alph., lib. 3, 466, et probat quoad poenas et Tamb., Decal., lib. 7, c. 7, p. 3, 5, et absolute tradit De poenitentia, lib. 5, c. 6, 3, 15. Posito autem quod haec sen-

(1) Illud verbum *externe gravis* hic non ita est accipiendum, ut requirat esse cum peccato mortali etiam externo. Nam haec conditio, ut ex praedictis constat, semper requiritur ut quodcumque peccatum sit reservatum, sed importat ut percussio sit non quomodocumque externe mortalis, sed notabiliter gravis in genere suo. Videatur S. Alph. lib. 7, 277, imo hoc loco percussio gravis in sententia eorum qui cum Alasia, de Censuris, diss. 2, c. 1, art. 1, n. 4, docent solam percussionem enormem reservari Summo Pontifici ex Cap. *Perveuit de sent. Excommunicat.* idem esset accipienda ac enormis.

tentia probabilis sit, ut videtur non posse negari, jam dicta sodomia inter foeminas ratione dubii juris pariter erit indicanda a reservatione immunis (1).

Possunt vero alicubi, pro casibus jure peculiari reservatis, haberi contrariae Episcoporum declarationes, sicut de facto in aliquibus locis habentur, quibus statuitur, quod simplex confessarius non possit absolvere stante praecipue dubio juris ; illae proinde servandae sunt ubi vigent; in nostra dioecesi nil circa hoc decernitur, et eminentissimus Gousset, 492, valde commendat earum dioecesum statuta, quibus declaratur reservationem non extendi nisi ad peccata certa, et certe sub lege comprehensa.

Contrariae tamen declarationes, quae alicubi sint, servari debent.

(1) Data alicujus casus reservatione simpliciter facta, et absque explicita expressione materiae, vel personarum, qui sub reservatione includantur, non una plusquam semel poterit exoriri dubitatio, et sic dubium juris haberi. Sic v. g. in nostra dioecesi ubi reservatur sub. n. 7 secundae classis « percussio parentum », de filio qui mandat parentum suorum percussionem an incurrat reservationem videtur posse dubitari, et revera in simili disputant DD., nam ex una parte de eo, qui mandat parentis percussionem, videtur vere posse dici quod facit illud peccatum « percussio parentum, » reum nempe esse percussionis parentum; et dicunt aliqui talem mandantem includere esse extensionem de mente legis, magis quam legis interpretationem, et hanc sententiam tenet Chapeaville penes Billuart et alii apud Sanch. lib. 3, disp. 49, 1. Ex alia parte reservatio est strictae interpretationis, unde debet restringi salvo sensu naturali verborum quantum fieri potest; illa autem verba percussio parentum, sensu obvio et primo, intelligenda videntur de percussione facta et non mandata tantum, et illa extensio de mente legis non est absque gravissimo fundamento inducenda, et nunquam contra interpretationis leges, quae volunt odia restringi, et hanc sententiam in simili tenet Billuart et est longe communior; sed etsi res ut dubia esset habenda, mandatum percussionis non esset judicandum sub reservatione cadere, ideo quia res est dubia. At in nostra dioecesi in authentica declaratione casuum reservatorum expresse excluditur a poena mandatum percussionis tantum, sicut et expresse excluditur ejusdem percussionis consilium et approbatio a filio facta. Illam autem authenticam declarationem nostram adhuc pro hoc casu valere probabo infra ubi de casibus apud nos reservatis speciatim agemus.

Pari ratione in nostra dioecesi est peccatum reservatum sub n. 5 primae Classis: Depositio falsi in judicio in damnum tertii, sed jam de eo qui aliam inducit ut in sui gratiam pejeret in judicio in damnum tertii, eadem videtur posse institui quaestio, an scilicet in reservationem incurrat; et quidem talem mandantem esse et ipsum perjurum docent plures cum Sanchez, Decal. lib. 3, c. 13, 26, imo et alii volunt hunc solum incurrere poenas perjurii; alii tamen probabilius dicunt solum mandatarium pejerantem reservationem incurrere, quia, ajunt, reservatio cadit in eum qui proprie perjurium ponit, quod solus mandatarius praestat (Lacroix lib. 3, p. 1, 270), et poenae latae in facientes non sunt extendendae ad mandantes vel alios cooperatores. Unde saltem ratione dubii mandans pejerare in judicio a reservatione erit habendus exemptus. Non tamen liber erit a reservatione ipse pejerans, quidquid, ut vidimus, aliqui dicant, nam secus jam omnes reservationem evaderent. Posito autem quod aliquis sub illa comprehendatur, manifeste ipse pejerans magis includi dicendus est.

Dubitationes autem quae possunt exurgere circa subjectum reservationis generaliter statutae, aeque possunt excitari circa culparum, quae generali pariter modo reserventur, materiam, et plures passim erunt a nobis hujusmodi quaestiones pertractandae.

Absolutus a peccato dubie reservato absolvitur pro semper a vinculo reservationis probabilius.

Petes an qui confessus est inferiori peccatum dubie reservatum liberetur a reservatione, si postea illud cognoscat ut certum? Respondent communius affirmative, quia illud peccatum dubie reservatum jam fuit directe remissum, et reservatio afficit solum peccatum certe commissum, et numquam directe per absolutionem remissum, quod in nostro casu amplius non invenitur; et licet in communiori sententia teneatur poenitens adhuc illud peccatum confiteri ut certum ad supplendam integritatem confessionis, si dubium fuerit facti, licet et hoc alii probabiliter negent, potest tamen postea illud cuicumque confessario aperire, et ab isto absolvi, S. Alph., 600; Salm. c. 13, 16; Billuart, Clericato decis. 44, n. 11; Gousset, Roncaglia, Lugo disput. 20, 22, qui optime observat idem esse si fuerit impertita absolutio ab excommunicatione reservata, quo tempore dubitabatur an illa fuisset incursa. In tali enim dubio, ex nunc dictis, inferior confessarius poterat tuto absolvere, per talem ergo absolutionem, tum remissio peccati, tum solutio a vinculo excommunicationis recte operata est, nec postea tenetur poenitens superiori se sistere, etsi certo cognoscat quod vere illam excommunicationem reservatam incurrerat. Lugo sequitur Viva, de poenit. Q. IX, art. 2, n. IV. Quum enim in dubio reservationis habeat confessarius potestatem absolvendi, jam vere potest absolvere a poena, quae dubitatur adesse, et quidem sub conditione si sit; si ergo est, erit per absolutionem sublata.

Praedicta conditio expenditur et explicatur.

6. Debet ulterius juxta alios esse *directe voluntarium*, nec sufficit si sit volitum in sua causa, sed debet esse volitum in se dum actu committitur. Ita sequi contendunt ex posito principio, juxta quod odia sunt restringenda, ut non afficiant prohibita a legislatore, nisi in se formaliter sint qualiter prohibentur, ita ut non sufficiant talia esse in sua causa, salva semper contraria legis declaratione. Haec sententia, salvo meliori judicio, videtur posse accipi multiplici sensu, et sub quodam respectu esse valde probabilis, sub alio minus admittenda, sub alio vero valde dubia. Et primo si sic accipiatur, ut non sufficiat ad reservationem, quod culpa quae prohibetur casualis tantum sit, idest solummodo imputabilis sit in causa, quod evenit

quando causa culpabiliter quidem posita fuit, sed effectus prohibitus sub reservatione nullo unquam tempore in se et directe volitus fuit, neque dum causa ponebatur, neque dum effectus contingebat, neque alio tempore intermedio; haec sententia videtur probabilis et etiam satis recepta. Ratio data est, quia odia sunt restringenda, et reservata, salva semper contraria legis dispositione, debent intelligi ut sint in se formaliter et proprie qualiter prohibentur. Hinc ex communi sententia juris interpretum apud Suarez, de censuris disp. 44, sect. 1, n. 3, ubi reservatur simpliciter homicidium intelligitur de homicidio voluntario non casuali; et in nostra dioecesi ubi reservatur sub n. 5 secundae classis, «prostitutio filiarum, sororum et uxorum,» non sufficeret ad reservationem incurrendam causam ponere etiam culpabiliter, ex qua filia, soror vel uxor occasionem sumere praevideantur ad se prostituendum, si hoc nullo modo et nullo tempore antequam eveniat intendatur, ut magis dicemus, ubi de hoc casu speciatim. Similiter si quis filius bona dilapidet ut faveat voluptatibus, si postea impotens factus sit alere parentes, non incurrit culpam reservatam, ubi, uti apud nos, reservatur denegatio alimentorum parentibus, etsi talem impotentiam praevideret, in quam erat incursurus, quam tamen non intendit, quia alimentorum denegatio parentibus jam non est in tali filio impotenti illam praestare directe voluntaria, sed solum casualis.

Quo sensu videtur vera.

Dicta autem sententia quae ad reservationem exigit, ut peccatum sit voluntarium directe, nec, ait, sufficere quod sit volitum in causa, nisi et in se sit volitum dum actu contingit, videtur, ut diximus, minus admittenda imo videtur falsa si ita intelligatur, ut oporteat quod effectus qui fuerit directe volitus quum posita fuit illius causa, ex qua sequi habet, adhuc directe intendi debeat in se, novo actuali voluntatis motu, dum contingit et consummatur, quasi non sufficiat ut effectus prohibitus et directe jam volitus, suae causae malitiam participet ut sit reservatus, et satis non sit ut in illum effectum causa utpote non retractata, sed saltem habitualiter probata, et in qua directe fuit ille effectus volitus, totam malitiam adhuc refundat. Et quidem sic accepta praedicta sententia est quan-

Quo sensu non sit admittenda.

tum video contra universalem sententiam, nec videtur posse ullo sufficienti titulo fulciri.

Alius sensus, juxta quem difficilis videtur.

Si tandem ita accipiatur dicta sententia, ut necessarium sit, quod effectus prohibitus qui fuerit directe volitus in causa, dum contingit adhuc debeat esse culpabilis, vel propter actualem malam voluntatem quae sit, vel propter malitiam quam a causa adhuc habeat, quae nondum fuerit retractata; ita ut non sufficiat ad reservationem si effectus a lege requisitus contingat, quum et in se omnino reprobatur, et causa illius jam fuerit omnino sincera poenitentia revocata et retractata, ut diximus, videtur valde dubia. Communius enim DD. loquentes in simili de irregularitate quae a lege infligatur, dicunt etiam in casu illam incurri, sed ex alia parte videtur non omnino ratio deesse, cur contrarium aliquali probabilitate sustineri valeat.

Ex eo enim quod Ecclesia aliquam pravam actionem ponit sub reservatione solum quum determinatus effectus ex illa secutus sit, satis videtur posse colligi non sufficere ad reservationem culpam, quae in causa etiam quatenus principio dicti effectus ponenda, fuerit commissa, sed quod insuper requiratur, quod talis culpa permaneat et perduret usquedum effectus sequatur. Nam secus quum posita fuerit causa sufficiens ad generandum effectum, quae habeat malitiam etiam ut causa talis effectus, videretur ultra non esse de facto talem effectum realem expectandum. Dices: effectus est tamquam conditio et circumstantia a lege petita ad reservationem: ita quidem, sed quum Ecclesia apponit in lege poenali conditionem aliquam et circumstantiam a quibus pendeat poena, id facit in odium ipsarum conditionum et circumstantiarum; quae autem odit Ecclesia et poenis multat culpabilia sunt; non enim aliquid per se ut tale sub poena ponit, nisi illud in se culpabile sit: si igitur illum effectum requirit Ecclesia ut conditionem et ut circumstantiam ad reservationem, quum haec saltem ex parte sit poena, non est judicandum quod ille effectus apponatur ut conditio, nisi quatenus adhuc culpabilis sit dum evenit, ita ut non sufficiat materialis ejus existentia et ejus a mala causa procreatio nisi et illa existentia adhuc culpabilis sit saltem quatenus ma-

litiam causae, quae non fuerit retractata, participet. Nam si causa mala quae aliquem effectum producere habeat, retractetur sincere, et quantum fieri potest revocetur et impediatur effectus, si hic postea nihilominus sequatur, non erit ultra ullo modo peccatum neque, ut dicunt, ex denominatione extrinseca a malitia causae, sed est simpliciter peccati effectus. Haec sententia sic intellecta expresse et in terminis docetur a Salm. c. 1, 153 de Censuris, et c. 8, n. 4, qui plures et pro illa citant sed fortasse non omnes bene, unde arbitror esse non parum minus communem relate ad irregularitatem, sed non videtur omnino improbabilis. Ex illa vero sequeretur quod in nostra dioecesi, ubi sub num. 7 primae classis reservatur « piorum legatorum solutio diutius anno absque justa causa protracta, » haec non esset reservata nisi culpa dilatae solutionis, qua illa legata non solvi coepta sunt, permaneat et adsit saltem habitualiter etiam dum annus completur. Idque pariter esset extendendum ad bonorum ad loca pia spectantium conversionem in proprios usus ab administratoribus factam, quae apud nos tunc est culpa reservata sub n. 6 primae classis, quum anno expleto illi administratores integre non satisfecerint, vel quum requisiti administrationis suae rationem non reddiderint. Nam quamvis quis illorum bonorum administrator, illa bona sibi usurpet animo illa perpetuo retinendi, vel nunquam rationes reddendi etsi requisitus; si tamen antequam dictae circumstantiae impleantur facti poeniteat et voluntatem mutet, ut jam dispositus esset debitum suum praestare, nulli reservationi erit obnoxius, etsi intra annum non restituat ob impotentiam quam prius etiam voluntarie contraxerat; sicut nec reservationem incurrit, qui jam impotens, et poenitens prout in casu, administrationis suae rationem etsi requisitus non reddat, ad vitandum grave damnum quod prudenter timeat ex eo quod restituere non valet. Non enim haec restitutionis omissio et illa non solutio legatorum, quum compleri debet ex lege, esset ultra culpabilis in se, eo modo quo dicimus non improbabiliter requiri (1).

Deducitur conclusio ad nonnullos casus, qui a reservatione eximuntur.

(1) Qui tamen ex administratoribus bonorum ad loca pia spectantium, illa usurparet et in proprios usus converteret praevidens fore impotentem intra

CAPUT III.

De causis excusantibus a reservatione.

A reservatione metus levis non excusat, et aliquando nec gravis.

Quaestio nunc est de *metu*, de *ignorantia*, *impubertate* an excusent a reservatione. Metum levem non excusare a reservatione est communis et certa sententia; ad metum gravem quod attinet conveniunt pariter non excusare si talis metus incutiatur in contemptum Ecclesiae vel Religionis, et idem dicendum videtur si agatur de re intrinsice mala, et adhuc gravissima, ut constat ex Bulla Benedicti XIV, *Detestabilem*, 13 novemb. 1752, ubi aliquae damnantur propositiones, quae asserebant licitum esse et ab ecclesiasticis poenis immune, ex gravi metu damni incurrendi, duellum offerre vel acceptare.

Metus gravis aliquando certo excusat, aliquando probabiliter.

E contra conveniunt metum gravem excusare a reservatione, si res quae metu agitur solum est prohibita lege ecclesiastica, quae urgente illo metu gravi cesset obligare;

annum restituere, vel praevidens haud restituere posse antequam ei rationes petantur, quas sic intendit non reddere; sicut et qui bona dilapidet ex quibus pia legata essent solvenda, praevidens quod sic illis non poterit intra annum satisfacere, jam satis voluntarie peccatum reservatum committeret, et totum poneret quod requiritur ut sub reservatione incidat, si intra tempus debitum, idest antequam impleantur circumstantiae quae requiruntur, ex parte temporis ad reservationem, voluntatem non mutat, ut nuper dictum est. Ratio est quia qui vult bona dilapidare ex quibus, v. g., essent legata pia solvenda praevidens et sciens quod non poterit alio modo illa solvere, hic directe vult impotentiam solvendi; illa enim dilapidatio et illa impotentia in adjunctis moraliter non distinguuntur; dilapidatio vero est volita in se licet fortasse non propter se, ergo volita in ea est et impotentia. Haec autem impotentia est omnino directa et necessaria causa non solutionis, et moraliter pariter non distinguuntur; ergo. Datur vero distinctio inter casum filii quem dicimus non impingere in reservationem si bona sua dilapidet, etiam praevidens quod postea impotens erit ad alendos parentes; et dictos casus in quibus dicimus administratores bonorum ad loca pia spectantium restitutionem praetermittentes et piorum legatorum solutionem diutius anno differentes ob impotentiam, quam culpabiliter contraxerunt, esse sub reservatione. Nam ille filius dum dissipat bona quae sua sunt, et sui juris, nulli proxime et directe facit injuriam, et est effectus contingens quod inde ejus parentes damnum debeant sentire; at id quod est contingens potest esse praeter intentionem operantis, sicut revera est quoties licet praevideatur non tamen intenditur. At illi administratores qui bona illa dissiparunt quae usurpaverant, et illi qui, quae in piorum legatorum solutionem essent impendenda, dilapidant cum praevisione quod erunt impotentes restituere, vere volunt hanc ipsam impotentiam, ut dictum est, et patet; et vere volunt non solvere et non restituere; ei autem, qui vere vult non solvere et vere vult non restituere, non solutio et omissio restitutionis non possunt esse praeter intentionem.

extra hos casus disputatur, alii dicunt metum utcumque gravem non excusare a reservatione in re intrinsece mala, sicut nec excusat a culpa; alii e contra contendunt metum gravem et excusare a reservatione etiam in re intrinsece mala extra casum superius positum, quo agatur de re gravissima, quamvis non excuset a culpa; ratio est quia licet praeceptum juris naturalis et divini obliget quocumque metu et damno imminenti, non item tamen est de praecepto ecclesiastico quatenus tali, etsi circa rem jure naturali et divino prohibitam versetur: hoc enim ecclesiasticum praeceptum cessare dicunt, gravis damni metu urgente, et haud proinde violari, dum illa res prohibita metu agatur; non igitur esse puniendum ut legis ecclesiasticae transgressorem illius poenas, nempe reservationem, eidem qui gravi metu operatur infligendo, quia jam talis legis transgressor non est. Hujus sententiae est cum pluribus aliis S. Alph., lib. 7, 46.

Ad ignorantiam; ex his quae antehac dicta sunt, jam constat excusare a reservatione ignorantiam facti, quae tunc contingit quando ignoratur factum quod agitur, habere illam malitiam, quae a lege sub reservatione ponitur, vel quae contingit, prout ait Suarez de Censuris, disp. 4, sect. 8, quando ex actione hominis aliquod factum sequitur, quod nec praevisum, nec cogitatum fuit, ut quum quis occidit hominem putans occidere feram. Remanet igitur quaestio de ignorantia juris reservationem statuentis, quae habetur quum quis sciens quidem peccatum, quod committit, habere illam malitiam quam habet, ignorat tamen illud a superiore reservatione multari.

Praemittitur distinctio inter ignorantiam juris et facti; et haec dicitur excusare a reservatione.

Quoad hanc igitur ignorantiam juris, videndum an reservatio sit ratione sui, vel ratione censurae. Si sit ratione sui, praedicto tantum uno modo potest juris ignorantia haberi. Si sit ratione censurae dicendum ignorantiam circa illam posse contingere duplici modo: 1° si ignoretur tali peccato esse adnexam censuram; 2° modo si sciatur quidem tale crimen censura puniri, sed ignoretur talem censuram esse reservatam.

Quoad ignorantiam juris alia praemittitur distinctio.

Si reservatio sit ratione censurae, et ignoretur tali crimini adnexam esse censuram, nullus est reservationi locus, si ignorantia sit invincibilis, aut saltem non sit crassa

Ignorantia censurae excusat ab illa incurrenda.

et supina, quae etiam aliquando excusat, sicut et [illegible] plures affectata, ut quum lex temeritatem et scientiam [illegible] agente requirit. Nam cum in casu ignorantia excusat [illegible] censura, necessario excusat ab incurrenda reservatione ejusdem censurae. Idque verum est, sive dicamus peccatum non esse reservatum nisi qualenus conjungitur censurae, ita ut censura solum reservetur, non vero peccatum; sive dicamus tam peccatum quam censuram esse reservatum; nam si posamus reservari tam peccatum quam censuram, semper tamen esset dicendum peccatum solum reservatum, qualenus est censura ligatum, et non immediate et per se, sicut est de censura: qua proinde censura sublata, peccatum et ipsum esset extra reservationem, quia, sublato principali, tollitur accessorium.

[illegible] Considerandum ait cum Lacroix, 1644, et Elbertus [illegible] sibus reservatis ab Episcopo, vel Prelato Regulari sui ordinis, [illegible] aliam causam, quae possit a censura incurrenda excusare, non tamen liberare a reservatione; sic adhuc excusat a culpa. Ratio enim dicunt est quoniam reservatorum, si peccatum solum manet reservatum, sic non incurritur censura. Sed videtur distinguendum, ut enim Episcopus vel Prelatus Regularis [illegible] primaliter sibi reservet peccatum et censuram adnexam, vel sibi reservet peccatum solum mediate [illegible] ratione animae, dicendum de reservatione Episcopi a Regulari, quae dicitur de reservatione Papae. Si vero primaliter sibi reservet [illegible] Episcopus peccatum et censuram adnexam, a qua non possit [illegible] [illegible] [illegible]

Regulari ratione censurae, ac de reservatione Papali dictum est; et quamvis isti A A. nullum unquam discrimen videantur ponere inter reservationem Papalem et Episcopalem, cui adnexa sit censura, dicendum tamen de solo casu loqui, quo Episcopus manifeste súam intentionem non expresserit, quia Episcopum, sicut quilibet alius superior, posse tam culpam, quam poenam sibi reservare aeque principaliter, non videtur posse dubitari.

An in reservatis jure communi ratione censurae Episcopo, peccatum solum reservetur dependenter a censura?

Notat vero ibi Reuter saltem in illis casibus, qui propter excommunicationem jure communi Episcopo reservantur, idem jus esse servandum pro nostra quaestione ac pro reservatis Pontifici; ita ut id omne excuset a reservatione, quod excusat a censura incurrenda. Quae animadversio vera est judicanda, si Episcopo reserventur illi casus sola dispositione juris communis; nam si contingat aliquando Episcopum jure proprio aliquem ex illis casibus inscribere inter culpas reservatas etiam ratione sui, ut in nostra dioecesi evenit respectu abortus procurati, tunc, ut supra notavimus, dicendum reservationem ratione sui non pendere a reservatione ratione censurae, et illam esse posse absque ista.

Petes quandonam peccatum erit censendum reservatum aeque primo ac censura illi adnexa, et quando censendum reservatum solum propter censuram?

Regulae ad agnoscendum quando peccatum et censura illi adnexa aeque primo reserventur, vel non.

Resp. Si dicatur, ex. gr., tale peccatum reservari tum ratione culpae, tum ratione censurae adnexae, vel simpliciter casum esse reservatum et adnecti censuram reservatam, prout communiter fit in casibus Episcopalibus qui solent inscribi — casus reservati, quibus adnexa est censura reservata, — tunc censura et peccatum independenter unum ab altera reservatur; si vero dicatur, ex. gr., casus prohibitus sub censura reservata, casus quibus adnexa est censura reservata, casus in quibus incurritur censura reservata et similia, tunc peccatum solum erit reservatum mediante censura.

An et excuset ignorantia reservationis?

De ignorantia vero, qua non ignoratur tali peccato adnecti censuram, sed solum ignoratur latae censurae reservationem, idem videtur dicendum ac de reservatione ratione sui, pro cujus quaestionis solutione respondeo plures esse sententias; alii, quos citat S. Alph., 581, dicunt in-

curri reservationem ab ignorante si facta fuerit ab Episcopo per praeceptum particulare, non vero incurri, si reservatio lata fuerit per synodale statutum aut legem generalem ut esset de casibus reservatis, ait S. Doctor, qui adnotantur in tabella. Haec sententia sic accepta, prout illam videntur intelligere nonnulli, ut non possint absolvi ignorantes reservationem, quando de hoc habeatur expressum superioris praeceptum confessariis datum, videtur omnino vera, sed extra quaestionem jam haec sententia in hac parte nos poneret, nam servandam semper esse in hac re illam superioris declarationem omnibus compertum est, et nullus id negat. Sed praecisa hac interpretatione jam praedicta distinctio non videtur sat solido fundamento niti. Alii dicunt poenitentem, qui ignoraverit reservationem tempore quo peccatum patravit, si adhuc illam ignoret tempore quo nunc confitetur, posse absolvi saltem pro hac vice. Ita Sporer, c. 6, 735; nec dissentit Elbel, conf. 13, 346, et conf. 14, 383. Alii, quos citant Salm., tract. 18, c. 4, n. 11, distinguunt inter reservationem poenalem, quae in odium peccati imposita est, et medicinalem, quae ad bonam Ecclesiae gubernationem inducitur, et primam dicunt non incurri ab eam ignorante, bene autem secundam; alii, inter quos S. Alph. cit., 581, dicunt ignorantiam numquam excusare a reservatione, de qua nunc est quaestio, et hanc sententiam S. Doctor valde probabilem et communiorem merito dicit, et certa est ex Potestate, tom 2, p. 2, 293; et Lugo, disp. 20, 9, idem certum dicit de reservatione, quae non sit poena; nullam autem dari reservationem poenalem tenet Lacroix, 1602, qui, 1608, et hanc sententiam absolute tenendam dicit. Tandem alii, quos sequuntur Salm. cit., n. 13, Viva et plures apud Gury, 571, cum Ballerini, dicunt ignorantiam semper excusare: ratio hujus sententiae est, quia reservatio est vel poena, vel medicina, si poena non incurritur ab ignorante, ut tot DD. dicunt et ratio suadet, sed neque si sit medicina, nam etiam poenae medicinales ab ignorantibus illas minime incurruntur, cessante enim fine legis, cessat lex. Verum reservantur peccata, ut homines, scientes difficulter absolutiones obtenturos, ab illis committendis cohibeantur; at in homine, qui ignorat reser-

vationem, omnino cessat talis finis. Ergo. Nec dicas inter fines reservationis recensendum et illum, ut graviora crimina a peritioribus curentur; nam sufficit quod hic finis obtineatur in communi; quod si in aliquo casu, prout in praesenti, non debeant superiori deferri, erit per accidens; aliunde delicta, quae sub excommunicatione prohibentur, gravissima sunt, et tamen ignorantes censuram, hanc non incurrunt et nec ideo reservationem; et tamen publicum Ecclesiae bonum non ex hoc detrimentum patitur, imo sic melius se habere dicendum ex ipso Ecclesiae facto, ni illam velimus docere circa id, quod ad ejus bonum conducat. Nec pariter apponas reservationem rationem sui directe afficere confessarium ejusque jurisdictionem limitare; hoc enim est quod adhuc sub lite pendet; dum enim quaeritur an ignorantes incurrant reservationem, idem est ac quaerere, an superiores voluerint jurisdictionem confessariorum coarctare, ut neque ignorantes absolvere possint. Qui enim dicunt ignorantiam reservationis excusare ab illa incurrenda, dicunt per legem reservationem indicentem non absolute restringi confessariorum jurisdictionem, sed solum respective ad poenitentes, qui cum notitia reservationis ausi sunt peccare. Unde et ultima sententia probabilis videtur, et ut saltem probabilem laudat Roncaglia, q. 7, cap. 2, q. 4; et probabilem dicunt Diana, coordinatus, tom. 1, tract. 5, 39, ubi fuse id probatur, et valde plures quos adducit Mazzota, pag. mihi 330, qui videtur et huic sententiae adhaerere, et pro casu quo solum ignoratur censurae reservatio tenet Bonac. cum aliis apud eumdem Mazzota, 329.

Ignorantiae aequiparantur oblivio et inadvertentia.

Quod autem de ignorantia dictum est, ad inadvertentiam et oblivionem extendunt communiter DD.; unde in sententia, quae dicit juris ignorantiam excusare a reservatione, excusaret pariter oblivio aut inadvertentia actualis reservationis. Salm. cit.; Reuter, 361; Bonac., disp. 1 de censuris, quaest. 2, p. 1, 17.

Non excusat ignorantia graviter culpabilis.

Notant tamen hujus sententiae patroni illam ignorantiam non excusare a reservatione, quae esset graviter culpabilis. Mazzota cit.; Roncagl. In nostra vero dioecesi lis circa ignorantiae vim ad excusandum a reservatione non habet locum, declaratum enim est, quamcumque ignorantiam,

Dioecesana dispositio circa ignorantiam.

dummodo non sit affectata, excusare a reservatione. Qui tamen sic excusantur monendi sunt, vi praelaudatae declarationis, si in crimen relabantur, non esse in posterum absolvendos, nisi ab eo qui legitima quoad casus reservatos potestate est praeditus. Si tamen alibi contrariae haberentur dispositiones, essent illae servandae juxta tenorem. Posse autem Episcopos jurisdictionem confessariis limitare et auferre etiam quoad peccatum, quod quis reservationem ignorando patraverit, videtur undequaque certum, quamvis fortasse non ita utile, sed nisi id expresse declaraverint, res solvenda juxta quaestionem nunc excussam.

An excuset a reservatione impubertas.

Circa impubertatem an excuset ab incurrenda reservatione, duplex est sententia: prima negativa, quia pueri non eximuntur ab aliis poenis spiritualibus excommunicationis et interdicti, ergo nec a reservatione, et quia reservatio est potius medicina ut fideles abstrahantur a commissione talium criminum, quae maxime prodest pueris. Alasia, pag. 193.

Secunda sententia et probabilior affirmat impuberes excusari a reservatione, et sub illa minime comprehendi, nisi expresse includantur; ratio hujus sententiae deducitur ex C. *Pueris* et C. *Referente de delictis puerorum*, ubi dicitur quod in pueris relinqui solet inultum, quod in aliis provectioris aetatis humanae leges dicunt severius corrigendum. Et dato quod reservatio sit medicina, non inde tamen sequitur quod simul non sit poena, vel quod et ista medicina omnibus indiscriminatim puberibus et impuberibus applicanda sit, praecipue cum leges mitiorem rationem praecipiant erga pueros. Hanc sententiam defendunt plures. Felix, Potestas, tom. 1, 4391; Ferraris, v. Reservatio, n. 44; Gousset, 490, qui notat et ita ferre usum universalem; Viva, art. 3, 1, qui merito rejicit et hic distinctionem inter reservationem poenalem et medicinalem; et in eamdem sententiam concedit Alasia, de censuris, c. 2, n. 2, ubi expresse pariter tradit impuberes regulariter sub censuris non comprehendi, nisi exprimantur. Subdit vero expresse includi in excommunicatione ob ingressum in monasteria monialium a Tridentino inflicta, quae tamen non est reservata, et in excommunicatione

ob percussionem clericorum; quae ultima exceptio quamvis probabilis sit, ab aliquibus aliis tamen negatur.

Extenditur hic impubertas.

Imo quamvis impubertas in pueris cesset ubi annum 14, et in puellis ubi annum 12 compleverint, pro re tamen, de qua hic agimus, videtur non cessare neque in foeminis nisi ad annum 14 pervenerint ex citato jure *de delictis puerorum*. Quidquid vero sit de hoc, in nostra dioecesi expresse dicitur tam mares quam foeminas, quae annum 14 nondum compleverunt, in reservationem Episcopalem non incidere. Hinc sequitur in nostra dioecesi illum, qui confitetur post adeptam pubertatem peccatum in pubertate commissum, posse a quolibet confessario absolvi, quia superveniens aetas non inducit in actionem praeteritam illud gravitatis genus, quod plectere voluit superior; ut optime notant Alasia et eques Felix Parato, disp. 2, c. 8, de peccatis, olim magister meus, vir praestantissimi meriti, et multis nominibus omnibus carus, qui avunculi sui Josephi Antonii Alasia sapientiam et eruditionem aemulatus, a pluribus annis in R. Taurinensi Athaeneo theologiam moralem maxima edocet cum laude. Subdit vero et bene citatus Alasia posse a communi confessario absolvi a peccato reservato, qui dubitat an illud commiserit ante vel post pubertatem; nec illud semel ac confessum fuerit et absolutum postea deberi denuo confiteri, si forte cognoscatur fuisse certe patratum post pubertatem.

Dioecesana dispositio circa impuberes.

Consectaria.

De peregrinis quoad reservationes locorum remissive.

Locus hic etiam videretur agendi de peregrinis, et inquirendi an isti incurrant reservationem locorum per quae transeunt, sed hanc quaestionem pertractabimus ubi de absolutione a reservatis, quo loco communius a theologis pertractari solet, et ubi etiam opportune instituitur.

CAPUT IV.

De casibus reservatis speciatim.

---

§ 1. De reservatis Pontifici.

Casus Pontifici reservati ratione censurae plurimi sunt, melius expenduntur dum agitur de materiis ad quas singuli spectant, nec ipsi aliunde videntur precise pertinere ad tractatum de Reservatione.

Reservati Pontifici ratione sui.

Eidem autem Summo Pontifici reservati ratione sui duo communiter recensentur: 1. si quis innoxium sacerdotem

1. casus.

falso insimulet sollicitationis crimine apud judices ecclesiasticos, sive per se ipsum impie calumniando, sive sceleste procurando ut id ab aliis fiat, sive impiis suasionibus id curet aut promissis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo, ex Constit. *Sacramentum Poenitentiae*, Benedicti XIV.

Hanc reservationem igitur incurrunt ipse calumnians, mandans, et quotquot aliquo modo cooperantur ut inferatur calumnia; requiritur tamen ut calumnia ita contexta sit, ut vere credibilis appareat, et pro cooperantibus ex S. Alph., 693, requiritur et cooperationis efficacia, et quod ante calumniae delationem non fuerit cooperatio revocata. Patuzzi, c. 13, n. 10, praedictum crimen calumniae sollicitationis recenset inter reservatos Pontifici ratione excommunicationis, sed manifeste deceptus fuit.

2. casus.

Secundus casus qui dicitur reservatus Pontifici ratione sui, est acceptio donorum a Regularibus utriusque sexus, excepto quod agatur de rebus medicinalibus, seu devotionis muneribus, et quae donantur cum debita licentia et facultate, si antea non fuerit facta restitutio. Potest ibi notari Bullam Clementis VIII quantum ad prohibitiones, et irritationes donationum, atque licentias requisitas ad donandum quoad Religiosos, aliqualem rigorem statuentem, revocatam fuisse, teste Billuart, de Contract., disp. 2, art. 2 p. 2, ad normam juris communis per Urbanum VIII, con-

stitutione *Nuper* 16 octob. 1640. Casus est reservatus statimac dona accepta attingant materiam gravem.

Non facta restitutione, ex Bened. XIV, *Pastor bonus*, 13 aprilis 1744, si munera non excedant valorem decem scutorum, M. Poenitentiarius potest absolvere, vel absolvi mandare, injuncta, arbitrio sui vel confessarii per se eligendi, eleemosina, quae in beneficium Religionis seu conventus, cui de jure facienda esset restitutio, si caute fieri possit, erogetur.

Quod si dona excedant valorem decem scutorum nec M. Poenitentiarius, sed solus Romanus Pontifex absolvere potest, nondum facta restitutione.

Facta autem restitutione, quilibet confessarius potest absolvere, etsi dona accepta fuerint ultra valorem decem scutorum, Alasia, pag. 194. Scavini, 425. Imo si poenitens nullomodo valet restitutionem de praesenti adimplere, promittit tamen ex corde eamdem quamprimum poterit peracturum, potest et a simplici confessario absolvi, ut docet Scavini, 425. Si tamen postea poenitens, cum poterit, non restituat, iterum reincidit in reservationem, ut ex facultatibus S. Poenit. colligendum videtur.

Ferraris opinio ad hunc casum.

Ferraris v. Reservatio, n. 14, ait praedictam munerum acceptationem a Regularibus, immerito inter casus Summo Pontifici reservatos recenseri; et contendit Clementem VIII sua constitutione *Religiosae*, cui funditus innixa est haec doctrina, solum declarare illum esse incapacem absolutionis, qui cum restituere teneatur propter accepta munera a Regularibus, nondum restituerit. Verum quaestio magis videtur de nomine.

In vigore autem ultra non sunt alii duo casus, quos numerat Suarez, de Poenit., disp. 19, sect. 2, n. 4 et 5, qui pariter ratione sui olim reservabantur Pontifici alterum in Extrav.: *Inter cunctas*, alterum in motu proprio Sixti V, anno 1589, contra male promoventes et male promotos ad ordines, quamvis et hic fortasse inter reservatos ratione censurae tantum vi ipsius Constitutionis Sixti V, 91, apud *Cherubinum*, poterat haberi.

§ 2. De reservatis Episcopo.

Casus Episcopo reservati alii habentur ex jure communi, alii in Synodo, alii extra Synodum in edictis Episcopalibus.

An reservati ab Episcopo extra Synodum desinent reservari per mortem Episcopi.

De istis fieri solet quaestio an per mortem Episcopi, aut ejusdem cessionem Episcopatui cessent esse reservati. Plures dicunt reservationem etiam extra Synodum per Episcopum indictam perpetuam esse, nec per mortem Episcopi cessare, sed perdurare donec a successore revocetur. Hujus sententiae sunt plures apud Bened. XIV, de Synodo, lib. 5, c. 4, 3, ubi quaestionem indefinitam relinquit, prout et facit Bouix, de Episcopo, part. 5, c. 21, prop. 2, et apud eumdem Bened. XIV, de Synodo, lib. 13, c. 5, 1, ubi magis hanc laudat sententiam, si tamen consilium Capituli fuerit auditum.

Alii e contra contendunt reservationem extra Synodum per Episcopum statutam, per illius mortem vel potestatis cessationem expirare. Hujus sententiae sunt S. Alph., lib. 7, 6; Bill. comp., pag. 1714; Viva, de Poenit., q. IX; V. Tamb., c. 2, n. 4, qui ait esse communem doctrinam, cum pluribus aliis apud Bened. XIV, ll. cit., item tenet Scavini, tom. 1, 876, ubi tamen in nota excipit, nisi Episcopus clare significaverit suam praescriptionem velle esse perpetuam. Sed haec exceptio minus bene videtur apponi, non enim est quaestio de Episcopi intentione circa perpetuitatem suorum decretorum, quam et auctores secundae sententiae supponunt claram, secus nulla omnino posset nec institui disputatio, sed est quaestio de Episcopi potestate, quae nullomodo pendet ab ejus intentione.

Notat vero Viva cit. cum aliis, mortuo vel amoto Episcopo, posse a non habente facultatem in reservata absolvi non solum eum, qui post mortem Episcopi reservantis incurrit in casum reservatum in edictis Episcopalibus extra Synodum, sed etiam eum, qui Episcopo vivente, in casum reservatum incurrerat. Ratio, quam adducunt, est quia potestas jurisdictionis non respicit peccata quando committuntur, sed quando subjiciuntur clavibus. Et hoc est probabile, quamvis illud negent alii.

Casus Episcopo reservati jure communi ratione sui non-

nulli ab aliquibus doctoribus recensentur, sed juxta communem hodie nullus est qui sit in usu. Lacroix, 1625; Tamb., c. 6, p. 1.

Episcopo jure communi nullus casus hodie ratione sui reservatur.

Casus Episcopo reservati ratione censurae jure communi plures recensentur: 1. levis, et, juxta alios, nec non mediocris percussio clerici, etiam publica (1); 2. procuratio abortus foetus animati effectu secuto; 3. excommunicatio ab ipso Episcopo lata per sententiam particularem (2); 4. participatio cum excommunicato ab Episcopo, et vitando, in crimine criminoso, seu in peccato ob quod fuit excommunicatus (3); 5. visitatio infirmi a medico facta si, postquam tertio eum visitaverit, ipsi non constiterit ex schedula confessarii, illum confessionem sacramentalem fecisse, aut illam distulisse de confessarii consilio. Vide Concil. Rom. sub Bened. XIII, tit. 32, *de Poenit. et Remiss.*, et appendix, § 28. Verum apud nos haec excommunicatio non est recepta, prout testatur Scavini, tom. 1, edit. IX, 733. Manet tamen obligatio quoad medicos monendi infirmos gravi morbo laborantes de confessione facienda, juxta sancti Pii V praeceptum.

Episcopo reservati ratione censurae jure communi.

A multis inter reservatos jure communi Episcopo ponuntur et casus Papales, a quibus quibusdam in adjunctis Episcopus potest absolvere; verum isti casus potius sunt Episcopo permissi et concessi, quam ipsi reservati. Bill. et ibi non est tam reservatio quam delegatio. Suarez, disp. 29. sect. 3, assertio n. 2. De istis vero casibus dicemus infra.

De casibus Papalibus qui aliquando fiunt Episcopales.

(1) Hic casus potius dicendus Episcopo permissus, quam reservatus ut mox dicemus de aliis. Sed morem communem gerendum duximus in re quae alioquin videtur parvi momenti.

(2) Ponitur hic duplex exceptio juxta quam: 1. qui non vult parere sententiae definitivae latae a Delegato Papae, et per annum in excommunicatione perseverat, a solo Papa potest absolvi; cap. *Quaerenti de officio Judic. Deleg.*; -2. incendiarii ab Episcopo nominatim excommunicati et denunciati; qui similiter solum poterunt a Papa absolvi; cap. *Tua nos. de sentent. excommunicat.*

Aliam exceptionem ponunt adhuc alii cum Tamb. de casib. reser. c. 8, n. 8, vi cujus non posset Episcopus a se excommunicatum absolvere, si talem excommunicationem idem Episcopus reservet Pontifici; sed haec exceptio non videtur firma nisi supponatur Episcopi reservationem a Pontifice acceptari, esset tamen talis casus Episcopo reservatus, quia per illam reservationem Papae factam Episcopus reliquis abstulit jurisdictionem. La Croix, 1655. Unde Episcopus bene posset ante talem Pontificis acceptationem absolvere, non autem inferior confessarius ab Episcopo non delegatus.

(3) Quis dicitur communicare in crimine criminoso, quando participat in delicto, seu contumacia, ob quam excommunicatio lata est, v. g. Petrus nominatim excommunicatur quia rem sacram non restituit, qui eidem consulit ne restituat, vel aliter cooperatur ut illam rem injuste Petrus retineat, dicitur participare in crimine criminoso. Salm. c. 3, n. 133, de censuris.

§ 3. De reservatis Episcopo in nostra dioecesi.

Casus apud nos Episcopo reservati in Synodo plures recensentur, vid. Synod., Costa, c. 10, titulo: *De Poenitentia et culpis reservatis*. Quia tamen ex illo albo reservatorum aliqui fuerunt expuncti, alii aliis verbis expressi, alii vero novissime fuere inscripti, ideo illos hic ponam prout in literis patentibus leguntur, et breviter aliqua circa illos dicam. Ibi autem divisi sunt in duas classes.

1ª Classis continet sequentes:

1. Homicidium voluntarium.

Homicidium voluntarium quod quis sive per se, sive per alium perpetraverit. Quod dicimus pro unaquaque culpa requiri ut sit reservata, scilicet, ut sit directe voluntaria, nisi lex aliter decernat, in hoc casu expresse traditur a lege ipsa; hinc homicidium casuale, licet graviter culpabile, non erit reservatum.

Quando homicidium sit voluntarium quando non.

Erit autem casuale homicidium quum est praeter intentionem occidentis, non solum tum in se, tum in sua causa, quia tunc nec esset culpabile, sed etiam quum est praeter intentionem solum in se, licet volitum et culpabile in causa. Sed ut in applicatione causae, ex qua sequitur homicidium, istud non possit dici directe voluntarium, causa debet et alium effectum proximum gignere posse, qui alius effectus ex applicatione causae solum intendatur. Qui enim causam ponit, quae nullum alium effectum producere immediate apta est nisi solum homicidium, vel si alium effectum illa causa producere apta sit, iste non intendatur, vel una cum isto effectu intendatur et homicidium, homicidium et in se velle convincitur, quod proinde erit directe voluntarium. Erit ergo directe voluntarium homicidium quoties qui illud patravit, habuit expressam et determinatam voluntatem occidendi, vel expresse voluit causam, quae necessario conjungitur cum homicidio, quaeque alium effectum immediatum, qui solus intentus fuerit, non habet ab homicidio distinctum. Sic qui vellet alterius cor lancea transverberare, quantumvis protestaretur se nolle illius mortem, quum ex hac enormi vulneratione nullus alius effectus immediatus sequi valeat nisi mors, homicidii directi reus erit, et ejus protestatio esset

contra factum. Vid. Salm. de Irreg., c. 8, 1; Tamb. eod., titulo, c. 15, parag. 7, 1; Suarez, id., disp. 44, sect. 1. Hinc deducitur non esse reservatum, utpote casuale, homicidium, quo quis reus fit, dum ob aliquem suum finem ab homicidio alienum, et ad quem bene tendit res cui incumbit, operam dat rei homicidii periculosae, quam ut talem agnoscit, quin debitam diligentiam adhiheat ad praecavendum illud, ut est v. g. de homicidio quo quis fit culpabilis, dum equum ferocem ob recreationem, vel ostentationem, aequitando circumducit per loca, quae populus frequentat, quin debitam diligentiam adhibeat ad praecavendam occisionem, quam praevidet, vel praevidere potuit, et debuit. Quamvis enim tale homicidium sit graviter culpabile, non tamen est directe voluntarium. Item communiter dicunt theologi de homicidio, quod quis patravit ob propriam defensionem, sed cum culpa, ob non servatum moderamen inculpatae tutelae, quia aliter poterat, v. g. fugendo, rixam declinare, quod omisit; S. Alph., lib. 7, 395; et de homicidio, quod quis in rixa, ad quam animo solum percutiendi non lethaliter accesserat, patravit ob jam necessariam suam defensionem, ne occideretur. Non enim dicta homicidia sunt ex proposito directo et formali occidendi, et ideo non sunt simpliciter et perfecte voluntaria. Layman, lib. 3, tract. 3, part. 3, c. 12. Disputant vero de aliquibus aliis, et sic de homicidio, quod subito et inopinate in rixa repentina, non jam ad propriam defensionem, sed ex ira committitur, an scilicet sit dicendum casuale vel voluntarium, supposito quod cum deliberatione sufficienti ad mortale fiat; esse directum affirmant plures cum S. Alph., 394, quia qui in rixa occidit, jam sua voluntate et proposito occidit, et vere homicidium intendit, licet ira moveatur, esse vero casuale contendunt plures, quos citant et sequuntur Salm., tract. 10, c. 8, 6, cum aliis; nituntur Concilio Tridentino, quod contendunt homicidium voluntarium illud dicere, quod per insidias ex industria committitur, quod non verificatur in casu. Haec sententia videtur pro praxi tuta. Nam in re odiosa versamur, maxime quia lex reservationis expresse animadvertit quod homicidium sit voluntarium. Nam quum haec conditio, quae requirit ut delictum sit directe voluntarium,

Alii casus in quibus homicidium non est simpliciter voluntarium, saltem probabiliter; et in quibus ideo non incurritur reservatio

Alius casus in quo Theologi disputant an homicidium dicendum voluntarium.

semper requiratur, prout diximus, ad reservationem, ejusdem conditionis iterata et expressa mentio non est judicanda inutilis, et nil operari. Equidem apud nos, in antiqua casuum reservatorum explicatione, qui sic occidebat reservationem incurrebat; sicut et in reservationem declarabatur impingere qui unum pro alio etiam inadvertenter occidebat; sed illa declaratio ad hunc casum ultra non videtur vigere utpote cui videtur fuisse derogatum ex contraria declaratione E.mi Cardinalis Costa, qua statuitur antiquam declarationem solum retinendam pro casibus iisdem verbis expressis. Synodo Costa, cap. 10, titulo: *De Poenitentia et culpis reservatis*, in fine. Non enim est idem casus qui nunc reservatur, ac ille pro quo facta est illa antiqua declaratio: nunc enim fuit extensa reservatio, ita ut et mandantes comprehendat, qui olim non includebantur; sicut ergo fuit illi interpretationi in una parte derogatum, ita videtur derogatum fuisse et in alia. Nam minime potest dici iisdem verbis expressus ille casus, qui nunc pauciores, nunc plures personas comprehendit; jamvero ex citata declaratione Eminentiss. Costa antiqua interpretatio solum retinenda quoad reservationes iisdem verbis expressas: et ob eamdem rationem, qui unum pro alio inadvertenter occidit, nunc saltem juxta plures a reservatione liber potest haberi.

Antiqua nostra casuum reservatorum explicatio ad casum homicidii non ultra vim habet.

Sed fortasse non erit hic abs re inquirere quando unus casus adhuc iisdem verbis, secundum Synodum, exprimi dicendus nunc sit ac olim exprimebatur, et quando non: nam materialis formula illos casus reservatos exprimendi semper fuit immutata, et loco verbi quo operatio subjectiva designabatur, quo modo semper olim exponebantur culpae reservatae, dicendo, v. g., qui blasphemaverit, homicidae voluntarii, abortum procurantes etc., nunc semper per verbale, operatio objectiva et absoluta exponitur, et dicitur: Blasphemia, homicidium voluntarium, abortus procuratus, etc. Sed, ideo quia constanter haec mutatio servatur, non potuit esse illa, ad quam attendere voluit synodalis Costae constitutio; nam haec alioquin ridicula fuisset et contradictoria; dixisset enim servandam antiquam declarationem pro casibus iisdem verbis expressis, et interea omnes aliter exprimebat; aliunde haec mutatio

Quando antiqua reservatorum declaratio in praesenti dicenda vim habere, quando non.

omnino materialiter se habet, et sive dicas incidere in reservationem qui blasphemaverit, sive dicas reservari blasphemiam, idem semper dicis; et praedicta culpa, sive uno sive alio modo exprimatur, semper est eadem, nec ulla additur vel tollitur circumstantia, nec quid aliud mutatur in uno vel alio modo illam exprimendi, ex quo possit aliqua formalis et vera distinctio assignari, qua illa culpa non sit praecise semper eadem rigorose etiam loquendo; et ibi non ad rationem significandi, sed ad rem significatam attendendum est. Unde hoc principium constanter mihi erit pro regula ad judicandum quando in singulis culpis apud nos reservatis antiqua declaratio adhuc retinenda sit, vel non; et quantumvis materialis locutio, qua exprimatur culpa reservata, fuerit immutata, judicabo tamen ab illa antiqua declaratione non recedendum, si eadem culpa cum eadem extensione tùm quoad subjectum, tum quoad objectum, indicetur per novam locutionem; secus arbitrabor antiquam declarationem posse praetermitti si non tantum locutio, sed et res, scilicet culpa per locutionem significata, fuerit vel in minimo immutata sive per extensionem, sive per restrictionem, vel substitutionem aliarum circumstantiarum.

Alia advertentia circa antiquam nostram reservatorum interpretationem.

Sed et antiqua illa nostra declaratio nonnullas dispositiones continebat, quae nil videbantur habere communis cum sensu verborum, quibus reservatio indicebatur. Sic, v. g., ratione incestus dicebatur reservationem incurrere etiam ille, qui peccabat cum consanguinea aut affini in gradu prohibito, etsi ignorasset illi in illo gradu jungi, dum tamen noscebat consanguineitatem; quae praescriptio est quid extrinsecum conceptui verborum, quibus incestus reservatio indicebatur. Porro haec et aliae similes dispositiones quae quandoque, licet raro, in illa declaratione occurrunt, tunc fuisse sapientissime statutas mihi omnino persuasum est. Sed hodie similes praescriptiones videntur derogatae ad eodem Eminent. Costa. Nam qui ex duabus praescriptionibus vigentibus, praecipúe odiosis, unam retinendam nominatim dicit, et alteram omittit, tacite omissae derogare videtur, ut ex C. *Nonne de praesumpt.* et ex principio quod non expressum habetur pro omisso, et ex aliis legibus tum civilibus, tum canonicis, ut bene notant

plures cum Viva, de Poenit., q. 9, art. I, IV, et adhuc dicemus; Eminentiss. vero Costa statuit ut reservationes iisdem verbis expressae, eodem sensu accipiantur, qui ipsis attributus et declaratus fuit a felicis recordationis Rorengo de Rorà; at de praescriptionibus, quae independenter a sensu verborum in litteris hujus Archiepiscopi habebantur, Eminentissimus Costa nil disponit; ergo:

Adde ad casum incestus, quem in exemplum adduximus, illam aliam dispositionem dioecesanam, qua decernitur ignorantes reservationem, dummodo non affectate quo tempore in crimen lapsi sunt, ab illa habendi sint immunes. Quae ordinatio, etsi absolute componi posse videatur cum antiqua lege, quatenus qui ignorat circumstantiam aliquam sui peccati, adhuc potest noscere in reservationem incidere; prima tamen fronte cum illa minus videtur posse conciliari, maxime si spiritus et finis novae concessionis attendatur. Hinc si aliquando nonnullas ordinationes, quae in antiqua casuum reservatorum interpretatione habebantur, praetermittam, faciam ductus illa ratione, cui insuper favet consuetudo.

Qui causa homicidii includantur sub lege reservationis.

Hanc autem reservationem homicidii voluntarii incurrunt executor et mandans, non vero alii cooperatores si qui fuerint, ut consulens, arma subministrans etc., nisi simul unam ex duabus praedictis qualitatibus induant.

Modus quo patratur homicidium impertinens est ad reservationem.

Nil autem refert sive homicidium inferatur hoc vel illo modo, nempe percussione, veneno, aut alio quovis modo; semper enim erit aeque reservatum, si fuerit voluntarium.

In facultate absolvendi ab homicidio non includitur potestas dispensandi ab irregularitate.

Quoties vero concedit superior facultatem absolvendi ab hac culpa, non concedit facultatem absolvendi ab irregularitate, quam ob homicidium quis incurrerit. Quod et pro sequenti casu abortus dicendum est.

2. Abortus.

Abortus foetus animati de industria procuratus effectu secuto. Abortus definitur « ejectio foetus immaturi. » Procurare autem abortum est studiose et ex industria agere ad ejectionem foetus immaturi, qui, ut culpa sit reservata, debet esse animatus. Diana, p. 5, tract. 7, res. 2, et coord. tom. 5, tract. 6, res. 2; Billuart, de Poenit. diss. 6, art. 6 § 2. Foetus autem ad incurrendam reservationem censendus est animatus post quadraginta dies a conceptione si fuerit sexus masculini, et post octoginta si fuerit sexus

Quando foetus habendus sit animatus pro re nostra.

foeminini; ut fert communior sententia. S. Alph., lib. 3, 394, q. 3; Salm., tract. 13, c. 2, 59. Quod si non constet de sexu, abortus non erit censendus reservatus nisi octoginta dies effluxerint a conceptione. S. Alph., lib. 3, 396. Quamvis ex aliis cum S. Thoma, qui dicunt foeminae conceptionem non perfici usque ad nonagesimum diem, in dubio sexus nonaginta dies ad reservationem dicendum esset requiri, et etiam videtur posse sequi sententia, quae ad animationem foetus masculini requirit spatium quadraginta quinque dierum. Videatur Lugo, de Justitia, disputatio 10, 133.

Quum foetus abortivus vivendi est capax, non incurritur reservatio, aliter si secus, etsi adhuc vivat.

Si foetus ante tempus ordinarium emittatur, et tamen vivat, et spes sit quod vivere possit, non videtur casus abortus, qui poenis plectatur. Nam non potest dici immaturus ille foetus, qui satis formatus est ad vitam, quamvis non omnino maturus et perfectus adhuc fortasse sit. Secus quamvis foetus abortivus adhuc vivat, si tamen peritorum judicio ob nimiam debilitatem vel hujusmodi, sit vivendi incapax, jam videtur satis haberi ad poenas abortus incurrendas, licet nondum incurratur irregularitas, quae cum solum propter homicidium consummatum infligatur, antequam istud facto eveniat non potest incurri.

Casus extra reservationem.

Non incurrit reservationem mulier, quae sumit pharmacum sterilitatis, aut semen ejicit ante conceptionem, quia hoc non est procurare abortum foetus. Similiter non incurrit reservationem mulier, quae variis modis abortum tentavit, si iste haud sequatur, quia requiritur ad reservationem effectus secutus, et quidem foetus animati prout diximus. Item reservationem non incurrit mulier ferens grave pondus, nimium laborans, violenter irascens, choreis aut potationibus voluptariis plusquam par est indulgens, licet praevideat secuturum abortum, quem tamen formaliter non intendit. Item dic de eo, qui cum praevisione abortus in uxore, quem tamen pariter non intendit, illam inducit ad periculosas saltationes, vel gravia onera illi imponit, vel quid simile.

Casus sub reservatione.

E contra reservationem incurrit puella, quae ne diffametur sibi quaerit abortum foetus jam animati effectu secuto; item est de eo qui eidem puellae abortum consuluit, ne et ipse famam amitteret, vel ut favorem praestet puel-

lae; item de medico, qui remedium suggerit quod aptum ad hunc finem existimat, quamvis id praestet unice in gratiam puellae vel alterius, vel ob alium similem finem a desiderio abortus alienum; nam omnes isti vere et determinate volunt abortum, quamvis non per se, et ut ultimum finem, sed quatenus est medium vel ad famam salvandam, vel ad alios fines intentos, ideoque effectu secuto si foetus erat animatus, sub reservatione sunt.

An abortiens poenas incurrat?

Mulier quae sibimetipsi abortum procurat an incurrat excommunicationem per Summos Pontifices latam in procurantes abortum, graviter disputant theologi, v. Sanctum Alphonsum, lib. 3, 395, q. 5. Dicendum tamen istam incurrere apud nos reservationem ratione sui, nec de hoc videtur posse dubium moveri.

Abortui cooperantes simpliciter et non procurantes illum, possunt a simplici confessario apud nos absolvi.

Quaestio et esse potest de cooperatoribus, qui in abortu directe procurato partem habent, quin tamen id praestent ob affectum ad abortum, et quin effectum intendant; ut esse potest, v. g., de famula quae remedium juxta dominae suae praescriptum parat culpabiliter, utpote ob inanem timorem tantummodo ducta, et de pharmacopola, qui remedium quod ipsi petitur praebet ob lucrum, praevidens quidem remedii abusum, sed nil abortum intendens et valde parum de futuro eventu sollicitus; an scilicet isti sint apud nos sub reservatione. Cui difficultati respondemus istos incurrere reservationem jure communi statutam eo ipso quo incurrunt excommunicationem Episcopo reservatam; haec enim infertur in procurantes abortum, et in illo aliqua ratione scienter cooperantes. Verum in nostra dioecesi videntur jam posse a simplici confessario absolvi semper ac haud fuerint et ipsi directe procurantes, prout evenit in exemplis allatis et similibus. Nam dum Archiepiscopus solum sibi reservat facultatem absolvendi a procuratione abortus, dicendus est concedere facultatem absolvendi quotquot procurantes abortum non sunt, at supradicti, de quibus est quaestio, procurantes minime dici possunt; ergo:

Major, qua parte dicit apud nos reservari solum abortus procurationem patet; qua parte dicit hoc facto Archiepiscopum facere confessariis facultatem absolvendi quotquot procurantes non fuerint, etsi delicti abortus haud expertes

probatur ex eo, quod exceptio firmat universalem regulam in contrarium, quod merito videtur posse casui nostro applicari; nam Archiepiscopus dat confessariis omnem facultatem absolvendi ab omnibus peccatis, exceptis casibus exceptis; at cooperantes abortui quin illum procurent non excipit, ergo facit quidem facultatem illos absolvendi. Sic in jubilaeo ubi conceditur facultas, exempli gratia, commutandi omnia vota, exceptis castitatis et religionis, datur et facultas commutandi vota etsi reservata triplicis peregrinationis.

Ratio in contrarium.

Nec opponas confessarium quemlibet ab excommunicatione jure communi inflicta adversus hujusmodi cooperatores, haud posse absolvere nisi fuerit specialiter ad hoc deputatus; nam haec specialis delegatio jam habetur in casu, licet tacito quodam modo; dum enim Archiepiscopus tibi dicit: tantum non absolves ab abortu procurato, specialiter licet tacite tibi facit facultatem absolvendi in eadem materia ab omni culpa, illa excepta; nam duplex est distinguenda cum theologis facultas generalis, una quae dicitur talis quia est vaga et indeterminata, altera quae dicitur talis quia determinate et explicite includit omnes casus licet generico quodam modo, ut facultas dispensandi in omnibus votis, absolvendi ab omnibus peccatis; haec autem secunda aequivalet cuicumque speciali. Videatur Bonac., tom. 3, disp. 2, q. 2, p. 10, 16; quem sequitur Diana, coord., tom. 5, tract. 6, res. 7. Billuart, videatur et S. Alph., lib. 3, 397.

Solvitur.

Declaratio vero in contrarium, quam hic affert Alasia ex Archiepiscopo Rorengo de Rorà, non est ad rem, nam ille Archiepiscopus sibi reservaverat et abortum foetus non animati, potuit autem declarare quod in generali concessione absolvendi etiam a reservatis, nolebat concedere, relate ad abortum, facultatem absolvendi a duplici casu reservato, sed tantum ab uno, scilicet a reservatione abortus foetus non animati, non vero a reservatione abortus procurati foetus animati; quod nil facit contra id quod dicimus, quin potius confirmaret. Sed illa declaratio ad hunc casum in vigore ultra non est ex contraria declaratione Eminent. Costa.

Rejicitur instantia.

Minor autem, qua dicimus istos cooperatores, de quibus

Cooperator distingui potest a procurante.

est quaestio, non esse procurantes, etiam probatur, et ad hoc videtur sufficere revocare conditiones quas supra diximus requiri ut homicidium sit directe voluntarium; nam eaedem requiruntur ut habeatur procuratio abortus; scilicet ut habeatur expressa et determinata voluntas causandi abortum per actionem quae ideo fiat; vel quod determinate ponatur causa, quae nullum alium effectum immediatum et solummodo intentum ab abortu distinctum producerè habeat, et quae proinde proxime et necessario abortum causet. Neutrum autem supponimus in casu, nam illos ponimus abortum non intendere, nec efficaciter velle, nec ullam pariter actionem ponunt quae necessariam connexionem habeat cum tali effectu, ut in exemplis allatis constat; ergo:

Imo adverte quod quamvis praedicti, prout in supposito, interius abortum optent et cupiant, imo et exterius hanc pravam intentionem manifestent, non ideo tamen, prout videtur, incidunt in reservationem dioecesanam, quousque efficaciter non influant in voluntatem ejus, qui abortum procurat, et non influant in eo, quod alter moveatur ad abortum faciendum, etsi illi cooperentur in mediorum subministratione, ad abortum ipsum exequendum, quem jam decreverat facere. Ratio est quia, quamvis in casu abortus in effectu foret ipsis directe voluntarius, non tamen directe voluntaria adhuc ipsis foret ipsa abortus procuratio; quae procuratio quousque contingit, quin in ipsam illi cooperatores, de quibus dicimus, influant, non potest ipsis esse directe voluntaria rigorose loquendo, licet possit esse, et sit ipsis directe volita. At culpa ut sit reservata debet esse completa in genere suo, ni lex aliter exprimat; in casu vero lex potius expresse requirit malitiam quam dicimus in praedictis non haberi; ergo:

Cooperator abortui, qui non influit in directam illius procurationem etsi abortum intendat, non videtur sub reservatione.

Confirmatur. Internus affectus quo dicti cooperatores, prout in supposito, abortum cupiunt, non plus influit in procurationem abortus quam si non esset. At si non habeatur ille affectus, dicti cooperatores procurantes minime sunt, ut probatum est, et non incurrunt reservationem; ergo neque si ille internus affectus adsit. Eadem autem argumentandi ratio satis probat non incurri reservationem dioecesanam quando ille affectus, etsi externe

manifestatus, non plus influxit in procurationem abortus, quam si non fuisset, vel si fuisset tantum internus.

3. Incestus.

Incestus inter consanguineos in primo gradu, item incestus inter consanguineos in secundo gradu, et inter affines in primo gradu; qui duo ultimi sunt casus reservati sub n° 3 secundae classis.

Quid incestus proprie dictus, qui reservatur?

Incestus proprie dictus definitur «concubitus inter personas consanguineas vel affines inter gradus prohibitos.» Ad rationem incestus proprie dicti requiritur completa commixtio seminum in vase naturali; hinc oscula, tactus impudici inter consanguineos aut affines, reseratio seu penetratio vasis naturalis sine seminatione, aut cum seminatione sed extra dictum vas, quamvis habeant saltem in communiori et probabiliori sententia malitiam incestus, non tamen assequuntur perfectam et integram rationem illius, unde sub reservatione non cadunt, prout et jam diximus in exponendis conditionibus generalibus pro reservatis. Bill. Salm., c. 5, 20, et c. 6, 88, de 6° praecepto.

Quaedam ex authentica declaratione.

Quocumque tandem modo consanguinitas aut affinitas orta sit, dummodo incestus peccatum sit in genere suo completum, reservatum dicimus. Ita habebatur in explicatione reservatorum Ill.mi et Rev.mi Rorengo de Rorà, cui declarationi quoad hunc casum judico haud fuisse derogatum, utpote iisdem verbis nunc videtur expressus, aliunde videtur quod non posset aliter dici, quia verba generalia generaliter accipienda sunt, et ubi lex non distinguit nec nos, si per aliud non distinguatur, distinguere debemus. Hinc erit casus reservatus incestus inter consanguineos etiam non legitimos, vel etsi consanguinitas ex uno tantum capite oriatur, si habeatur gradus expressus, non tamen includitur sub hac reservatione incestus inter cognatos legales et spirituales.

Annotatio.

Si aliquando concedit superior facultatem absolvendi a reservatione incestus, non ideo concedit facultatem restituendi incestuosum adulterum, qui cum affine peccavit, in jus petendi quod forsitan amiserit, nisi de hac facultate sit mentio expressa.

4. Sollicitatio ad turpia.

Sollicitatio ad turpia a sacerdote Poenitentiae ministro peracta in actu, vel occasione, aut praetextu confessionis.

Sollicitatio ad turpia est provocatio ad illicita, contra sextum Decalogi praeceptum; unde sollicitatio ad alia peccata, puta ad furtum, ad ebrietatem, etc., non esset peccatum reservatum; a *sacerdote*, propterea non incurrit reservationem si qui sollicitat, etsi sacrilege confessionem audiendo, sit laicus vel clericus qui non sit sacerdos et quidem approbatus ad confessiones audiendas, ut indicatur per verba *Poenitentiae ministro*, sive vero approbatio habeatur a jure, vel ab homine; nec obstat quod denunciandus sit sacerdos qui licet jurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat, sollicitat in adjunctis a Bullis Pontificiis indictis; nam hoc habemus in ipsa lege, quae imponit obligationem denunciandi expressam, non autem exprimitur in lege, quae imponit reservationem; aliunde verba quibus reservatio imponitur videntur solum includere sacerdotem qui jurisdictione pollet. Adde quod prout diximus reservatio est strictae interpretationis; similiter penes nos non est reservata sollicitatio quae fiat extra occasionem confessionis in confessionali, seu in alio loco ad confessiones audiendas destinato, aut electo cum simulatione audiendi ibidem confessionem, quamvis qui sic sollicitaverit sit denunciandus. Nam solum reservatur sollicitatio quae fit actu, occasione vel praetextu confessionis.

Quid et quibus in adjunctis reservetur?

Actu, si quo tempore fit confessio. *Occasione*, si dum confessarius rogatur audire confessionem de presenti, vel si dum ipse confessarius invitat ad veram confessionem. S. Alph., 678. *Praetextu*, si sub velamine et colore confessionis audiendae, ad quam ut fiat, vel ficte invitat, vel se ficte supponit invitari. An dicendus sit sollicitasse occasione confessionis qui utitur scientia habita in confessione, disputatur; sed probabilius negandum est.

Forsitan posset aliquibus videri ad reservationem requiri quod poenitens sollicitationi consentiat, quia actio quae sub poena ponitur semper est intelligenda cum effectu nisi lex aliter expresserit, et si dicimus adesse obligationem denunciandi confessarium sollicitantem, sive sollicitationi poenitens consenserit, sive consensum minime praestiterit, id dicimus quia expressis verbis lex id declarat, quae declaratio non habetur quoad reservationem;

An ad reservationem requiratur consensus poenitentis?

Ratio pro affirmativa.

non est ergo ab uno casu argumentum deducendum ad alium, et ob rationem adductam dicendum non reservari sollicitationem quae fuerit absque ullo effectu. Verum mihi videtur sollicitatio apud nos reservari, quamvis minime poenitens illi consenserit. Nam sollicitatio ex se suapte natura solum importat, ut diximus, provocationem, idest ex se solum requirit, ut sit quaedam actio suapte natura apta ad inducendum ad turpia, ad ponendum scilicet in discrimen incidendi in illa; quoties ergo confessarius aliquid agit, ex quo poenitens constituitur in periculo proximo incidendi in turpia graviter mala, ejus actio sollicitandi jam est completa in suo genere. Hoc vero habetur quoties confessarius aliquam ponit actionem graviter malam in genere luxuriae, sive gravis sit ex objecto, sive ex fine exterius manifestato, sive ex periculo proximo quod secum afferat actio illa ad gravia inducendi poenitentem, sive per se, sive per accidens periculum existat. Ergo si haec agit confessarius in adjunctis a lege determinatis pro reservatione, nempe si actu, occasione, praetextu confessionis, videtur nulla ratione posse ejus culpam a reservatione eximi.

Negativa defenditur.

Erit autem culpa reservata sollicitatio supra expressa sive in masculum, sive in foeminam feratur, sive poenitentem sollicitet confessarius pro se, sive pro alio; nam in hisce casibus semper habetur totum id quod superior designat.

Extensio ad alios casus.

Depositio falsi in judicio in damnum tertii.

5. Depositio falsi in judicio.

Ut sit reservata dicta depositio, videtur minime requiri quod sit jurata, si et haec non jurata admittatur in judicio. Falsitas autem requiritur ut sit subjectiva, nec incurrit reservationem qui bona fide putans dicere verum, falsum testatur, sed et videtur requiri quod sit objectiva. quia alioquin non esset in damnum alterius; verum de hoc magis dicetur.

Quae falsitas requiratur.

Testis qui non teneatur ex contractu veritatem fateri, si a judice interrogatus, testimonium ferre recuset, nil scire asserendo, non incurrit reservationem; est probabilior contra alios qui aliter defendunt. Ratio est, ut ait Ciera apud S. Alph., lib. 4, 270, dub. 3, quia reservatio intelligitur lata in eum qui dep[illegible]ndacio po-

Qui non teneatur ex contractu ferre testimonium, si illud recusat; non incidit in reservationem.

sitivo, non autem negativo, vel si vis quia reservatio intelligenda est de eo qui deponit in damnum proximi contra justitiam, quod in casu nostro non intercedit dum in probabiliori sententia talis testis solum peccare potest contra caritatem, prout revera peccat si non excusetur justa ratione a testimonio ferendo.

Solvitur difficultas ex dioecesana declaratione.

In nostra dioecesi declaratur in reservationem incidere et qui reticet veritatem judici legitime interroganti; verum id videtur nil facere contra id quod nunc asseruimus. Nam ex eadem declaratione semper requiritur quod falsa depositio sit in damnum tertii; in casu vero a nobis exposito, rigorose loquendo falsa depositio non vergit in damnum, solum non afferret commodum, unde declaratio dioecesana intelligenda est de teste in contractu, qui reticet veritatem quam ex justitia tenetur aperire, vel de ipso reo qui reticet veritatem quam manifestare debet ne alteri damnum sequatur injustum.

Testis verum deponens contra ordinem juris in causa civili reservationi non subjicitur.

Similiter testis qui deponit tamquam ex scientia propria quod ex scientia propria non noscit, quod tamen in se verum est, si res est in causa civili, reservationem non incurrit, quamvis falsum etiam pejerando fuerit testatus, dicendo scire ex facto proprio quod aliena fide credebat, quia dum verum quoad substantiam rei circa quam testatur deponit, damnum injustum non potest tertio afferre.

Deducitur consequentia ex principio praecedenti.

Hinc si quis omnino verum existimans, quod aliquis affirmat, id deponit in judicio in causa civili etiam asserendo id scientia propria scire, si postmodum deprehendat fuisse deceptum, licet damnum fuerit proximo secutum, non est sub reservatione, quia quo tempore depositio facta est, ipsa haud fuit formaliter mala, ratione damni tertii, quae conditio exigitur ad reservationem. Nam conditio damni tertii quam lex apponit non sufficit quod quocumque modo habeatur, sed debet poni per actionem formaliter malam, et malam formaliter ideo ratione damni tertii, prout constat ex iis quae diximus exponendo conditiones generales quae ad reservationem peccatorum requiruntur.

Depositio contra ordinem juris in causa criminali est sub reservatione.

Si tamen in causa criminali quis de scientia propria requisitus falso assereret illud scire scientia propria, dum ex alterius narratione cognoscit, si ejus testimonium influat in sententiam (imo ex declaratione dioecesana sufficit

si juxta ordinem judiciarium influere debeat), quae reum ad poenam damnet; videtur incidere in reservationem, licet in se verum sit quod deposuit. Nam reus in casu jus habet ut nemo in judicio deponat contra legis praescriptum; lex autem, prout supponimus saltem in casu, quaerit de scientia propria; ergo testificans falsum in casu, vere contra jus tertii operatur, et vere est in casu quem lex reservationis contemplatur. Quamvis autem damnum revera non sequatur eo quod ab aliquo, vel ab ipso deponente postea avertatur, si tamen ex falsa depositione certo sequi debeat, reservatio apud nos non effugitur. Effugitur vero, etiam falsa depositione supposita, si judex non fuit legitimus qui interrogabat, vel haud legitime interrogabat, ex eadem declaratione, quae ad hunc casum videtur adhuc valere, nam iisdem verbis nunc videtur expressus ac ille pro quo data est declaratio, quae proinde retinenda ex ultima Synodo.

Advertentia ex dioecesana interpretatione.

Sed si ad reservationem non requiritur apud nos ex nostra declaratione quod damnum revera sequatur, sed solum quod sequi debeat ex falsa depositione in judicio, intelligendum tamen de damno quod sequi debeat per se et ex falsa depositione tamquam ex vera causa, non vero de damno quod solum per accidens et occasionaliter ex illa sequi possit. Hinc non erit reservata falsa depositio in judicio ex eo solum quod praevideantur secuturae rixae inter actores, in quibus etiam alter alteri graviter noceat, si tamen illa falsa depositio directe et per se aliud damnum non causet, nec apta sit causare. Quia damna dicta non sequuntur proprie et immediate ex falsa depositione ut illorum causa, sed ex sola impatientia litigantium. Sanchez, Consil., lib. 1, c. 4, dub. 5, 7.

Damnum sequi debet ex falsa depositione ut ex vera causa.

Bonorum ad loca pia spectantium conversio in proprios usus ab administratoribus facta, si anno expleto integre non satisfecerint, vel si requisiti administrationis suae rationem non reddiderint.

6. Bonorum ad loca pia spectantium conversio in proprios usus.

Hic casus in ultima Synodo, Costa XII, aliter ac prius fuit expressus, et nunc iterum mutatus est in litteris patentibus.

Piorum locorum nomine, ait Scavini, 428, post Synodum Novariensem, veniunt quaecumque domus quavis

Quae pia loca dicantur.

auctoritate extructae, et ad Dei cultum destinatae, vel ad ejus ministros educandos et sustentandos, vel ad excipiendos alendosque pauperes erectae.

Hinc bona spectantia ad Ecclesias, monasteria, seminaria, hospitalia, hospitia, vere ad loca pia pertinere dicenda sunt; non vero idem videtur dicendum de bonis spectantibus ad pias sodalitates, confraternitates, congregationes, prout dicuntur caritatis, in levamen pauperum fundatas, nisi quatenus et ad aliquem pium locum spectent, quia illa quidem opera pia dicuntur non vero loca.

Quando illa bona dicantur converti in proprios usus.

Haec vero bona ad loca pia spectantia ex antiqua nostra declaratione dicerentur converti in proprios usus, si in negotiationem quam quis in propriam utilitatem exerceat adhiberentur, vel si in societatem, mutuum, vel ad contractus quoscumque impenderentur et similia, prout de re propria aliquis faceret; et ex eadem declaratione ad incurrendam reservationem sufficiens esset, si praedicto modo illa bona adhiberentur cum probabili periculo ne locus pius damnum incurrat; cui authenticae interpretationi quamvis et in hoc fuerit derogatum per posteriorem Synodum, puto tamen adhaerendum, quia videtur convenire et verbis, quibus nova concipitur reservatio, ut magis etiam patet ex nonnullis quae ad hunc casum jam notavimus exponentes conditiones generales ad reservationem requisitas.

Debet dicta conversio fieri ab administratoribus, cum adjunctis in lege expressis.

Dictorum bonorum ad proprios usus conversio illa solum est reservata quae fit ab illorum administratoribus, non si ab aliis qui hanc qualitatem non habeant, insuper requiritur ut haec bona ultra annum detineantur vel saltem citra annum ultra tempus intra quod requisiti administrationis rationem reddere debuissent.

7. Piorum legatorum protracta solutio, et manifestatio praetermissa.

Piorum legatorum solutio diutius anno absque justa causa protracta, et culpa notariorum qui hujusmodi legata post tres menses a notitia obitus legantis non manifestant. Solutis autem vel manifestatis legatis reservatio cessat.

Qui includantur sub reservatione, ob legata non soluta.

Includuntur sub hac reservatione non solum haeredes, sed illi omnes quibus piorum legatorum solutio spectat aliqua ratione, ita ex declaratione dioecesana quae ad hunc casum adhuc videtur retinenda, utpote quae non videtur in hoc abrogata. Et sic videntur includi tutores,

executores testamentarii, et illi alii quicumque, qui ad hanc solutionem aliquo titulo teneantur. Annus dilationis non incipit nisi a die notitiae obligationis. Declar. cit., et pro eo, cui data est dilatio pro implemento, annus non incipit nisi post tempus permissum, et ut videtur in omni casu non est computandum tempus dilationis quacumque ratione inculpabiliter transactae. Ex regul. juris, 41, 60, in 6.

Annus dilationis quando incipiat.

Illi etiam expresse declarantur sub reservatione includi qui consulto malitiose differrent possessionem haereditatis inire, ne pia legata solvantur, vel possessione coepta voluntarie impotentes se reddunt illis satisfacere; pro primis annus incipit a die notitiae legati, pro secundis a die possessionis.

Alii qui declarantur sub reservatione.

De istis qui impotentes facti sunt, dicit Scavini, 428, quod quamvis teneantur honesta parsimonia curare ut valeant debita legata solvere, si tamen post absolutionem rite obtentam, propositum solvendi violaverint, non iterum incidunt in reservationem, quia, ait, haec non reviviscit. Hoc forsitan verum est in ejus dioecesi ex peculiari dispositione; alioquin non videtur absque difficultate; nam concedo quidem istos non incidere iterum in reservationem si impotentia perduret solvendi, licet propositum solvendi violaverint, quod prius conceperant, ita ut sint animo dispositi ut neque vellent restituere quantumvis possent, quia in hoc casu solutionis dilatio priori retractata culpa, quae fuit in illius causa, est culpabilis solum affective et non effective, supponimus enim impotentiam perdurare; sed si solvendo pares facti fuerint, et iterum eorumdem piorum legatorum solutionem absque causa differant diutius anno a die qua potentes facti sunt, videntur nulla ratione posse excusari ne iterum in reservationem incidant.

Qui in impotentia solvendi, quam culpabiliter contraxit, absolvitur, an incidat in reservationem si postea propositum solvendi violet?

Hodiernis legibus civilibus, apud nos ut valeat legatum pium, multis in casibus requiritur civilis auctoritatis approbatio; hinc quaeres an reservationem incurrat qui studet ne dicta civilis approbatio sequatur, idque etiam malis artibus obtineat; et illam incurrat saltem post annum a die qua malitiose legati approbationem impedivit, et consequenter non solvit: et respondeo videri quod non;

Ob appositum impedimentum legali approbationi ad legati validitatem requisitae, non videtur incurri reservatio

nam quod reservatur est dilatio solutionis, post annum, legati quod vere debeatur ex justitia, si enim non debetur, neque post annum solvendum est; at antequam illa civilis auctoritatis approbatio intercedat, legatum, ut suppono, vere non est debitum, licet fortasse urgere possit obligatio curandi ut legatum efficax et stabile fiat per debitam approbationem, et ex hac etiam approbatione malis artibus contra justitiam adhibitis impedita, exurgere valeat obligatio restituendi ob injustum impedimentum quo legatarius a bono consequendo fuerit remotus. Cum ergo aliud sit curare ne legatum aliquod debeatur, et aliud illud non solvere debitum, illud non cadit sub reservatione de qua est quaestio. Nam ut diximus haec solum fertur in dilatam solutionem legati, quod jam debeatur, nec ut sit debitum ultra indigeat aliqua essentiali solemnitate. Conclusio et videtur probari ab ipsa declaratione authentica in qua dicitur, annum dilationis incipere a die notitiae legati, quum juxta leges, jam robur habeant literae authenticae legati, aut testamenti. Unde etiam vides annum dilationis culpabilis non incipere etiam ante diem qua fuerit illa requisita approbatio obtenta, etsi jam antea habeatur notitia legati, pro illis casibus, in quibus illa necessaria sit.

Piorum vero legatorum nomine intelligenda sunt quae intuitu pietatis relicta sunt, ut quae 1° loco, vel personae sacrae ut tali legata fuere; 2° hospitali; 3° confraternitatibus; 4° pupillis et orphanis; 5° quod causa alimentorum iis qui indigent; 6° quod causa studii saltem theologici; 7° quod ad constructionem monumenti religiosi; 8° ad utilitatem publicam, v. g., ad muniendam civitatem in necessitate, vel vias reficiendas et similia. Busemb. apud S. Alph., lib. 3, 937. Quae legantur alicui privato in satisfactionem rei ablatae, quamvis vocari possint legata pia reductive, non tamen proprie et directe; ideo horum solutio ultra tempus dilata non videtur subjici reservationi. Ex Tamb., hic § 8, 43.

Qui notarii reservationen incurrant ob non manifestata legata.

Notarii qui sub reservatione comprehenduntur sunt illi, qui testamentum acceperunt, non quilibet alius qui possit notitiam legatorum piorum habere. Isti reservationem incurrunt si intra tres menses a die qua noverunt mortem

legantis, hujusmodi legata culpabiliter non manifestent. Manifestanda vero sunt vel Episcopo, vel parocho legantis, vel rectori Ecclesiae in cujus favorem cedit legatum, vel ipsi haeredi si prudenter judicetur id sufficere ut impleatur voluntas testatoris. Declar. cit. Solutis autem vel manifestatis legatis reservatio cessat, ut dicitur in ipso casu reservato, etsi solutio fiat longe post annum, et manifestatio longe post tres menses dictos.

Cui manifestanda.

Solutis vel manifestatis legatis cessat reservatio.

Templa aut coetus haereticorum, etiam curiositatis tantum gratia, adeuntes quo tempore vel sermo ab iis habetur, vel sectae ritus celebrantur.

8. In templa vel coetus haereticorum aditio.

Iste casus primum fuit reservatus ratione censurae per Ill.mum et Rev.mum D. Alloysium Fransoni gloriosae recordationis datis literis 12 maji 1853; deinde fuit reservatus et reservatione ratione sui per illius inscriptionem in literis patentibus confessariorum.

Hujus reservationis initium.

Reservatio hujus casus ratione sui certe perdurat, quia confessarii, qui potestatem delegatam per literas patentes recipiunt, singulis annis cum hac restrictione approbantur; reservatio vero ratione censurae, imo censura ipsa, post mortem Archiepiscopi qui illam tulerat, nullibi quantum sciam renovata, an adhuc perduret vel ejus morte expiraverit, est quaestio quam supra exposuimus praesenti capite sub initio § 2.

Reservatio ratione sui certe perdurat; an perduret ratione censurae remissive.

Non omnis autem ingressus in templa haereticorum vel aditus ad illorum coetus est reservatus, sed ille qui accidit quo tempore vel sermo ab illis habetur et utique de rebus ad religionem pertinentibus, vel sectae ritus celebrantur.

Circumstantiae requisitae ad reservationem.

Insuper ingressus vel accessus non erit reservatus nisi sit culpa gravis, et etiam hic admittendam esse parvitatem materiae non videtur dubium; gravitas autem mensuranda est ex circumstantiis et praecipue: 1. Ex causa ingressus vel accessus, quamvis enim prohibeatur sub reservatione, et ingressus curiositatis tantum gratia, magis tamen in hoc casu requiritur ad gravitatem, quam si ex aliquo motivo, quod aliqualiter fidem offendat, quis ingrederetur; aliunde possunt aliquando dari causae valde urgentes, quae ingressum per se non peccaminosum valeant excusare, aut saltem efficere ut difficilius materia coalescat in gravem.

Vide Bouv., pag. 101; 2. Ex scandalo quod forte adsit, et si in catholicorum animos offensio generetur; 3. Ex modo etiam interessandi conventui vel sistendi in templo, prout nempe magis vel minus quis videtur unum efficere corpus cum haereticis, et iis quae ab illis geruntur communicare; 4. Ex periculo magis vel minus proximo communicandi in religiosis cum haereticis et offendendi veram religionem, aliquid contra ejus praecepta agendo.

Quaeres an sit peccatum reservatum comitari funera haereticorum, tamquam hoc sit coetus haereticorum adire, quo tempore sectae ritus celebrantur.

Comitari funera haereticorum jure communi minime prohibetur.

Respondeo id vetitum jure communi minime censeri; videatur Busemb., lib. 2, tract. 1., c. 3, 11, relatus et a S. Alph., 16; Lacroix, 54. Idque tenent Scavini, tom. 2, 916. Gury, tom. 1, 192, qui ultimi, ajunt, dictum comitatum proprie ad fidem non pertinere, et ut rem mere civilem esse habendam.

Apud nos videtur sub reservatione.

Verum id quod jure communi licitum est, posse, justa interveniente causa, prohiberi jure peculiari extra dubium est; nunc vero resolutio nostrae difficultatis pendet ex eo, an in funere deducendo haeretici ritum adhibeant religiosum vel non, et an vere ut res mere civilis sit habenda, vel non potius ad religionem etiam spectare dicenda sit; ritum autem religiosum adhibere haereticos in casu, saltem in pluribus eorum confessionibus seu sectis, videtur affirmandum, tum propter intentionem ipsorum haereticorum, qui et intelligunt consecrare in gratiam mortuorum et sanctificare quantum possunt dictam coerimoniam, tum ex modo interessendi eorum ministri, qui formaliter ut minister est intercedit, tum propter externos ritus qui vere exercentur, dum, prout mihi dicitur, quum ventum fuerit ad locum sepulturae, super cadaver orantur aliqua scripturarum loca, in quibus resurrexionis mortuorum habetur promissio, et ibi haberi quid sacri videtur supponere et Busemb. cit. Dato autem, quod ibi in dicta coeremonia habeantur actus religiosi, illam apud nos prohiberi et quidem sub reservatione ex se omnino patet.

Adde, posse in eam reservationem incurri ex alio adhuc capite; nam antequam comitatus dimittatur, multoties saltem a ministro haereticorum habetur sermo super defuncti

laudem, ubi de religione defuncti necessario dicitur; et sic aliae videntur haberi circumstantiae a lege reservationis indictae. Nam ibi ad literam videtur haberi accessus ad coetus haereticorum, quo tempore sermo ab iis habetur. Dices, hoc forsitan non sufficere ad reservationem inducendam; nam, ais, lex odiosa stricte interpretanda est: ex fine autem legis intelligitur sermonem prohiberi audiri in quo haeretici disserunt de religione; at proprie et rigorose loquendo, tunc sermo dicitur institui de religione, quando de hac ex professo disserendo agitur, non vero si per accidens tantum de ista aliqua dicantur, quod videtur saltem multoties contingere in illo sermone, de quo est quaestio; ex professo enim laudatur vita defuncti et ferè semper laudantur pecuniae, quas ille possidebat, vel debuisset propter suam virtutem habere, solum per accidens laudatur religio, quatenus nempe etiam religio in defuncto laudanda tunc est, quum omnia, etiam vitia laudari debent.

Ex alio capite in comitandis dictis funeribus haereticorum, potest reservatio incurri.

Ratio in contrarium.

Si haec ita sint, non diffiteor probabile videri talem sermonem non esse ex prohibitis, sub reservatione dioecesana, sed notandum quod sermo materialiter unus est virtualiter multiplex, et moraliter loquendo fere impossibile est quod sermo ille, de quo agimus, aliquam non habeat partem in qua per se et directe et ex instituto non laudetur haeretica religio, vel aliquod ejus dogma, quod sufficit ut quis actionem prohibitam ponat et quidem prohibitam sub gravi, si sermonis materia pertingat ad gravem, ut probabiliter dicendum contingere in praxi; unde practice loquendo dicendum sub reservatione incidere etiam qui tantum audit sermonem, qui fit occasione haeretici sepulturae, ab haereticorum ministro.

Respondetur oppositae rationi.

Possunt tamen dari et hic causae excusantes; sic miles qui ratione officii tenetur illud funus comitari, si recto fine id agat et sibi studeat cavere ne quid detrimenti subeat ejus fides, et illud tantum praestet quod ratio officii expostulat, videtur excusandus.

Possunt admitti causae excusantes.

Quaeres adhuc, an sit casus reservatus ex dioecesana dispositione audire aliquem haereticum in platea dogmatizantem?

Quamvis hoc illicitum sit, et aliquando etiam per hoc possint incurri poenae jure communi statutae contra fa-

Haereticum in platea dogmatizantem audire, non est reservatum.

ventes haeresi, de quo non est hic dicere, videtur tamen quod dioecesana reservatio in casu non incurratur: non enim jure nostro dioecesano prohibetur sub reservatione assistere sermoni alicujus haeretici, vel illum dogmatizantem et quomodocumque blasphemantem auscultare, sed reservatio solum cadit in adeuntes templa, vel coetus haereticorum, etiam curiositatis tantum gratia, quo tempore vel sermo ab iis habetur, vel sectae ritus celebrantur. At ille, de quo est quaestio, non petit templa haereticorum, idque quaestio supponit, nec adit conventum haereticorum, idque pariter supponimus, et ita revera saltem ordinarie contingit, coetus enim qui illum haereticum circumvenit in nostris regionibus ad quas pertinet quaestio, et in quibus spectanda est res, agimus enim de reservatione pro nostra dioecesi statuta, curiosorum est turba, non haereticorum multitudo; nam quamvis ibi aliqui haeretici adsint, longe tamen major pars est catholicorum, licet ex minus probis et nimis curiosis; non proinde potest dici haereticorum coetus, qui sub poena reservationis dioecesanae prohibeatur adiri. Idem autem dicendum videtur de eo, qui aliquem haereticum de religione disserentem audit in aliqua privata conversatione, quae tum haereticis tum catholicis constet, ita ut non magis haereticorum quam catholicorum ille coetus dicendus sit. Imo quamvis ille personarum coetus, inter quas instituitur conversatio, magis et absolute loquendo haereticis constet, tamen, quousque inter privatae conversationis limites res est, nondum videtur casus reservationis, etsi sermo de religione ab aliquo haeretico, vel a pluribus conversando habeatur. Nec enim aliquarum personarum consuetudo videtur consuevisse rigoroso sensu appellari *coetus*, qui ad magis numerosum conventum significandum videtur adhiberi. Nec pariter per verbum *sermo* absolute prolatum in adjunctis, in quibus usurpatur a lege reservationis, videtur intelligenda familiaris collocutio, sed potius videtur illud verbum accipiendum pro allocutione oratorio modo, vel modo cathedrario prolata; saltem quum videatur sic accipi posse, quin vis eidem verbo inferratur, ita accipiendus est, quia odia sunt restringenda.

Privatam haereticorum conversationem adire, neque sub reservatione videtur.

Nunc casus secundae Classis expendendi veniunt:

Blasphemia contra Deum aut SS. ejus Matrem vel uno praesente, qui advertat prolata.

1. Blasphemia contra Deum aut SS. ejus Matrem.

Blasphemia est locutio contumeliosa in Deum.

Blasphemia est reservata sive committatur quidpiam Deo vel B. Virgini tribuendo quod ipsis non convenit, sive quidpiam de illis proprium negando, sive creaturae tribuendo quod Dei solius est, sive Deo vel B. Virgini imprecando, vel ea enuntiando, quae Dei vel Beatae Virginis sunt, per contemptum et irrisionem.

Blasphemia reservatur quocumque modo fiat.

Qui vero jurat per falsos deos, vel in haec verba erumpit, « velit, nolit Deus hoc fiet; nego Deum si ita non est, » incidit in reservationem ex declaratione Ill.mi Rorengo de Rorà. Verum haec declaratio, quam adhuc existimo valere pro hoc casu, supponit juramentum per falsos deos serio fieri, et non tantum per jocum aut quemdam dicendi modum, et gravem pariter malitiam supponit inveniri in eo, qui illa verba usurpat: « nego Deum si ita non est, » quae gravis malitia plerumque in illa proferente, in praxi non habetur, quia iste non intendit aequare veritatem existentiae Dei veritati rei quam affirmat, nec habet animum negandi Deum si res aliter se habeat, sed tantum intendit ostendere firmam suam fidem, qua putat rem ita esse prout testatur; sicut docet S. Alph., lib. 3, 124. E contra illae aliae formulae: « Hoc tam verum est quam Evangelium; quam verum est Deum esse, » expresse a reservatione exemptae declarantur, sicut et expresse eximitur juramentum falsum per verum Deum. Quod juramentum ex eo quod est falsum, non ideo est blasphemia. Qui enim pejerat, ait S. Thom., 2, 2, q. 13, art. 3 ad 2, non dicit aut sentit aliquid falsum de Deo, sicut blasphemus, sed Deum adhibet testem falsitatis; non tamquam aestimans Deum esse falsum testem, sed tamquam sperans quod Deus super hoc non testificetur per aliquod evidens signum.

Expenduntur aliqui casus de quibus in declaratione dioecesana.

Ex citata declaratione reservationem etiam incurrunt qui « corpus Dei, sanguis Dei, » proferunt, si cum contemptu vel irrisione id faciant, ut expresse ibi habetur. Contemptus vero et irrisio requiritur ut sit formalis, quia secus verba declarationis nil operarentur, quod magis probatur ex eo quod, quum solum adest contemptus materialis et absit affectus indignationis in Deum, dictas formulas usur-

pare, in communiori sententia mortale non est. Alasia, praec. decal., diss. 2, cap. 4; S. Alph., lib. 3, 124.

Annotatio. Blasphemia vero non erit reservata penes nos, nisi fuerit prolata coram aliquo, qui advertat proferri blasphemiam, cujus malitiam agnoscat.

Altera animadversio. Quoties superior concedit facultatem absolvendi a blasphemia, non est intelligendus concedere facultatem absolvendi ab excommunicatione, quam quis forte contraxisset ob haeresim, quae cum blasphemia conjungatur.

2. Abusus Eucharistiae aut Sacri Olei. *Abusus Sacrosanctae Eucharistiae, aut Sacri Olei ad magicas artes, maleficia aut superstitiones.*

Olim reservabatur et abusus Sacramentorum, qui hodie fuit omissus.

Quid Sacri Olei et magiae nomine? Sub Sacro Oleo intelligitur Chrysma, Oleum cathecumenorum et infirmorum. Per magiam hic intelligitur ars, per quam mira et insolita ab hominibus, ope daemonum operantur; quod nimis hodierna die factum est frequens, ne dicam familiare apud improbos, qui jam in societate abundant. Maleficium est eadem magia, qua quis daemonis ope alteri damnum infert, et dividitur in veneficum, quo quis nititur hominibus, animalibus, aliisque rebus nocere, et amatorium, quo quis conatur impudicum amorem excitare in aliquo. Sub superstitione vero veniunt omnes ejus species, quae multae sunt, et praecipue, utpote quae facilius possunt contingere, divinatio et vana observantia.

Abusus quid? Si quis igitur sacrilege utatur Oleo Sancto vel SS. Eucharistiae Sacramento ad usum superstitiosum quicumque fuerit, incidet in reservationem. Abuti autem, ait Tamb., hic § 6, 34, significat illud quodcumque peccatum, quod quis committit usurpando sacramentum Eucharistiae, vel Oleum Sanctum cum gravi peccato ad usum praedictum superstitiosum. Semel autem hoc peccatum committere, non desinit dici debere abusum, et ideo satis est ad reservationem.

3. Suffocatio pueri. *Suffocatio pueri anno expleto minoris in lecto, omissa advertenter cautione cunarum aut alio firmo praesidio.*

Adjuncta requisita ad reservationem. Igitur si puer dum suffocatur jam annum attigerat, culpa suffocationis non erit ultra reservata; item erit si non contingat suffocatio in lecto, cujus nomine venit quicumque locus ad dormiendum destinatus; unde si contingat quem-

piam puerum suffocare dum, ex. gr., in agro ad dormiendum se posuit, vel super sellam, hanc reservationem iste non incurret, quia quamvis ille locus tunc electus fuerit ad dormiendum, non tamen est ad hoc suapte natura destinatus, prout requiritur ut lectus dici possit, insuper requiritur quod fuerit omissa cautio cunarum, aut aliud praesidium, quod posset firmum prudenter judicari.

Quocumque tempore et a quocumque fiat suffocatio, est sub reservatione.

Nil autem refert sive diu noctuve suffocatio contingat, sive pater, sive mater, sive quilibet alius illam causet; semper enim et a quocumque reservatio incurritur, ita ex declaratione dioecesana, quae hic videtur retinenda, aliunde id convenit verbis legis.

Exceptio authentica.

Excipitur ex declaratione synodali casus matris quae, cum non valeat e lectulo surgere absque gravis damni periculo, pargulum nimis dolentem quiescere studens, super lectulum sedens, contra morem eumdem inter brachia suscipiat ut lactet, et interim somno correpta, eumdem opprimat et occidat.

Animadversio.

Verum arbitror hanc reservationem perraro haberi, etiam posita pueri suffocatione in circumstantiis per legem reservationis requisitis. Nam quamvis videatur admittendum ad hanc reservationem sufficere, ut suffocatio sit culpabilis in causa et non requiratur ut sit voluntaria directe, quia alioquin inutilis fuisset haec reservatio, et absque sensu, quum jam reservatur homicidium voluntarium, nihilominus haec reservatio ob suffocationem etiam casualem, esse non potest absque culpa gravi; culpa vero gravis neque hic esse potest absque perfecta cognitione probabilis periculi, ne puer suffocetur, et simul absque perfecta voluntate talis periculi non avertendi per satis idonea media; quae conditiones praecipue in matre numquam moraliter loquendo inveniuntur, imo neque in aliis, nisi fortasse isti, vel illa velint consulto puerum perdere. Nam licet sufficiens culpa pro reservatione ob suffocationem, esse possit absque determinata voluntate occidendi, de facto tamen plerumque absque tali mala voluntate non erit, et ut in pluribus inspecta humana conditione, qui gravi culpa causam ponit pueri suffocationis, voluntarie etiam vult puerum occidere. Quum autem habetur haec formalis voluntas occidendi, et reservatio homicidii voluntarii incur-

ritur, pro qua incurrenda minime est opus quod puer anno expleto minor sit, vel quod in lecto contingat, vel quod aliae adsint conditiones pro suffocationis reservatione expressae.

4. Incestus. *Incestus inter consanguineos in secundo gradu, inter affines in primo gradu.*

Remissive. De hoc dictum est supra in reservatis primae Classis.

5. Bestialitas et sodomia. *Pessima et horrenda scelera bestialitatis et sodomiae tum activae, tum passivae.*

Quando reservetur sodomia. Jam diximus solum reservari sodomiam perfectam, idest concubitum ad non debitum sexum, ita ut non sit reservatum peccatum viri congredientis cum foemina in vase non naturali, imo diximus ex probabili sententia solum reservari concubitum masculi ad masculum, et non foeminae ad foeminam. Insuper sodomia debet esse completa, ad quod requiritur seminis effusio intra vas ex parte agentis, ita ut si illa non contingat et quidem intra vas, sodomia non erit reservata neque ex parte patientis, qui vero reservationem incurret si sodomia fuerit completa modo dicto, etsi ipse non polluatur. Aliter in aliquibus olim decernebatur in authentica declaratione, sed illa ad hunc casum vim non potest habere, quia alius, ut dicam modo.

Quando reservetur bestialitas Bestialitas est concubitus cum bruto; ut sit reservata debet pariter esse completa, et quidem coitus debet evenire intra vas bestiae generationi destinatum.

Antiqua dioecesana declaratio videtur ad hunc casum cessasse. In dioecesana declaratione aliter et hic cautum erat, et Alasia, de Reservatione, n. 2, nixus praedictae declarationi adhuc dicit bestialitatem apud nos reservari etsi non sit completa. Sed alibi, de Praeceptis Decalogi, dissert. 6, cap. 1, art. 2, n. 5, idem auctor dicit illam declarationem locum haud amplius habere, eo quod ab Eminentissimo Costa casus aliter fuit expressus. Sed haec ratio non videtur omnino certa, quia tandem quoad rem idem semper esse videtur dicere «congredientes cum bestiis,» quomodo exprimebatur culpa reservata tempore declarationis citatae, et dicere «bestialitas,» prout nunc exponitur eadem culpa. Verum etsi daretur praedicta culpa iisdem exprimi verbis, non tamen videtur sine gravi fundamento conclusio, quae dicit illam declarationem ad hunc casum amplius non habere vim. Nam, in praesentiarum, superior ita videtur

conjunxisse casum bestialitatis cum casu sodomiae, ut idem jus in utroque casu servandum sit; illa enim crimina ponit in reservatione sub eodem numero, et communi appellatione de utroque dicens « pessima et horrenda scelera bestialitatis et sodomiae. » At respectu ad sodomiam antiqua declaratio dioecesana certe non valet, quia tunc temporis non reservabatur sodomia, sed congressus contra naturam, qui vere discriminatur a sodomia, utpote latius patens, ut constat, ergo nec illa esset retinenda pro bestialitate. Adde quod illa restrictio antiquae declarationis poterat fortasse haberi ut quid extrinsecum, et ut dispositio extranea verbis ipsis, quibus casus exprimebatur. Nam illa formula « congressus cum bestiis, » saltem in praesenti materia odiosa, in qua versamur, importaret ex se et sibi relicta, actum completum et consummatum, et sic illi posset esse derogatum ob aliam rationem, quam jam expendimus, ubi de vi illius authenticae interpretationis. Vide de Reservato, *homicidium voluntarium*.

Confessarium non decet in hisce tam obscenis poenitentes minus instructos, qui decenter se explicare non valent, tam diligenter interrogare; quando igitur prudenter timet ne ultra interrogando aliquam offensionem afferat vel poenitenti, vel sibi ipsi et etiam loco, etsi nondum cognoscat an culpa sit reservata, ultra non procedat, idque studeat conjicere ex aliis circumstantiis, puta aetate, malitia poenitentis, vel complicis, si cum aliis dignoscatur peccasse, vel ex illorum actuum frequentia, proclivitate ad venerem et similibus, illud eligens judicium quod sibi magis verum appareat. In primis enim studeat confessarius ne indoctos doceat malitiam aliqua interrogatione nimis aperta, et ne suspicionem praebeat alicujus curiositatis in hac materia, quia hoc non posset esse sine scandalo. In dubio quod non possit removeri absque dicto periculo, reservatio non adest et poterit poenitens absolvi, idque dictum volumus et relate ad reservationem incestus.

Monitum pro praxi.

Prostitutio filiarum, sororum aut uxorum.

6. Prostitutio

Prout hic sumitur prostitutio est exponere, concedere filiam, sororem, etc., ad usum libidinosum, et definitur in Synodo Rorà: «promissio corporis ad pluries fornicandum;» quod pluries ibi determinatur ad quater vel quin-

Quid prostitutio.

quies. Quamvis declaratio synodalis ad hunc casum videatur abrogata, et prostitutio ex una parte videatur haberi, etiamsi semel tantum quis se vel aliam offerat ad alterius libidinem explendam, quoad dictam tamen numeri determinationem videtur adhuc retinenda. Nam eadem vox prostitutio, quae idem sonat ac ad malum usum expositio, non videtur aliena, etiam juxta regulas bonae interpretationis, ab exigendo quod traditio ad malum, potius per modum habitus, quam per modum actus fiat, et aliunde in re odiosa versamur.

Aliquae difficultates circa extensionem hujus reservationis enodantur.

Item eadem declaratio dioecesana, in eo quod dicit reservationem incurrere, qui filiam etiam naturalem prostituit, vel qui sororem etiam tantum uterinam, et licet jam istae se paratae sint prostituere, retinenda videtur: quia in communi loquendi ratione et illa filia et haec soror dicitur, et verba generalia generaliter accipienda sunt, et dispositio, quae in illis sit ad se prostituendum, non facit quod pater aut frater revera non valeant prostituere, et de facto non prostituant; si tamen illae ita essent dispositae ad se prostituendum, ut patris aut fratris consensus nihil in rem influat, jam non videntur isti reservationem incurrere, quia eorum cooperatio absque efficacia esset, in poenis vero quoties punitur cooperatio aliqua, intelligenda est de cooperatione efficaci. Vide Salm., de Censuris. At reservationem non incurrit qui mulierem prostituit sibi invalido fictove matrimonio junctam, haec enim uxor non est.

Laudata saepe declaratio dioecesana etiam sub reservatione ponebat prostitutionem, quae absque effectu idest copula fuisset et quomodocumque permissa.

Prostitutio simpliciter permissa non est reservata, item de ea, quae est sine effectu.

Sed retento quod dicta declaratio quatenus authentica ultra non vigeat, et verbis inspectis quibus nunc reservatio concipitur, consensus negativus in prostitutionem haud videtur ad reservationem sufficiens. Qui enim simpliciter permittit uxori, vel filiae, vel sorori ut se prostituant, hic rigorose loquendo illas non prostituit, sed solum illas se prostituere sinit. Nec dicas etiam illas prostituere, quatenus jam ex permissione sic habita, illae fiant animosiores ad se prostituendum, quod forsan alioquin nullomodo fuisset; nam responsio non est difficilis; si enim fiunt animosiores, ex eo quod eis permittatur prostitutio,

non tamen vere prostituuntur ab alio, et ex eo quod illae fiant animosiores ex permissione, non sequitur quod permittens aliam etiam qualitatem induere debeat, semper enim fiunt animosiores, ut supponitur, tantummodo ex negativo alterius consensu; et etiam dicendum requiri quod prostitutio habeat effectum, idest quod copula sequatur, quia, prout jam saepe diximus, ubi non habemus expressam declarationem in contrarium, culpa ut sit reservata debet esse completa in suo genere, et in odiosis actio semper intelligenda cum effectu. Et dioecesana praescriptio in contrarium, hodie ad hunc casum, ut jam diximus, amplius non facit jus, utpote cui derogatum est.

Qui causam ponit, ex qua tantum per accidens sequatur prostitutio, non incurrit reservationem.

Qui propriae uxori alimenta denegat, unde ipsa postea se prostituit, reservationem non incurrit, nisi prostitutionem ipsam velit, et aliquo modo etiam externe ostendat ipsum in illius prostitutionem consentire, et illam insuper desiderare. Nam qui prostitutionem personae expressae in lege vult tantum in causa per accidens, hic non incurrit reservationem juxta principia generalia antehac posita, et qui non ostenderet se illam desiderare, non influeret positive in illam, sed solum negative, quod pariter, ut nuper dicebamus, non sufficit ad reservationem incurrendam. Vid. cap. *Significasti*, et cap. *Ex literis, de divortiis.*

7. Percussio parentum et eis alimentorum denegatio.

Percussio parentum, et eis alimentorum denegatio.

Qui veniant nomine parentum.

Sub nomine parentum hic in declar. synod., quam ad hunc casum adhuc arbitror vigere, veniunt tantum pater et mater etsi naturales, non avus vel quilibet alius, quod aliunde ait Alasia, consonum est rationi.

Sufficit percussio, quae aliqua ratione sit peccatum mortale.

Quamvis percussio ex se levis sit, nec conjuncta cum gravi laesione, aut nocumento, si tamen sit peccatum grave ratione injuriae, quod vix vitari potest quoties ex malo animo percussio procedit, si odium exterius se prodat, erit reservata. Nec excusantur filii a reservatione eo quod parentes percutiant, dum ab ipsis verberantur etiam injuste quamvis in hoc casu si repercussio valde levis sit, nec appareat proficisci ex affectu gravis indignationis, possit facilius excusari a gravi culpa.

Quid alimentorum nomine, et quorum denegatio reservetur.

Denegatio vero illorum alimentorum, quae titulo pietatis debita sint parentibus, est quae reservatur; non denegatio eorum quae alio titulo, puta urbanitatis, gratitudinis, con-

tractus, legati, etc., debeantur. Nomine vero alimenti intelligendus est victus, vestitus et habitatio.

8. Baptismatis dilatio.

Baptismum post septimum diem infantibus dilatum, culpa parentum.

Quae dilatio baptismatis pro infantibus, dempto speciali periculo, sit culpa gravis, non est bene apud theol. determinata. Penes nos tenendum dilationem ultra septimum diem esse culpam gravem. Potuit enim lex ferri ne ultra septimum diem differatur baptisma, et jam, per hanc justissimam et sanctissimam nostram legem, omnis quaestio circa dilationis gravitatem dempta est pro nobis.

Si igitur parentes, idest pater et mater, etiam naturales, ultra septimum diem, absque debita facultate, incaute infantem differant ad baptismum deferre, sub reservatione erunt.

Attentatio praesentiae parochi ad matrimonium, olim apud nos reservata ratione censurae, ultra non reservatur.

Olim apud nos, casum rëservatum ratione excommunicationis etiam incurrebant liberi, qui occupata per fraudem praesentia parochorum nil tale cogitantium, matrimonium invitis parentibus, et contra Ecclesiae leges contraxissent; tum ex composito praesentes testes, et omnes, quotquot de ea re consilium dedissent. Sicut et illi alii omnes, quamvis patriam potestatem jam egressi, qui hujusmodi matrimonia attentassent. Synodo Rotarii tit. *de Sacramentis*, VII. Verum ex Syn. Costa tit. *de Matrim.*, XIV, quamvis innovata sit illa excommunicatio, et a fidelium communione eo ipso declarentur sejuncti « qui neglectis denunciationibus, vel iis etiam praemissis, cum vetiti essent, ne matrimonium contraherent, ob dissensum parentum, vel ob anteriora sponsalia, aliudve impedimentum objectum, parochum fraude, aut dolo circumveniunt, ut illorum matrimonio intersit, aut repente se illi sistunt in ejus conspectum coram testibus mutuum consensum expressis verbis testantes, ii ipsi, testes etiam, si fraudis sint conscii, aliique omnes clandestinis hujusmodi, ac vetitis nuptiis faventes, ac consilium dantes, » reservatio tamen excommunicationis praedictae videtur haud posse sustineri. Etenim ne dicam de explicita derogatione facta ab eodem Eminentissimo Costa de omni priori reservatione, nisi quatenus ferebatur in casus ab eo ipso expresse iisdem verbis in albo reservatorum positos, constat inter canonistas,

quos sequitur Alasia, de Clandestinitate, ultim. alin., poenam antiquam graviorem censeri abrogatam per novam mitiorem. Nova autem poena ab Eminentissimo Costa statuta, quidquid sit de ejus extensione relate ad illos, qui sub illa includuntur, in se et quoad gravitatem evidenter mitior est, quia ex C. *Nuper, de sentent. excommunicationis*, excommunicatio, quae expresse non declaratur reservata, omnibus confessariis permissa est. Ergo illi antiquae reservationi derogatum est. Adde rationem jam alias adductam, juxta quam, qui ex duabus praescriptionibus odiosis unam expresse innovat, alteram omittit, omissae derogare videtur, ut ex jure dictum est. Et adhuc adderent Concina, de Censuris, diss. 1, c. 7, XVII; S. Alph., lib. 7, 100, et de Privileg., XCIX; Viva, de Poenit., q. IX, art. 1, n. IV, aliique non pauci, cessare etiam casuum synodalium reservationem, quando exponuntur ab Episcopis casus reservati in tabella, in qua illi non exprimantur, quia ex pluribus legibus etiam canonicis non expressum habetur pro omisso, unde quum Archipraesul noster praesentem casum in tabella reservatorum non inscripserit, jam ex hoc secundum citatos AA. illa reservatio, etsi fortasse fuisset, cessasse dicenda foret.

Notantur adjuncta in quibus cuilibet confessario fit ab Archiepiscopo nostro facultas absolvendi a reservatis jure dioecesano.

In iisdem vero Literis Patentibus ad confessarios apud nos datis, ita expresse cautum est: «Ne autem in angustias conjiciantur confessariorum, aut poenitentium conscientiae, omnibus in dioecesi nostra approbatis confessariis facultatem facimus a peccatis reservatis absolvendi: 1. In eadem prolapsos ante decimumquartum aetatis annum; 2. Degentes in gynoeceis, xenodochiis, aliisque similibus domibus, in quibus collegialiter viventes confessarium quemcumque absque licentia adire nequeunt: inclusos in carcere, vel capite plectendos; 3. Aegrotos, quibus, etsi devotionis gratia tantum, Eucharistia est administranda; 4. Sponsos eo ipso die, vel crastino nuptias facturos; 5. Poenitentes, quibus absque scandali, aut gravis probri periculo, nequit prorogari absolutio, quum aliunde dispo-

siti censeantur; 6. Illos qui inculpate alicujus reservati in confessione obliti fuerunt, vel bona fide illud confessi sunt sacerdoti, qui aut reservationem non advertens, aut absque facultate in reservata, incaute absolvit; 7. Spiritualibus exercitationibus operam dantes; 8. Sacerdotes qui, proxime celebraturi, nequirent die festo, absque scandalo vel infamiae nota, Missam omittere; 9. Eos qui generalem totius anteactae vitae, vel notabilis ipsius vitae partis (triennii saltem) confessionem instituunt; 10. Illos tandem qui reservationem ignoraverint, dummodo non affectate, quo tempore in crimen prolapsi sunt. Hi tamen de reservatione certiores redditi moneantur non esse in posterum absolvendos, nisi ab eo qui legitima quoad culpas reservatas potestate sit praeditus, si in crimen relabantur. Declaramus tandem quoties a nobis fiet facultas ab iis reservatis absolvendi, quibus adnexa est censura, ab hac quoque liberandi auctoritatem impertitam censeri. »

Aliquae breves difficultates circa nonnullas ex praedictis clausulis absolvuntur.

Ex praedictis clausulis plures clarae et notae per se sunt; circa aliquas tamen operae pretium videtur nonnulla animadvertere: et 1. ad *quartam* quaeres an sponsi valeant absolvi, qui non determinate et absolute crastino nuptias sunt inituri, sed solum sub aliqua conditione, v. g., si talis vel talis qui expectatur adveniat, vel quid simile; et respondeo affirmative, si probabilis tamen sit spes, quin gravis ratio urgeat in contrarium, quod impleatur conditio tempore utili, ut crastino adhuc valeant matrimonium inire. In humanis enim sufficit haec certitudo quae ex probabili oritur spe, nec quid ultra requirit superior. Si tamen res esset valde dubia, arbitror quod non liceat absolvere vi jurisdictionis, quae ex hac sola clausula confertur.

Nam quando dubium de jurisdictione non oritur ex jure, sed ex facto aliquo peculiari, de cujus existentia valde probabiliter dubitatur, Ecclesia, prout adhuc dicemus saltem probabilius, non censetur supplere jurisdictionem. Sed si dubitatur ne sponsus sit rediturus, vel quod redeundo infamiae periculum subiturus sit, prout saepe contingit in praxi, tum jam poterit absolvi vi sequentis clausulae, quae facit facultatem absolvendi poenitentes, quibus absque scandali aut gravis probri periculo nequit prorogari ab-

solutio, quum aliunde dispositi censeantur. Nec ibi requiritur quod scandalum aut probrum sint moraliter certa, sed satis habebitur jurisdictio etiam in dubio an secutura sint vel non, nam lex ibi solum requirit illorum periculum, quod periculum omnino habetur in dicto dubio. Sub scandalo vero, de quo hic est sermo, non solum intelligitur scandalum, quod aliae personae a poenitente possint subire, sed maxime intelligitur scandalum, quod ipse poenitens passurus sit, non rediens ad confessionem, in peccatis perseverando, vel aliter.

De *sexta clausula* pauca opportuniori loco dicemus infra.

Ad *septimam clausulam* nonnulla scitu digna possent notari; sed quum occasione exercitationum spiritualium soleant pro omnibus expostulari et concedi facultates magis amplae, ac non requirat reservatio dioecesana, minus necessarium est in illa immorari.

Ad *octavam clausulam* advertam, quod si quo tempore sacerdotes confitentur, jam non daretur sufficiens spatium pro opportuno recursu ad superiorem, pro facultate obtinenda ante diei festi celebrationis horam, jam satis proxime a diei festi celebratione confiteri essent dicendi, et sic postea absoluti, jam inde poterunt etiam ante diem festum celebrare, si casus fuerit.

Ad *nonam clausulam* potest notari quod, sicut non requiritur ut omnium peccatorum anteactae vitae denuo confessio instituatur, quia hoc non requiritur, ad hoc quod confessio generalis vere dicatur fieri, sic videtur requiri ut praecipua ex parte fateantur, nec enim aliquorum anteactae vitae peccatorum accusatio, absolute vocatur confessio generalis. Sufficit tamen confessio generalis triennii, ut expresse habemus in clausula.

Pro praxi, fortasse plusquam non videatur, facilis est haec generalis anteactae vitae confessio, quantum opus est, ad hoc ut habeatur inde potestas absolvendi a reservatis, etiam pro casu, qui maxime videtur onerosus, idest quo poenitens pravis consuetudinibus et occasionibus detinetur. Nam si ex actuali confessione, jam hae consuetudines et occasiones dignoscuntur saltem praedominantes, et peccata vi harum patrata jam confessa sint in eorum

specie, sufficit ut poenitens dicat praeterito tempore consuevisse, eadem vel tali frequentia peccasse, quod, ut ita dicam, uno verbo fit; et quum hoc facto, jam, ut saltem in pluribus evenit, praeterita peccata, praecipua ex parte, confessa sint, totum prestitum erit, quod ad habendam jurisdictionem requiritur, quin oporteat, ut praeter praedicta alia exquirantur, saltem, ut diximus, ut in pluribus.

Ad *decimam clausulam* duo advertenda habemus circa monitum quod praecipitur dari iis, qui ratione ignorantiae absolvuntur. 1. Hoc monitum solum praecipi dari illis qui absolvuntur ex hoc tantummodo capite, qui enim poenitentes absolvuntur et ex alio capite, puta vel quia in gynoeceis degunt, vel quia alioquin in scandali aut gravis probri patiendi periculo forent, non essent vi praesentis dispositionis de reservatione monendi, solum essent isti de illa monendi, quando haec monitio utilis judicaretur ad ejusdem poenitentis bonum et profectum, ea maxime ratione, quia confessarius poenitentis utilitatem, quantum potest, semper curare tenetur; 2. Etiam quoad illos qui rigorose essent vi dictae praescriptionis monendi, quia ex hoc tantum capite absolvuntur, eamdem praescriptionem cessare, si damnosa timeatur poenitenti, ut tunc potest evenire, quum praevidetur quod monitus poenitens de reservatione, hujus causa, si forte relabatur, a Sacramentis deget remotus, vel sacrilegas confessiones fortasse alias faciet, vel similia.

§ 4. De reservatis pro Regularibus.

Regulares subjacent reservationi Religionis non Episcopi

Religiosi subjacent casibus in eorum religione reservatis, non vero casibus reservatis ab Episcopo dioecesis ubi morantur, quia a jurisdictione Episcopi ipsi sunt exempti. Est communis. Excipe casus, quos et relate ad ipsos Regulares, Episcopi reservare sibi possunt, ut Apostolicae Sedis delegati.

Subjacent reservationi Pontificis.

Verum, ait Tamb., c. 7, 2, an iidem Religiosi subjaceant casibus absolute a Summo Pontifice reservatis, aliqui dubitarunt sed immerito, sunt enim et ipsi sicut caeteri fideles Summo Pontifici subditi, nec umquam ab universali lege, qua Pontifex casus sibi reservat, liberati ab eo-

dem Pontifice ipsi fuerunt: solum per varia privilegia iisdem concessa, indulgit Pontifex, ut ab iis casibus absolvi a suis Superioribus, juxta privilegiorum tenorem, possint. Quae sint haec Religiosorum privilegia expendemus infra. Bene vero eadem probare videntur Religiosos, generaliter loquendo, subjacere communi reservationi a Summo Pontifice indictae, quia secus absque ulla ratione concessa fuissent.

Aliqui tantum casus reservari possunt in Religione; et quando de facto reservati dicendi sint.

Praelati Regulares possunt tantum sibi reservare casus contentos in motu proprio Clementis VIII edito anno 1593; qui casus solum sunt reservabiles, et nondum reservati, nisi tales declarentur a dictis Praelatis; qui non possunt alios casus sub reservatione ponere, praeter ibi designatos, nisi de consensu Capituli Generalis vel Provincialis prout vel pro tota Religione, vel pro Provincia tantum, vellet reservatio induci; et illa eadem peccata, quae Pontifex illis concessit reservare, non possunt aliter sibi reservare ac Pontifex concessit, nisi pariter de ejusdem Capituli Generalis vel Provincialis consensu.

Nec alii reservari possunt, nec illi aliter ac permittantur, nisi de consensu Capituli.

Unde, quum facultas reservandi illa peccata Regularibus Praelatis concessa intelligenda sit, v. g., de illis peccatis certo mortalibus, prout ipse Pontifex solet sibi tantum reservare, ita non possunt Praelati Regulares peccata etiam contenta in Decreto Clementis VIII sibi reservare in dubio an sint mortalia, nisi cum consensu Capituli requisito. Lugo, disp. 20, 42, et item dicendum de quacumque alia circumstantia eorumdem peccatorum, quam, praeter facultatem sibi datam, velint sub reservatione ponere.

In Religione casus reservare possunt;

Intra limites vero per Clementem VIII concessos, et quoad casus permissos, facultatem reservandi exercere possunt Generalis pro tota Religione, vel quoad aliqua tantum loca, prout subditorum utilitati expedire in Domino judicaverit. Provincialis quoad Provinciam sibi subditam, et Superior localis quoad familiam; nam quamvis de istis negent aliqui dissertis verbis ut Giraldi, p. 2, sect. 38; Ferraris, v. Praelatus Regul. n. 56, et v. Reservatio n. 11, ubi ait hanc negativam sententiam esse communem et certam; videtur tamen istos solum non posse aliquam culpam sibi reservare, praeter illas permissas a Clemente VIII, neque etiam de consensu Capituli Conventualis

Generalis.

Provincialis.

Et superiori locali dicta potestas vindicatur jure communi inspecto.

quia hoc ipsis non conceditur, sed minime prohiberi, intra limites ejusdem facultatis, casus permissos sub reservatione includere, si aliquis adhuc sit, qui ab aliis superioribus Praelatis haud fuerit reservatus. Nam et istos appellari Praelatos docet Fagnanus C. *ad aures. de temp., Ordinat.* n. 3, et est communis cum S. Alph., lib. 7, 101; Alberto a Bulsano, in expositione regulae, § 116, n. 2; istos habere jurisdictionem quasi Episcopalem contra citatum Albertum a Bulsano Reiffenst., lib. 5, tit. 7, 418, docet com aliis Suarez, quem citat et sequitur Bouix, de Jure regul., part. 6, c. 2, § 1, tom 2, pag. 408, et item tenet cum pluribus S. Alph., lib. 7, 10, ubi ait Superiores locales posse ferre censuras, et istos posse illos sibi casus reservare intra limites supradictos, videntur communiter docere Theol., v. Concina, pag. 336, 1; Lugo disp. 20, 39, 40, et forsitan Ferraris hoc negavit, inspectis sui Ordinis constitutionibus, quae Superioribus localibus hanc facultatem non concedunt, non inspecto jure communi, quod posse restringi in singulis Religionibus, pro casu nostro, per Ordinis statuta, bene concedimus, quaeque ubi sint, certe servanda.

Objectio contra assertam superiori locali potestatem dissolvitur.

Nec videtur obstare nostrae conclusioni Decretum S. C., quod refert laudatus Ferraris, v. Praelatus Regularis, n. 58, quod ex Matthaeuccio citat et Giraldi, p. 2, sect. 38, in quo dicitur Superiorem localem non habere potestatem super reservata in Religione, et hanc potestatem ordinariam solum competere Generali et Provinciali. Nam Decretum supponit reservationem indictam fuisse a Generali vel Provinciali, qui sibi reservaverit facultatem a statuta reservatione relaxandi. Saltem illud Decretum sic videtur interpretandum, praecipue cum in ipso Decreto expresse dicatur Clementem VIII non disposuisse, nec determinasse apud quem sit potestas absolvendi a reservatis in Religione, sed id constitutionibus, usibus, et communi religionis observantiae remittere.

Casus in Religione reservabiles in specie numerantur.

Casus in Religione reservabiles ex citato Clementis VIII Decreto, sunt:

1. Veneficia, incantationes, sortilegia.

2. Apostasia a Religione, sive habitu demisso, sive re-

tento, quando eo pervenerit, ut extra septa Monasterii, seu Conventus fiat egressio.

3. Nocturna, et furtiva e Monasterio seu Conventus egressio, etiam non animo apostatandi facta.

4. Proprietas contra votum paupertatis, quae sit peccatum mortale.

5. Juramentum falsum in judicio regulari, seu legitimo.

6. Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum, post animatum foetum, etiam effectu non sequuto.

7. Falsificatio manus, aut sigilli officialium Mónasterii aut Conventus.

8. Furtum de rebus Monasterii seu Conventus in ea quantitate, quae sit peccatum mortale.

9. Lapsus carnis voluntarius, opere consummatus.

10. Occisio, aut vulneratio, seu gravis percussio cujuscumque personae.

11. Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum a Superioribus ad inferiores, et ab inferioribus ad Superiores.

Quaedam praescriptiones ex decreto Clementis VIII ad praesentem materiam.

Praeter prohibitionem vero qua, prout diximus, in praecitato Clementis VIII Decreto decernitur ut, si quod aliud peccatum grave pro Religionis conservatione, aut pro conscientiae puritate, reservandum videbitur, id non aliter fiat, quam Generalis Capituli in toto ordine, aut Provincialis in provincia, matura discussione et consensu; etiam sequentia statuuntur:

Non liceat Superioribus Regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserunt, aut ipsimet sponte, aut proprio motu id ab ipsis petierint.

Superiores in singulis domibus dèputent duos, tres, aut plures confessarios, pro subditorum numero majori, vel minori; iique sint docti, prudentes, charitate praediti, qui a non reservatis eos absolvant, et quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi, ipse in primis confessarius judicaverit.

Tam Superiores pro tempore existentes, quam confessarii, qui postea ad superioritatis gradum fuerint pro-

moti, caveant diligenter, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem utantur.

Licebit tamen Superioribus determinare poenitentias graves quibusdam peccatis, etiam non reservatis, a confessariis imponendas, quae subditos ab ejusmodi perpetrandis cohibere possint. In usu tamen hujus potestatis necessaria est prudentia et moderatio, ut ait Suarez, disp. 30, sect. 5, n. 3, et regulariter non debent illa uti Superiores, nisi dubitent de prudentia confessariorum, quibus commissum est absolvere.

Posterior Urbani VIII circa praesentem materiam providentia.

Decretum autem Clementis VIII confirmatum fuit ab Urbano VIII, 21 sept. 1624, per Decretum S. C. Concilii, addita hac declaratione: « Sanctitas Sua deinceps declaravit et declarat, ut si hujusmodi Regularium confessariis casus alicujus reservati facultatem petentibus, Superior dare noluerit, possint nihilominus confessarii illa vice poenitentes Regulares, etiam non obtenta a Superiore facultate, absolvere. » Ubi particula *illa vice* intelligenda est toties quoties casus occurrerit, cum non fuerit apposita particula taxativa *tantum*, quare locum habet quoties confessarius petit facultatem et superior dare noluerit. Alasia cum communi.

Praelati Regulares censuram, quam infligant, reservare non possunt.

Praelati Regulares non possunt, in communiori et probabiliori sententia, alicui gravi peccato, in Clementis Decreto non contento, censuram adnectere, quam sibi reservent; quia hoc nihil aliud esset quam Decretum Clementis VIII eludere, et ejus finem frustrare. Alasia, 195; S. Alph., 583, et oppositam sententiam improbavit S. C. Episc. et Regul. 7 julii 1617; apud Bened. XIV de Synodo, lib. 5, c. 5, n. 5.

Moniales an subdantur reservationi Episcopi?

Moniales, quae Episcopo subjectae sunt, reservationem ab Episcopo indictam incurrunt, juxta communiorem et veriorem sententiam cum S. Alph., 602, contra aliquos, qui dicunt Moniales etiam Episcopo subjectas, non incurrere reservationem, quae generaliter pro tota dioecesi fuerit ab Episcopo statuta; quoad illas vero, quae non Episcopo sed Praelatis Regularibus subjiciuntur, alii dicunt reservationem Episcopalem incurrere, quia cum confessarii Monialium etiam a Regularibus dependentium,

sint ab Episcopo approbandi, ab eo approbari intelliguntur solum quoad peccata ab ipso non reservata : probabilior tamen videtur contraria sententia aliorum, qui dicunt Moniales exemptas ab Episcopi jurisdictione non incurrere reservationem Episcopalem. Id vero communiter probant ex eo quod, quamvis et istarum confessarii approbandi sint ab Episcopo, non tamen ab Episcopo accipiunt jurisdictionem, quam potius a Praelatis ipsarum Monialium accipere volunt, quamque proinde obtinent nullomodo ab Episcopo limitatam. Roncaglia. Vide et S. Alph., 602, Alasia. Sed haec ratio opponitur cuidam responsioni Pii PP. VI datae maji 1790, apud *Analecta* anno 1866, col. 2170, ex qua expresse habemus, confessarios Monialium etiam Regularibus subjectarum, non solum approbationem, sed et jurisdictionem accipere ab Episcopo, qui illos approbat. Unde potius dicendum, Moniales ab Episcopi jurisdictione exemptas, non incurrere Episcopalem reservationem, ideo quia Episcopo subjectae non sunt, et Episcopum, illarum confessarium probando, illius jurisdictionem limitare non intendere, ideo quia illae ut non subditae, ab ejus lege coactiva circa peccatorum reservationem non debent ligari. Excipiendi tamen sunt cum Alasia casus, quos Episcopi sibi reservaverint in materia ipsis pertinente, tamquam Apostolicae Sedis delegatis, juxta Tridentini tenorem. Nam et hanc reservationem semper incurrunt Moniales ; adducit autem citatus auctor ad hoc probandum D. S. C. 16 novemb. 1720. Quamvis et in hoc casu ex S. Alph. cit., 602, probabiliter Moniales in foro conscientiae possint absolvi a suis confessariis; nam sanctus Doctor dicit delegationem Episcopis factam a Tridentino, ut procedant in statutis casibus contra personas exemptas, solum respicere forum externum. Sed sententia, quam sequitur Alasia, videtur probabilior. Vide Ferraris, v. Moniales, art. 3, 94, et art. 4, 30, adducentem et ipsum S. C. decreta, quae videntur interpretanda magis pro hac sententia. Quibus autem in casibus subjaceant Moniales Episcopo ut Apostolicae Sedis delegato expendit Fagnanus C., *Grave de officio Ordinarii*, tom. 1, pag. 595, quem laudat Bened. XIV, de Synodo, lib. 9, c. 15, 12.

Novitii pro patratis in Religione non subduntur reservationi Episcopali.

Novitii neque ipsi subduntur reservationi Episcopali et possunt a Praelato Religionis absolvi a reservatis Episcopo, in quae forte tempore novitiatus inciderint, et ab istis etiam possunt absolvi a communi confessario saeculari, cui etiam absque licentia Praelati confiteantur, prout saltem probabiliter docent multi, et magis constabit ex dicendis.

A patratis ante ingressum in Religionem a quo absolvantur Novitii?

A reservatis vero Episcopo, quae commiserint Novitii ante ingressum in Religionem, possunt nunc absolvi a suis Praelatis, ob privilegium Religioni concessum; non possent tamen ab istis absolvi a communi confessario saeculari. S. Alph., lib. 6, 583, in fine, nisi et huic confiteantur de licentia Praelati Religionis, a quo jurisdictionem accipiat confessarius.

A reservatione Episcopali eximuntur et familiares Religiosorum.

A reservatione Episcopali exempti etiam sunt familiares Religiosorum exemptorum, modo inibi sint quasi de familia, et continui commensales.

An eximantur et alumni Monasteriorum exemptorum?

Id extendit Bordonus apud S. Alph. cit. et Pelliz. penes Tamb., c. 3, 3, et ad alumnos monasteriorum, et ad puellas conservatoriorum exemptorum, quia cum isti, per quasi domicilium commorentur in loco exempto, de exemptione participare debent, quod non est improbabile, vide et Gury, 564. Idque et alii magis admittunt, si non ratione exemptionis personalis, de quo maxime disputant canonistae, saltem ratione exemptionis loci, in quo isti degunt et peccare supponuntur prout magis dicemus. An vero Novitii incurrant reservationem in Religione inflictam disputatur; plures contendunt illam non incurrere, quia in odiosis Novitii non veniunt nomine Religiosorum, et vere Religiosi non sunt, et vere possunt absque ulla speciali Praelati facultate confiteri confessario saeculari, vel etiam Regulari, sed approbato ab Episcopo pro saecularibus, et judicari absque ullo respectu ad leges Religionis cujus sunt Novitii; alii vero contendunt et Novitios incurrere reservationem Religionis, quia per ingressum in Religionem animo illam suscipiendi sunt, ac illi qui mutaverunt domicilium, relinquentes territorium Episcopi saecularis, et se subjecerunt in omnibus Praelato Regulari; prior sententia magis videtur probanda cum Ferraris v. approbatio, art. 2, a n. 15.

An Novitii incurrant reservationem Religionis?

De Religiosis extra domum.

Religiosi iter agentes vel alibi de Superiorum suorum licentia commorantes, si non habeant copiam confessarii

consodalis pro reservatis deputati, poterunt reservata in Religione, quae forte commiserint, fateri et ab illis absolvi etiam a confessario sui Ordinis pro reservatis non approbato; quod si ille confessarius sui Ordinis deficiat, poterunt eadem reservata fateri et ab illis absolvi a confessario saeculari, vel Regulari alterius Religionis probabiliter, etiam non approbatis (1), si Capucinos excipias, qui solum possunt confiteri in casu Sacerdoti saeculari qui ab Episcopo, vel Regulari qui saltem a suo Superiore approbationem obtinuerit. An vero postea teneantur eadem reservata fateri suis Superioribus vel confessariis pro illis reservatis approbatis, servandae sunt cujusque Ordinis regulae et observantiae. V. Suarez de Religione Tom. IV. Tract. 8. Lib. 2, c. 19. Atque ad id teneri Capuccinos constat, pro casu quo externo confessario confiteantur, ex Bulla Bened. XIV: *Quod communi*, 30 martii 1742, ubi praefatus Pontifex revocans peculiare statutum, quo fratribus illius Ordinis vetitum erat, ne confessariis extra proprium Ordinem unquam confiteri possent, statuit ut quamvis absolutionem omnium etiam reservato-

(1) Pro sententia, quae tenet Religiosos in casu, Capucinis exceptis, posse confiteri Sacerdoti saeculari vel Regulari nusquam approbato, modo de jure naturali idoneus sit ad tale ministerium pro tali subjecto, teste Giraldi part. 2. sect. 105 sub fine, pugnat turba Moralistarum. An vero a tali opinione omnino recedendum sit, ut ipse contendit, attenta, tunc temporis, novissima Declaratione S. C. C. in causa Hildesimensi, 16 septemb. 1769, nondum videtur constare. Notat enim Gury tom. 2, n. 174, et ibi Ballerini qui objectam Declarationem inter Acta S. C. requisivit, in illa fuisse quaestionem de Religiosis itinerantibus, vel extra domum commorantibus, qui confessarium externum eligebant, dum tamen non deerant, vel facile poterant haberi, qui ex propria cujusque Ordinis familia eorum confessiones excipere possent. Unde illa sententia non inde decidit sua probabilitate, quam eidem conferunt argumenta tum intrinseca, quum Tridentinum nil innovaverit circa approbationem confessariorum Regularium, tum extrinseca a Moralistarum turba deprompta, et bene videtur saltem probabilis, et illam et sequitur S. Alph. lib. 6. 575, et de Privilegiis XXI.

Rationem autem exceptionis relate ad Capucinos habemus ex Bulla Benedicti XIV *Quod communi*, in textu citata, ubi Pontifex derogans statutis illorum Religionis, ad hoc ut possent et ipsi externo confessario confiteri, quum de Superiorum suorum licentia, quacumque legitima de causa, iter agant, vel alibi commorentur ubi nullus Conventus, seu Hospitium, nullusque Frater sui Ordinis reperitur, sub hac tantum conditione derogavit, ut teneantur eligere confessarium ab Episcopo, si saecularis ille sit, vel a suo Superiore, si Regularis, approbatum.

Sanctissimus vero Dominus noster Pius Pontifex IX anno 1852, ampliando facultatem prius Capucinis concessam a Bened. XIV, potestatem eisdem fecit, in adjunctis a Benedicto XIV commemoratis, ut valeant externo confessario confiteri peccata sua etiam reservata, sub onere tamen praedicto, etsi unum sui Ordinis habeant confessarium Sacerdotem.

rum ab externo et communi confessario obtinere valeant, quoties de Superiorum suorum licentia, quacumque de legitima causa, titulo, et occasione iter agant, vel alicubi commorentur, ubi nullus Conventus seu Hospitium, nullusque Frater sui Ordinis confessarius reperitur, teneantur tamen se statim ac ipsis permissum fuerit, coram suo Regulari Superiore presentare, ac de novo super casibus et censuris reservatis absolutionem impetrare.

PARS ALTERA

CAPUT I.

De iis qui valent a reservatis absolvere; de pluribus adjunctis in quibus per confessionem apud illos factam tollitur reservatio; et de absolutione a reservatis peregrinorum.

Qui a reservatis absolvere valeant.

A reservatis absolvere potest: 1. Superior ipse reservans, qui enim ligare potest, potest et solvere. 2. Reservantis successor, quia successor est eadem moraliter persona in potestate cum antecessore. 3. Superior reservantis in eodem foro, quia superior eo ipso quo superior est, plus potest ac inferior. Sic Papa absolvere potest ab omni vinculo reservationis Papalis, Episcopalis, Regularis; Generalis Religionis potest absolvere a reservatis inferioribus Praelatis; et Archiepiscopus potest absolvere a reservatis ab Episcopis suffraganeis dum actu visitat illorum dioecesim, vel in gradu appellationis. 4. Ille qui habet potestatem delegatam absolvendi a reservatis directe vel indirecte. Directe delegatur quis, quando a superiore reservante, vel ab alio superiore cui facta sit potestas delegandi, ut est, v. g., de Episcopis, qui in pluribus casibus, prout dicemus, possunt delegare facultatem absolvendi etiam a reservatis Pontifici, immediate obtinet potestatem in illa (1).

(1) Plures sunt qui potestatem delegatam absolvendi a reservatis obtinent vi officii ipsis crediti, cui officio illa potestas annexa est, et horum potestas jam non delegata sed ordinaria dicitur, licet subordinata. Inter istos praecipue veniunt summus Pontificis Poenitentiarius, qui ab omnibus fere casibus summo Pontifici reservatis absolvere potest; Legatus Pontificis a latere, qui in omnes fere pariter casus Pontificios potestatem accipit a die sui egressus ab Urbe,

Indirecte vero conceditur sacerdoti jurisdictio in reservata, quando ab habente potestatem ab iisdem reservatis per se vel per alium absolvendi, conceditur alicui poenitenti facultas eligendi sibi confessarium, a quo a reservatis absolvatur. Confessario enim sic electo, dicitur indirecte concedi potestatem in reservata poenitentis eligentis illum.

Vicarius Generalis, ad absolvendum a reservatis Episcopo, probabilius non indiget speciali facultate.

Vicarius generalis Episcopi, an absque speciali commissione, possit absolvere a reservatis ab eodem Episcopo, negant plures cum Mazzota, 337, et Scavini, 10, 421. Verum opposita sententia, quam tuetur Alasia cum pluribus aliis, longe est probabilior, imo non omnino immerito ex Viva, art. 4, 1, certa dici videtur, quia in iis quae sunt potestatis ordinariae Vicarii et Episcopi unum est tribunal, et quia, etsi Vicarius ab Episcopo deputetur, est tamen ordinarius, quia a lege auctoritatem habet, non ab Episcopo. Potest autem et Vicarius generalis Episcopi deputare confessarium, qui et ipsum absolvat ab illis reservatis si casus fuerit, ut communiter cum Lugo, disput. 20, 58; Salm. c. 13, 35.

Poenitentiarii, solius officii ratione, non pollent facultate in reservata Episcopo; item est de Parochis.

Poenitentiarii, etsi ordinariam potestatem audiendi confessionem habeant et absolvendi vi officii, non tamen possunt, sicut neque id possunt Parochi, absolvere a reservatis, absque Episcopi reservantis licentia, quia eorum potestas etiam ordinaria potest limitari ab Episcopo; idque quoad Poenitentiarios declaravit S. C. C., 6 julii 1647, prout refert Bened. XIV, de Synodo, lib. 5, c. 5, n. 8, et quoad Parochos jam constat ex dictis; est contra Chapeaville, qui contendit poenitentiarium habere, ratione sui officii, potestatem in omnes casus et censuras sui Episcopi; apud Mazzota.

Confessus apud superiorem, liberatur a reservatione quoad inculpabiliter oblita.

Qui legitime confitetur habenti potestatem absolvendi a reservatis, si inculpabiliter obliviscatur alicujus peccati sive reservati ratione sui, sive reservati ratione censurae,

usque ad reditum in eamdem, non solum quoad eos qui sunt provinciae ad quam mittitur, sed et in omnes cujuscumque loci sint, qui illum in itinere adeunt; et veniunt Nuntii Apostolici pro locis ipsis assignatis pro multis etiam casibus qui ipsis permittuntur; et veniunt Episcopi pro multis adhuc casibus ipsis ratione eorum dignitatis et officii concessis, de quibus dicemus.

Sive autem summus Poenitentiarius, sive Legatus a latere, tum etiam Nuntii Apostolici, tum Episcopi, potestatem quam habent in casus Papales, ratione officii et dignitatis, exercere possunt tum per se, tum per alium.

liber fit ab obligatione alias apud superiorem confitendi reservatum oblitum, et jam absolutus fuit a censura si peccatum reservabatur ratione censurae, vel a vinculo fuit reservationis solutus si peccatum reservabatur ratione sui, ita ut illud oblitum reservatum possit communi confessario aperire, et ab isto absolvi. Excipe nisi habeatur positiva praesumptio et gravis ratio, quod superior noluerit a censura absolvere nec a vinculo reservationis liberare. Aliqui id negant cum S. Alph., 597; Suarez, disp. 31, sect. 4; Vasquez, et vellent conclusionem tantum admittendam pro casibus, in quibus haberetur aliqua positiva praesumptio quod superior voluerit a reservatione poenitentem liberare. Et quamvis Vasquez apud Lugo, disp. 20, 87, concedat in casu auferri censuram etiam reservatam, non tamen concedit auferri reservationem culpae, quae sub illa censura prohibebatur. Illa autem praesumptio, quam praecitati AA. requirunt, ex ipsis haberetur quoties ex aliquo indicio posset bene deduci superiorem vere voluisse poenitentem a reservatione solvere, ut quum poenitens accederet ad superiorem expresse vel tacite illi significando, se apud illum ideo confessionem instituere, ut a peccatis reservatis absolvatur, et absolutio illi simpliciter a superiore impertitur, vel quoties privilegium pro absolutione a reservatis concessum fuit ipsi poenitenti, ut evenit in jubilaeis et similibus.

Limitatio.

Aliorum contraria sententia.

Sed sicut longe communior, ita et probabilior nec non tenenda conclusio; quae valet sive confessio facta fuerit apud superiorem, qui ordinaria potestate potest a reservatis absolvere, sive facta fuerit apud eum, qui illud potest solum potestate delegata; et etiam tenet, ut expresse notant plures, pro casu quo jurisdictio in reservata habeatur solum ratione articuli mortis, quo igitur periculo transacto, non remanet in poenitente obligatio fatendi superiori reservata tum oblita. Quod si extenditur conclusio ad oblita in articulo mortis, consequenter extendenda ad oblita in confessione eo tempore facta, quo inferior confessarius potuisset a reservatis oblitis, ratione impedimenti quo detinebatur poenitens adeundi superiorem, directe absolvere; quam potestatem quando inferior confessarius habeat, dicemus infra.

Nostra conclusio communior et probabilior.

Probatur. Probatur vero: et primo pro reservatis ratione censurae ex eo quod confessarius etiam delegatus semper intendat absolvere quantum potest a censuris, priusquam absolvat a peccatis, prout et intendere debet, quum quilibet poenitens priusquam absolvatur a peccatis, prius a censuris absolvi debeat; ergo dum est potens absolvere ab excommunicationibus etiam oblitis vel justa causa omissis, ut supponimus, vere absolvit ab illis. Lugo, disp. 16, 623; Salm., c. 13, 44, de Poenit.; Tamb., c. 9, § 6, 1. Sublata vero censura reservata, reservatum ultra non est, ex communi sententia, peccatum, super quod excommunicatio cadebat. At eadem ratio, quae evincit confessarium potentem absolvere ab excommunicationibus reservatis etiam oblitis, ab illis revera absolvere, pariter evincit absolvere a simplici vinculo reservationis quo ligetur poenitens, etiam quoad peccata oblita; nam vinculum simplicis reservationis, modo suo impedit poenitentem a suscipienda absolutione, ac illum modo suo impedit excommunicatio reservata; si igitur intendere debet confessarius poenitentem absolvere a censuris oblitis, et illum intendere debet absolvere a reservatione ob peccata oblita; ulterius et hic optime videtur militare ratio, quam adducit Suarez, n. 16, scilicet: non esse verisimile velle superiorem tollere reservationem in peccatis habentibus excommunicationem annexam, quae solent esse graviora, et non in aliis. Plus est enim velle tollere excommunicationem et reservationem illius, quae et culpam obstringit, quam solum reservationem culpae. Quum ergo eadem et major ratio sit ad concludendum tolli in casu reservationem ratione sui, quam reservationem ratione censurae, et hanc probatum sit auferri, a fortiori item dicendum de illa. Accedit quod quoties superior videt subditum bona fide procedentem, et cum simplicitate cordis sui latebras eidem aperire, merito praesumitur, et judicatur, quod velit quantum potest eidem subdito favere, maxime quum semper implicite poenitens cum eo animo accedat, ut, quantum fieri potest, solvatur a peccatis et vinculis quae habet. Quum ergo possit reservationem tollere, vere auferre dicendus est, licet postea adhuc maneat obligatio juris divini, illa peccata oblita clavibus subjiciendi. Et etiam in confessione facta apud de-

legatum, ex usu et benignitate Ecclesiae, ipse superior merito praesumitur tollere per se omnem reservationem, quoad peccata omissa, favore poenitentis, qui illi delegato legitime sistit et debite procedit; vel praesumitur concedere ut ejus delegatus absolvat poenitentem, bona fide et debitis dispositionibus ad sacramentum Poenitentiae accedentem ab omni vinculo peccatorum, quo possit ipse delegatus.

Laudatur limitatio superposita; et quando locum habere dicenda sit.

Hanc sententiam etiam S. Alph. probabilem dicit tum probabilitate intrinseca, tum extrinseca; ejus autem limitatio, qua vult non tolli reservationem in casu quoad oblita, quando habeatur positiva praesumptio quod, si superior illud peccatum audivisset, absolutionem distulisset, videtur vera, nec videtur probatione indigere, et nil contra illam facit ratio sententiae, quae vult reservationem semper tolli; et nos ideo diximus in conclusione non tolli censuram reservatam, nec simplicem reservationem quoad peccata oblita, vel justa causa omissa in confessione etiam apud superiorem facta, quoties habeatur positiva praesumptio, quod superior noluerit censuram auferre, vel reservationem, per absolutionem in illa confessione impertitam. Sed haec praesumptio, ut notavimus, gravi ratione debet et gravi fundamento fulciri. Nam secus, ut communius et verisimilius dicitur, et probabiliter concedit ipse S. Doctor, semper potest praesumi superiorem consentire, ut auferatur reservatio, semper ac poenitens confitetur penes habentem facultatem. Dicto autem modo intellecta limitatio etiam videtur valde communis, licet non ab omnibus expressa; sic valde communiter dicitur contra aliquos, quod, qui ex oblivione omisit aliquod peccatum, cui est annexa censura, a qua poterat quidem valide confessarius absolvere, non tamen licite, nisi praemissa satisfactione partis, non remanet ab illa censura absolutus, etiamsi confessarius dixerit illum absolvere quantum poterat a censuris; merito enim praesumitur confessarium noluisse absolvere ab ea censura, a qua licite absolvere non poterat, satisfactione non praemissa (1). Lugo, disp.

(1) In jubilaeo haec absolutio impertita absque satisfactione partis reali, quum fieri potest, vel absque praestita cautione satisfaciendi juratoria, quum realis satisfactio pro tunc exhiberi impossibile sit, fortasse nec erit valida defectu jurisdictionis. Nam Bened. XIV. *Constit. Convocatis* XXVII, illam satis-

16; 625; Tamb., c. 9, p. 6, n. 2; Viva, de Censuris, art. 7, n. 1 ; et item dic de quocumque casu, in quo Ordinarius non solet absolvere, nisi aliqua peculiari servata conditione, quae sic ideo, quia peccatum fuit oblitum, praetermissa fuit, quod tamen perraro contingere solet, et de jure communi solum habet fundamentum in casu supra exposito, in quo agatur de censura, a qua non possit poenitens absolvi, nisi prius satisfacta parte, vel saltem praestita cautione satisfaciendi, et probabiliter etiam tum in casu, in quo non esset impertienda absolutio, nisi prius imposito et acceptato onere comparendi postea coram superiore, tum pro casu, quo pariter confessarius absolvere non deberet, nisi prius petita et data cautione de standō mandatis Ecclesiae, posito quod hae promissiones standi mandatis Ecclesiae, vel comparendi coram superiore, et illa cautio satisfaciendi juramento vallatae esse debeant, nec sufficiat etiam in foro conscientiae simplex promissio sincere data, ut volunt alii, in quorum sententia jam dicta promissio quoties poenitens valide absolvitur, prout supponitur in casu quaestionis, semper haberetur, et talis ut et ad oblita se extenderet, haberetur enim implicite contenta in proposito non peccandi de caetero, et omne debitum implendi.

At an dictae promissiones juramento firmari debeant, sicut et de casibus in quibus exigenda sit dicta partis satisfactio, et illa promissio standi mandatis Ecclesiae, vel illud onus comparendi imponendum, dicemus infra ubi de absolutione a reservatis in articulo mortis.

Per confessionem apud superiorem factam, tollitur reservatio quoad confessa, etsi confessio fuerit inculpabiliter nulla.

Per confessionem inculpabiliter invalidam factam habenti potestatem in reservata, sive superior ordinarius ille sit, sive delegatus, etiam tollitur reservatio quoad peccata confessa. Est communis et probabilior ex S. Alph., 598. Ratio quia reservatio principaliter ordinatur ad hoc, ut peccata deferantur superiori, ut ipse convenientem medicinam adhibeat, quod jam obtinetur in casu.

factionem realem, vel saltem promissam juxta varias circumstantias videtur exigere ut veras conditiones ad validitatem privilegii absolvendi. Videatur S. Alph. 597. q. VII. Sed quia Bened. XIV loco citato potest intelligi de satisfactione non praestita, vel non petita, culpa saltem unius, vel confessarii, vel poenitentis, hinc videtur non posse omnino concludi absolutionem de qua in casu, et in jubilaeo nullam ob defectum jurisdictionis fore. Sed argumentum in textu allatum sufficit ad probe ostendendam talis absolutionis nullitatem.

S. Alph. et aliorum exceptio pro tempore jubilaei, probabiliter ab aliis impugnatur.

Excipit S. Alph., 537 et 598, cum pluribus aliis, confessionem factam in jubilaeo, et per ipsam dicit non tolli reservationem, etsi fuerit inculpabiliter nulla, tum quia facultates in jubilaeo non conceduntur nisi vere poenitentibus, quales non sunt qui invalide confitentur, tum quia facultas absolutionis concessa est sub conditione lucrandi jubilaeum, quod lucrari non potest deficiente valida confessione. Contrarium tamen opinantur probabilius non pauci, et ducuntur quia quum defectus est inculpabilis, prout supponitur in casu, vix potest de eo constare; unde si non tolleretur reservatio foret continua anxietas, et ideo praesumitur superiorem in casu reservationem auferre; maxime quia sicuti leges malae fidei adversantur, ita bonae fidei semper patrocinantur. Aliunde finis reservationis pariter obtentus fuit. Et si facultates in jubilaeo conceduntur vere poenitentibus, intelligendum est, quantum prudenter potest judicari, quod habetur quando poenitens et confessarius bona fide existimant sufficientem dolorem haberi, nec vere sub conditione quod lucretur jubilaeum dictae facultates conferuntur, sed solum sub conditione quod habeatur animus illud lucrandi, et fiat confessio eo modo, quo prudenter judicari potest esse fructuosa qualis requiritur. Nam bene notant theologi non semper acquisitionem indulgentiae requiri in jubilaeo ut ejusdem obtineantur favores, et ut certum, saltem hodie habetur post Bened. XIV, Constit. *Convocatis* LIV, absolutionem a reservatis vi jubilaei datam ei, qui animo illud lucrandi fassus est valere, etsi postea, mutato animo, illud haud consecutus sit, quamvis in hac animi mutatione postea peccaverit saltem venialiter, ut fert communior, vel etiam graviter, ut volunt alii cum Suarez, disp. 31, sect. 4, n. 5, quorum sententiam magis videtur probare Benedictus XIV, Constit. *Inter praeteritos*, § 86.

Consequentia.

Deduces vero, per confessionem validam et fructuosam factam in jubilaeo ab eo, qui animum lucrandi indulgentias sincere gerebat, tolli, juxta principia jam superius exposita, reservationem quoad oblita, et tolli absolute et pro omni tempore, ita ut possit ille poenitens absolvi a reservatis in illa confessione oblitis, etiamsi animum lucrandi jubilaeum mutaverit, et sive quo tempore adhuc currit

jubilaeum confiteatur, sive post illud. Est valde communis cum Viva, de Jubil., q. 11, art. 4, 4, et op. moral., q. 9, art. 4, 5, contra aliquos alios, quorum sententia valde probabilis est Suarez, disp. 31, sect. 4, 23, qui tamen et admittit, n. 24, nostram deductionem.

Per confessionem apud superiorem inculpabiliter nullam, juxta plures tollitur reservatio quoad oblita.

Addunt adhuc plures, per confessionem inculpabiliter invalidam, tolli reservationem etiam quoad peccata, quae fuissent inculpabiliter omissa in illa confessione facta penes potentem absolvere a reservatis. Ratio adhuc est, quia superior praesumitur, quod voluerit illum poenitentem bona fide procedentem, ab omni vinculo liberare quo potuit. Idque videtur posse extendi etiam ad confessionem inculpabiliter invalidam factam in jubilaeo. Vide S. Alph., 537, q. 5.

Per confessionem sacrilegam apud superiorem, neque pro confessis, tolli reservationem, prima sententia probabilis contendit.

Quod si confessio sit culpabiliter nulla, idest sacrilega, an adhuc auferatur reservatio quoad peccata confessa apud superiorem, vel quemcumque potentem absolvere, plures negant apud S. Alphonsum, 598, q. 4, cum Billuart, 377. Quia, ajunt, iste confitetur apud delegatum, vel apud ipsum superiorem ordinarium. Si confitetur apud delegatum, quum iste habeat solum facultatem absolvendi a reservatis sacramentaliter, non absolvit in casu, quia non habetur Sacramentum. Si vero confitetur penes superiorem, dum et ipse absolvit in Sacramento, non est censendus aliter velle tollere reservationem nisi pariter in Sacramento, et quia non praesumitur superior velle quod subditus ex sua iniquitate commodum reportet. Haec sententia est quidem valde probabilis ex S. Alph., ex quo tamen longe communior opposita sententia, quae nec caret sua probabilitate, quaeque dicit et reservationem tolli. Ratio est, quia pro confessione sacrilega currit eadem ratio ac pro inculpate nulla; alius enim est finis confessionis, alius reservationis: finis confessionis est ut remittatur peccatum; finis autem principalis et directus reservationis est ut hujusmodi peccata reservata committentes subjiciantur judicio superioris; ergo cum subditus peccatum suum superiori defert, et poenitentiam ab eo impositam acceptat, etiamsi sacrilege confiteatur, jam obtinetur finis reservationis, quamvis non remittatur peccatum. Et dato, delegatum non posse tollere reservationem peccati, nisi media

Contraria sententia probabilior.

absolutione sacramentali, qualis non habetur quum poenitens est indispositus, vel quia confessio non fuit integra, vel non fuit cum dolore requisito, hoc non obstat. Respondetur enim quod esto delegatus per se reservationem peccati non auferat in propositis casibus, superior tamen ex recepta consuetudine, et non parum communi Doctorum auctoritate firmata, eam tollit eo ipso, quod a suo delegato poenitens absolvitur. Quod si peccator ex tali iniquitate commodum reportat, hoc per accidens evenit.

Quamvis si attente res spectetur, nec ullum commodum iste poenitens reportat ex iniquitate sua. Nam totum commodum quod nunc sentit poenitens iste, est liberum se invenire a reservatione, at hoc commodum non habet ex sua iniquitate, habet ex eo quod fini reservationis fecerit satis, et iste habet illud commodum quod jam habet ille, qui quum esset debitor cujusdam rei, ultra non est debitor quia illam solvit; at hoc non est reportare commodum ex iniquitate, sed illud sibi comparare per vias ad illum finem ordinatas, sicut est pro nostro casu confessio apud superiorem pro reservatis; quod si haec confessio est graviter reprehendenda, id habet aliunde, prout supponimus, nec quidquid reservationi detrahit, sicut nil detrahit solutioni debiti sui, qui illud solvit ex pecunia quam si habuit modo justo, non habuit modo licito; unde haec sententia merito probabilis dicitur, imo et videtur probabilior (1).

(1) Ad plures quaestiones, quae passim a nobis pertractantur, videtur non sine utilitate quaerere, an licest absolvere cum jurisdictione probabili? Circa quod tres adsunt sententiae. Prima negat; contendunt usum talis jurisdictionis damnari in propositione 1. ab Innocentio XI proscripta, quae ajebat: « Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, ordinis sacerdotalis aut Episcopalis. » Haec sententia, quae non est valde recepta, defenditur inter alios a Concina, lib. 2, cap. 5; Pattuzzi, c. 3. 12, cujus, si non praecipuum, saltem primum argumentum pro sua sententia est, quia oppositum a probabilistis defenditur; argumentum quidem infiniti ponderis, ut quisquis intelligit. Secunda sententia, quam tenet cum aliis S. Alph. 573; Billuart, diss. 6, art. IV, § 2, dicit licere usum jurisdictionis probabilis, modo intercedat ratio gravis necessitatis, aut magnae utilitatis, aut saltem si rationabilis occurrat causa, ut dicit idem S. Alph., vel modo jurisdictio sit probabilior, ut defendit Billuart cum Alasia p. 2, c. 1, art. unic. Tertia demum sententia, quae longe communior est, docet in universum semper licere absolvere cum jurisdictione probabili, et quemlam poenitentem semper posse tuto confiteri confessario, quem scit jurisdictionem tantum probabilem habere. Ratio horum est, quia quum praxis valde communis id ferat, et id doceant multi DD.,

Nonnullae limitationes.

Est tamen excipienda confessio facta in jubilaeo, per quam, si fuerit sacrilega, nulla reservatio tollitur; sicut et excipienda confessio quae fuerit sacrilega propter culpabilem reticentiam peccati reservati, vel quae fuerit sacrilega propter defectum propositi vitandi peccati reservati, vel debitae satisfactionis pro illo implendae, quo in casu, dicunt communiter non tolli reservationem relate ad peccatum culpabiliter omissum, vel pro quo non intendit poenitens satisfacere, vel quod non vult vitare. At in hoc casu, quo confessio fuerit nulla ob defectum propositi vitandi peccati, vel praestandae satisfactionis, existimo, ait Suarez, disp. 31, sect. 4, 10, sufficere mutare propositum et verum dolorem concipere, ut ab inferiori vel simplici confessore absolvi possit ab illis peccatis reservatis jam prius apud superiorem confessis, quia propositum illud internum non est peccatum reservatum; de alio vero peccato praeterito satisfactum est superiori, et ille sine ulla conditione videtur subditum liberum reliquisse.

Communius tamen requirunt in casu, ut poenitens admoneat inferiorem confessarium, a quo absolvatur a reservatis, prius in confessione sacrilega apud habentem facultatem confessis, de poenitentia quam a superiore habuerit, ut illam iterum nunc inferior sacerdos imponat, quia cum onere videtur superior reservationem abstulisse ut talem poenitentiam poenitens ageret, et quidem prout est in

sciente Ecclesia, haec quodammodo videretur muneri suo deficere, nisi supplendo jurisdictionem, intenderet certam dare jurisdictionem pro tali contingentia. Unde, quum ad praecavenda majora incommoda, et pericula animarum et irreverentias etiam in Sacramentum, quae alioquin contingerent in casibus in quibus jurisdictio existimata probabilis revera deesset, merito summus Pontifex credatur supplere jurisdictionem, quae forte deficiat, jurisdictio hinc jam non amplius erit probabilis sed reflexe certa; et sic responsio patet ad argumentum primae sententiae. Videantur Lacroix, lib. 6, p. 1-117; Salm. c. 11. 74; Lugo, disp. 19, sect. 2., 30. Ad hoc tamen, ut Ecclesia censestur supplere jurisdictionem in usu jurisdictionis probabilis, requiritur ut jurisdictio vere probabilis sit, et ut talis communiter in scholis habeatur, et non sufficit quod probabilis habeatur ab aliquo confessario particulari. Si enim jurisdictio non est vere probabilis, utpote quae rationabili fundamento careat, non est admittenda; quae autem ut talis communiter non agnoscitur, consensum saltem legalem superioris conferentis certam jurisdictionem non potest habere. Adde quod ut saltem suspecta illa merito traducenda jurisdictio, quae improbabilis communiter penditur, et illa e contra ut probabilis merito tenetur, quae ut talis communiter existimatur. Unde communiter non admittitur Tamb. sententia, qui de Poenit. lib. 5 c. 4, §8, cum aliquibus paucis contendit et licere usum jurisdictionis probabilis, etsi ab aliquo privato tantum judicetur talis. Alium casum, in quo contra Tamb, cit. videtur non licere usus jurisdictionis probabilis, afferam infra cap. 5.

Sacramento imposita, ad quod non sufficeret quod poenitens illam ipse sibi assumat, quia non potest illam poenitens ex se ad virtutem Sacramenti elevare, prout praesumitur voluisse Superior. Lugo, disp. 20, 107, et plures cum Salm., c. 13, 42.

Per confessionem sacrilegam apud Superiorem, juxta alios etiam tollitur reservatio, quoad inculpabiliter oblita.

Dicunt adhuc non pauci, per confessionem etiam sacrilegam factam Superiori, tolli reservationem quoad peccata reservata, quae fuerint in illa inculpabiliter omissa propter oblivionem invincibilem, vel ob aliam justam causam, ex ratione jam pluries adducta, « quia, » ait Elbel, conf. 14, 378, « quilibet confessarius censetur poenitentem velle liberare ab omni vinculo peccatorum quo potest; atqui potest in nostro casu liberare etiam a reservatione peccati, cujus inculpabiliter fuit oblitus, ergo. » Hoc admittit libenter Lugo, 106, si confessio, facta apud habentem facultatem in reservata, fuerit sacrilega defectu doloris vel propositi, sed nollet hoc ipsum umquam admittere, si confessio fuerit sacrilega propter culpabilem reticentiam etiam circa non reservata; quia non praesumitur tunc Superiorem velle favere ei, qui non se manifestat sincere et cum simplicitate ipsi Superiori. Verum ratio, quae militat pro casu quo confessio fuerit sacrilega defectu doloris, militat et pro casu quo fuerit sacrilega defectu integritatis, in utroque enim casu poenitens non se manifestat sincere suo Superiori. Unde mihi videtur, quod et consequenter esset dicendum, et reservationem tolli etiam in casu quo confessio fuerit sacrilega defectu integritatis. Retinendae tamen sunt exceptiones superius positae, juxta quas non tollitur reservatio per confessionem sacrilegam factam in jubilaeo, nec alias in confessione sacrilega etiam facta coram Superiore, pro peccatis culpabiliter omissis.

Quaedam sententia E.mi Gousset expenditur.

Eminentissimus Gousset, 498, dicit et tolli reservationem quoad oblita inculpabiliter, per confessionem factam penes confessarium, etiam non approbatum pro reservatis. Hanc confessionem esse validam si caetera, prout supponimus, concurrant, et per eam operari remissionem directam peccatorum non reservatorum quae confitentur, et indirectam reservatorum quae inculpabiliter reticentur, libenter concedimus; at per talem confessionem jure communi tolli reservationem et quoad peccata reservata,

quae fuerunt oblita, non videtur valde commune: imo, si credendum est Suarez, disp. 31, sect. 4, n. 13, est contra doctrinam certam apud omnes, et solum videtur accipere suffragium ex illa Theol. sententia apud Gury, 496, quae dicit peccata inculpabiliter oblita, quamvis sint adhuc materia necessaria confessionis, non tamen esse materiam, quae necessario absolutionem requirat; quae sententia, ut bene notat idem Gury, in ultima editione, non est valde probabilis. Sicut autem est minus communis dicta sententia, quam tradit Gousset, sic et videtur minus probabilis, prout ex inconvenientibus argui posse videtur. Nam ex illa sequeretur, inferiorem confessarium non solum posse poenitentem habentem reservata absolvere, in casu necessitatis, directe a non reservatis, et indirecte a reservatis, sed etiam, contra id quod cum longe communiori et probabiliori tenendum est, et melius dicemus, sequeretur quod statim posset praedictus inferior confessarius, saltem post primam datam absolutionem, directe et a reservatis absolvere. Sicut et etiam sequeretur quod dum inferior sacerdos absolvit directe a non reservatis et etiam tantum indirecte a reservatis, non deberet imponere onus poenitenti alias postea reservata confitendi penes Superiorem, quia jam respectu ad illa reservatio tolleretur, quod minus pariter admittendum videtur.

Verum et merito videtur posse dubitari, an vere Eminentissimus et Sapientissimus Auctor, cujus opus morale ita mihi praeclarum, bonum atque utile videtur, ut me imparem habeam ad ejus laudem, voluerit dictam sententiam docere. Nam illam, ait, tueri cum communi a S. Alphonso, cujus nonnulla verba refert, quae S. Doctor quidem habet sed relate ad aliam quaestionem; unde non videtur improbabile quod error materialis typographiae irrepserit.

Est tamen praedicta sententia Gousset in nostra dioecesi certe vera, ubi aperte declaratur *clausula* 6ª reservationem tolli in casu pro reservatis jure particulari dioecesano. Ibi autem et adhuc declaratur reservationem cessare per confessionem bona fide factam sacerdoti, qui aut reservationem non advertens, aut etiam absque facultate reservata, incaute absolvit. Unde si aliquando confessarius aliquis, poenitentem, a reservatis jure nostro dioecesano

absque facultate absolverit, sive culpabiliter sive inculpabiliter, postea, etiam antequam poenitens discedat, eumdem poterit ab illis reservatis valide et licite denuo absolvere, saltem alia summaria confessione praemissa.

An peregrinus absolvi possit a simplici confessario loci ubi confitetur, a reservatis quae habeat.

Nunc de peregrinis; circa quos quaeres an veniens ab aliena dioecesi possit absolvi a reservatis a simplici confessario loci, ubi confitetur? Et respondemus triplici posita suppositione. Vel enim reservata, quae affert hic peregrinus, sunt tantum reservata in dioecesi sui domicilii, vel sunt reservata tantum in dioecesi ubi peregrinatur et confitetur, vel sunt reservata in utraque dioecesi, et supponimus talem esse vere peregrinum, et non venisse in alienam dioecesim animo mutandi domicilium; nam in casu jam non amplius ad leges loci, a quo profectus est, inspiciendum esse constaret; dicimus igitur:

Absolvitur a reservatis tantum in patria, si non abscessit in fraudem.

Si sunt reservata tantum in loco domicilii talis poenitentis, videndum an discesserit a patria in fraudem reservationis vel non; si non discessit in fraudem reservationis potest absolvi, ut fert communissima et verior ex Sancto Alphonso, 589; quod si discessit in fraudem reservationis, dicendum non posse absolvi ex Bulla *Superna*, Clement. X, quam, licet prohibeat solum Regulares ne in dioecesi, in qua sunt approbati, absolvant confluentes ex alia dioecesi, a peccatis in hac reservatis, si eosdem poenitentes noverint in fraudem reservationis ad alienam dioecesim pro obtinenda absolutione migrasse, ad omnes tamen confessarios indistincte extendunt communiter theologi; unde non est audiendus Diana, Coord., tom. 1, tract. 5, reserv. 39, n. 3, ubi ait nil obstare, etsi data opera ad talem confessarium extra dioecesim poenitentes accedant.

Aliorum limitatio pro reservatis ratione censurae minus probabilis.

Alii limitant cum S. Alphonso, 594, dub. 9, ut tantum possit in casu absolvi poenitens, qui venit ab aliena dioecesi, a reservatis ratione sui, non vero a censura reservata etsi occulta, et sanctus Doctor nititur praecipue auctoritati Bened. XIV, quem contendit id declarasse in suis Apostolicis Literis *Pias Christifidelium*. Verum alii hanc limitationem non apponunt, quorum sententia probabilior videtur. Nullam enim, ut optime notant Collat. Andegav., potest assignari discrimen inter casum, quo poenitens afferat ex aliena dioecesi illic reservata ratione sui, et ca-

sum, quo afferat illic reservata ratione censurae. At si aequum est, ut peregrinus judicetur juxta leges loci, ubi confitetur, quando afferat reservata ratione sui, item videtur dicendum si afferat reservata ratione censurae. Et si reservatio culpae non sequitur poenitentem extra dioecesim, quoties huc non venit in fraudem reservationis, dicendum quod neque ipsum sequatur reservatio censurae: nam in utroque casu omnia paria sunt. Culpa sequitur poenitentem quocumque, item illum sequitur excommunicatio, idem est ergo dicendum de utriusque reservatione. Hanc sententiam tenent praeter Collat. Andegav., art. 3, pag. 179, de Cas. reser.; Collet., Gury, 582, et plures quos citat S. Alph., 594 cit., dub. 9, et Passerinus, quem adducit Roncaglia, tract. 19, q. 7, c. 2, q. 1, et Alasia, pag. 107, qui postea minus sapienter addit: invalide absolvi in casu poenitentem si sit in mala fide, propter peccatum quod committit hic et nunc accedendo ad sacramentum Poenitentiae, a quo per censuram repellitur. Sed qua ratione, quaeso, repellitur a sacramento Poenitentiae si illa censura, in adjunctis in quibus confitetur, non est reservata? Quando quis irretitus censura confitetur apud confessarium qui, prout in casu concedit Alasia, potest absolvere, non indiget bona fide, sed solum indiget absolutione, et sufficienti dispositione ad hanc obtinendam.

Per auctoritatem Benedicti XIV praedicta limitatio non firmatur.

Auctoritas autem Bened. XIV, loc. cit., cui maxime nititur S. Alph., non videtur probare contra nostram sententiam in casu quaestionis. Nam ibi Pontifex solum statuit, quod habens Apostolicum indultum, vi cujus potest eligere confessarium, qui ipsum possit absolvere a reservatis Sedi Apostolicae, non ideo potest absolvi a reservatis ab Ordinariis locorum. Quod si haec dispositio Bened. XIV quid faceret pro statuendo quod non possit peregrinus absolvi a censura reservata, quam in patria incurrit, extra patriam, ubi illa censura reservata non est, probaret etiam quod nec posset absolvi a reservatis ratione sui. Nam ibi praefatus Pontifex non distinguit inter reservata ratione sui, et ratione censurae, ed de omnibus eadem disponit. Vide Benedictum XIV, et de Synodo, lib. 5, c. 5, 9. At et S. Alph., prout vidimus, abunde concedit posse absolvi

peregrinum a reservatis ratione sui, quae commisit in patria, dum extra patriam confitetur in loco ubi reservata non sunt, si e patria absque fraude discessit.

Quando fraus intervenire dicenda sit.

Fraudem autem intervenire dicendum est, quum quis alio migrat hoc unico aut principali motivo, ut effugiat judicium sui Superioris, et ut eludat legem reservationis; quod rarissime videtur fieri in praxi. « Unde, ait Sanctus Alphonsus, 589, bene ille potest absolvi qui abscedit ad aliquam dioecesim ob aliquem finem honestum, puta negotii agendi, indulgentiae lucrandae, vel ut confiteatur cum minori incommodo, aut citius confessionem expediat, vel ut confessarium incognitum aut prudentiorem inveniat.» Sic nec ille in fraudem migrasse dicendus est, qui accedit ad confessarium vicinum alterius dioecesis, quia solitus est illi confiteri, neque qui non habet in proprio domicilio, qui possit absolvere a reservatis, ut docet Billuart, diss. 6, art. 6. Dico 3.

Peregrinus et absolvitur a censura, quae nullo jure in patria infligitur, sed reservatur in loco confessionis tantum, vel potius illa non ligatur.

Si vero peccata sint reservata tantum in dioecesi ubi nunc confitetur peregrinus, non vero in ejus patria, ille potest absolvi, non obstante censura ibi reservata, si in ejus patria illa non fertur, sive peccaverit in patria, sive peccaverit in loco ubi peregrinatur, supposito quod ibi non fuerit in foro externo judicialiter damnatus. Probatur; nam si crimen patravit in patria, censuram non incurrit, quia illud crimen in ejus patria non punitur censura, prout supponitur; si vero deliquit in territorio, ubi in crimen censura infligitur reservata, nec pariter potuit in reservationem impingere; nam in communiori sententia, iste qui, ut supponitur, est peregrinus, non tenetur legibus locorum per quae transit maxime coactivis in foro conscientiae. Non igitur censuram ibi latam in legum transgressores incurrit. At si non impingit in censuram, non potest incidere in illius reservationem.

A reservatis ratione sui in loco confessionis, juxta communiorem sententiam, peregrinus non potest absolvi.

Si vero ibi ubi confitetur, peccata sint reservata ratione sui, communior sententia dicit talem peregrinum non posse absolvi, sive peccatum commiserit talis peregrinus in loco domicilii, sive in loco ubi reservatur et confitetur; nam contendunt confessarium non habere jurisdictionem in illud peccatum, ajunt enim, confessarius fuit approbatus cum limitatione ut non posset a tali peccato absolvere;

et item dic ob paritatem rationis si censura, quae et in ejus patria infligitur, et quam in ejus patria incurrerit poenitens, ubi tamen non reservatur, reservetur ibi in loco confessionis. Non desunt tamen graves DD., qui probabiliter contendunt talem peregrinum in casu posse absolvi, ut Barbenstuber, Reiff., Stoz, quos adducit et sequitur Elbel, conf. 14, 175, et plures alii, quos congerit et sequitur Ballerini, ad 573, Gury. Ex istis vero AA. alii conclusionem probant, ex eo quod, ut ajunt, confessarius in casu jurisdictionem accipit non a suo Episcopo, idest non ab Episcopo loci ubi reservatum est peccatum, sed ab Episcopo poenitentis. Hoc postulat natura et ratio sacramenti Poenitentiae, quod nonnisi subditis ministrari potest, et quidem de jure divino. At peregrinus subditus manet suo Episcopo, ab hoc igitur deleganda est jurisdictio illius confessario, sicut revera delegatur ex tacita concessione et ex recepta consuetudine. Videndum igitur qualem et quantam jurisdictionem iste Episcopus poenitentis concedat, et non qualem potestatem absolvendi tantummodo faciat Episcopus loci. Atqui Episcopus poenitentis illum casum prout in quaestione, sibi non reservat, ergo jurisdictionem in illum concedit (1).

Contraria adducitur sententia.

Aliquorum ratio pro hac sententia ponitur.

(1) Principia, quae isti auctores assumunt ad suam sententiam probandam, mihi videntur nullomodo sustineri posse, et a veritate aliena. Ut autem haec quaestio: « A quo Episcopo danda sit jurisdictio in peregrinos; » ea qua par est extensione pertractetur, sequentem ponam conclusionem, quae est velut caput plurium difficultatum, quae circa illam quaestionem instituuntur: « Sacerdos approbatus ad confessiones excipiendas ab ordinario loci, potest, in loco ubi approbatus est, excipere confessiones omnium poenitentium intra limites suae approbationis, si limitata sit ejus approbatio, vel absque ulla distinctione, si absque limitatione personarum fuerit approbatus, undecumque veniant illi poenitentes, etsi sint alienae dioecesis, et veniant contra consensum Episcoporum suorum, modo non veniant in fraudem reservationis. » Quidam ut Gury, 555, qui tamen in praecedentibus editionibus nostram conclusionem indefinite docuerat et ejus egregius commentator Ballerini, qui gravissimis notis illius auctoris Compendium locupletavit, pro casu quo Episcopus subditis vetaverit in aliena dioecesi confiteri, conclusionem nostram admittunt solummodo in confessariis Regularibus, qui, ajunt, accipiunt jurisdictionem a Papa, quam Episcopi non possunt illis auferre; non vero admittunt in confessariis saecularibus, quibus in casu dicunt deesse jurisdictionem, quam vellent eisdem conferendam ab ordinario poenitentis, quamque in casu non conferunt, quum resistant tali confessioni extra dioecesim absolutae. Idque citatus Ballerini magnopere firmat ex illa doctrina, quam ad instar axiomatis penes omnes theologos receptam dicit, et contra quam nulla umquam poterit contraria consuetudo introduci, quaeque vult jurisdictionem jure divino dandam esse a superiore ejus qui absolvitur. Vide et not. ad n. 573. Verum etsi concedatur nostra sententia, quae dicit valere confessionem, quam quilibet poenitens perficiat in aliena dioecesi contra consensum sui Episcopi, apud confessarium tamen in dioecesi, ubi fit confessio, approbatum, non inde sequitur quod iste poenitens absolvatur

Alii, et multo melius, quantum video, suam sententiam probant, ex eo quod Episcopi locorum, salva contraria declaratione, non sunt intelligendi coarctare potestatem confessariorum, per casuum reservationem, nisi relate ad illos poenitentes, pro quibus legem reservationis statuunt; atqui reservationem solum promulgant pro subditis, in hos enim solum habent potestatem legislativam, et hos solum regere habent et curant; ergo relate ad peregrinos jurisdictionem confessariorum non limitant; si autem confessariorum jurisdictio non est limitata respectu peregrini per hujus vel illius culpae reservationem, bene hic poterit ab illis confessariis ab illa culpa absolvi. Conclusio sic probata et explicata tuta et probabilis est. Et ad praecipuum primae sententiae argumentum ex Bulla *Superna* Clementis X desumptum, ubi dicitur peregrinum non posse absolvi a reservatis in loco confessionis, jam patet responsum. Nam quae sint reservata vel non in loco confessionis, Clemens X relinquit Episcopalibus praescriptionibus; atqui istae, ni constet de opposito, merito presumuntur se non extendi ad peregrinos, nil ergo ex Bulla Clementis X con-

Probabilius fundamentum, quo eadem ultima sententia fulcitur.

a non suo superiore. Nam facile est dicere quempiam fieri subditum loci pro sacramento poenitentiae suscipiendo, quod proinde suscipiens in hoc, vel illo loco ab eo, qui illud ibi valeat ministrare, vere suscipit a suo superiore, prout vere docet S. Alph. 548; Gousset 478; Bened. XIV, Instit. 18, n. 6, qui aperte et de confessione, de qua in nostra propositione, loquitur, quum Bullam *Superna*, Clementis X, et decretum Clementis VIII, hoc statuentes de Regularibus, adducat ut argumentum ad indefinite concludendum valere confessionem etiam paschalem factam cuilibet sacerdoti approbato. Et hoc sensu Benedictum XIV, loc. cit. interpretatur S. Alph. partim n. 564, partim n. 569, et Bouvier, art. 2, § 3, n. 5, quidquid postea § 5, n. 4, sibi velit hic idem auctor; quamvis dum hoc ultimo loco refert absque alio, sententiam, quae dicit requiri pro confessione facta in aliena dioecesi approbationem ordinarii poenitentis, id faciat per quamdam abundantiam, ut quisquis potest videre, et nullomodo quia illam probet. Et nostram sententiam tenent quotquot cum Bonac. disp. 5, q. 7, p. 2, n. 5, dicunt, in casu, ratione consuetudinis, jurisdictionem haberi ex concessione non Episcoporum poenitentium, quorum proinde consensus desiderandus sit, sed ex concessione S. Pontificis, in cujus confirmationem communiter adducitur auctoritas Cajetani, v. absolutio in summula, qui dicit hoc fuisse declaratum vivae vocis oraculo ab Eugenio IV, cujus declarationis efficaciae pro re nostra nil tandem officeret interpretatio, quam de illa habent, ut refert Ballerini cit. 178, uterque Sotus cum Navarro. Nam dato quod semel confessio in aliena dioecesi contra Episcoporum statuta, valeat si fiat plebanis, vel parochis locorum, multo magis valebit si fiat Episcopo, idem autem erit confiteri Episcopo vel ejus delegato. Quod si de ejusdem oraculi Eugenii IV authenticitate gravia dubia vere habentur, ut dicit Ballerini, videtur quod optime fecisset illa exponere, ne cogemur gravissimis auctoribus cum ipso Cajetano, Suarez disp. 25, sect. 2, n. 8; Salm. c. 13, 24; Billuart diss. 6, art. 6, pag. 372, et pluribus aliis cum utroque Soto et Navarro qui, teste Ballerini, illud oraculum habuere pro authentico, nimiae credulitatis notam impingere. Equidem plurimi cum

tra hanc sententiam. Nam confessarius in casu non absolvit a reservato, quod vetat Clemens X, sed a permisso.

Confirmatur. Adde quod, prout dictum est ubi de causis excusantibus a reservatione incurrenda, ignorantia inculpabilis, salvis semper declarationibus in contrarium, probabiliter excusat ab illa. Haec autem ignorantia semper dicenda est adesse quoties poenitens, de quo est casus, peccatum quod in aliena dioecesi reservatur, commiserit in sua. Nam quamvis fortasse habuerit scientiam speculativam talis reservationis in tali alio loco, quum peccatum patraret, non tamen habuit illam scientiam legis ipsum obligantis, quae esset necessaria in hac sententia, quae requirit scientiam reservationis ad illam incurrendam; quam scientiam, ut ita dicam, practicam legis ipsum obligantis, peregrinus nec haberet, etiamsi peccatum reservatum ratione sui committat in loco ipso ubi reservatur, quia quousque est ibi peregrinus, salvis, si vis, nonnullis casibus, qui ad quaestionem non faciunt, non ligatur legibus hujus loci, saltem in valde probabili sententia.

Verum si, prout communiter docetur, peregrinus non

Suarez, Bonac. Salm. loc. cit. contendunt illam consuetudinem tantum valere pro illis, qui bona fide peregrinantur, et non pro illis, qui data opera de dioecesi propria proficiscuntur, ut alibi absolutionem excipiant; sed plures cum S. Alphons. 569, Gousset 478, hanc exceptionem expresse negant, et tacite etiam illam negant, imo illam revocant non pauci ex illis, qui illam vellent apponere, dum agentes de reservatis, dicunt peregrinum posse absolvi in aliena dioecesi a communi confessario, a reservatis in sua dioecesi, modo haec reservata non sint in dioecesi, ubi confessio fit, et modo in fraudem reservationis non migraverint, quo loco plures praecipue ad suae sententiae confirmationem adducunt oraculum Eugenii IV, quin ullam ultra mentionem faciant de discessione cum consensu ordinariorum suorum, requirentes tantummodo ut non abscesserint in fraudem reservationis. Vid. Bonacina, q. 7, p. 5, n. 9; Suarez, disp. 30, sect. 1, n. 4: qua doctrina, ut diximus, etiam revocant illam limitationem, quam alibi voluerunt apponere, dicentes peregrinum solum posse absolvi in aliena dioecesi de consensu ordinariorum suorum; sequela probatur: nam ex una parte limitatio, quam ibi ubi de reservatis apponunt, modo scilicet in fraudem reservationis non discedat, non idem est ac abire in alienam dioecesim contra consensum ordinariorum; idque patet. Nam abire contra consensum ordinarii alio confiteri, potest et qui nulla habeat reservata. Et ex alia parte, qui in reservatum in sua dioecesi incurrit, non videtur ullo modo posse absolvi, a confessariis non approbatis pro reservatis alienae dioecesis, vi consensus sui ordinarii; dum enim iste ordinarius illam jurisdictionem non vult conferre confessariis sibi subditis et a seipso approbatis, eccur illam dicendus est conferre extraneis, et quos ipse non approbavit, nec approbare potest, quum approbatio ab Episcopo loci habenda sit. At si nihilominus iste peregrinus potest absolvi a reservatis in casu, dicendus est posse absolvi vi alterius juris, ac sit jurisdictio, quam alieno confessario conferat poenitentis ordinarius. Unde merito videtur posse concludi, Episcopum non posse directe subditum prohibere quominus extra dioecesim confiteatur confessario ibi approbato, et solum id posse aliquo modo indirecte, quatenus scilicet potest reser-

tenetur legibus locorum in quibus est peregrinus, tenebiturne lege reservationis? Respondes, quia lex reservationis afficit confessarium. Respondeo ego, hoc est praecise de quo disputatur, et quod est in quaestione, an scilicet facultas confessariorum coarctetur absolute, et quoad omnes, vel solum quoad hos vel illos poenitentes; et, ut diximus, haud improbabilis est sententia, quae in casu quaestionis facultatem facit absolvendi, sive peccatum reservatum, in loco ubi instituitur confessio, a peregrino fuerit commissum, prout et expresse docet Fagund. penes Salm. et Pelizz., Diana apud Mazzota, qui id dicit probabile, sive fuerit ab illo patratum in patria, quod facilius tandem videretur concedendum.

De eo, qui in sua dioecesi reservatum confitetur, quod extra, vel in loco exempto commisit.

Item resolvendum est de eo, qui peccatum, reservatum in sua dioecesi, patrat extra patriam, ubi crimen reservatum non est, vel illud committit in dioecesi ipsa sua, ubi reservatur, sed in loco exempto, et postea illud confitetur in patria. Iste, secundum multos, absolvi non potest nisi a confessario approbato ad reservata, sed juxta alios potest absolvi etiam a communi confessario, quia, ajunt, reser-

vare peccata, in quae quis impingens, jam non poterit extra dioecesim abire, ad confessionem ibi in fraudem reservationis instituendam. Nec umquam erit pertimescendum, quod talis peregrinus, qui contra consensum Ordinarii, alibi prout in propositione confitetur, absolvatur a non suo superiore; quia talis poenitens potest extra suam dioecesim etiam in casu confiteri et absolvi, non vi facultatis sibi eligendi confessarium, quam petere debeat ordinario suo, sed quia hoc ipso quod versatur in alieno Episcopatu, potest ibi absolvi more incolarum loci, et ita se gerere ac si esset subditus Episcopi illius loci, in quo est, ut docet Suarez, disp. 30, sect. 1, n. 4; Bonacina q. 7, punct. 5, n. 9; Diana, coordinat. tom. 1, tract. 5; res. 50. Idque inductum est in universalem consuetudinem, quod certum dicit S. Alph. 569, contra quam, salvo meliori judicio, arbitror nil posse directe Episcopos. Vid. Benedictum XIV cit.

Sed non ex sola consuetudine, videtur posse conclusio nostra probari, sed ex vero jure scripto. Et praeter argumentum, quod, ex Bulla Clementis X, respiciente Regulares, et communiter ad omnes confessarios extensa, deduximus ex facultate ibi facta absolvendi peregrinos a reservatis in patria, et non in loco confessionis, modo in fraudem reservationis non venerint, dicendum Summos Pontifices in quaestionibus moderandis circa confessariorum approbationem, quam alii ab uno alii ab alio Episcopo petendam et obtinendam dicebant, declarasse, vel si vis statuisse ut habenda sit ab ordinario loci, in quo fit confessio, et ad idoneum ministrum Sacramenti Poenitentiae constituendum, nil aliud requirunt, nisi licentiam Episcopi loci. At si pro peregrinis, qui de aliena dioecesi veniunt, adhuc desideraretur eorum ordinariorum consensus, videtur quod Pontifices nos decepissent dum non indicarunt id, quod et expresse, prout videtur, debuissent dicere, ne causa erroris nobis tribueretur, maxime, quia quando voluerunt limitare jurisdictionem in confessariis ab ordinario loci approbatis pro peregrinis, id aperte dixerunt, ut in casu, de quo diximus, quoad peregrinum, qui in fraudem reservationis venit cum reservatis in patria, et probe sciant facile argumentum sumi ab exceptione ad statuendam universalem regulam in contrarium. Si ergo consensus ordinariorum nil potest conferre

vationem iste non incurrit; nam quum statuta Synodalia, vel Episcopalia affigantur territorio, non restringunt jurisdictionem confessarii relate ad transgressores extra territorium vel in loco exempto; vide Mazzota.

An absolvi possit peregrinus a peccato, quod tum in patria, tum in loco confessionis, reservatur? Communis sententia refertur negativa.

Si vero peccatum, quod peregrinus confitetur, sit reservatum tum in dioecesi sui domicilii, tum in dioecesi ubi ad confessionem accedit, juxta omnes, teste S. Alph., 587, et Aversa, penes Salm., c. 13, 22, et Lugo, disp. 20, 69; Suarez, disp. 30, sect. 1, n. 6, non potest absolvi, nisi ab habente facultatem in reservata.

Quaestio in veris ponitur terminis.

Sed AA. supponunt peregrini peccatum vere reservari in utroque loco, et confessarium non habere in illud ullo capite jurisdictionem, et quaestione sic posita, nec vel minima quidem potest contra illam communem doctrinam dubitatio excogitari. Nam ex Bulla Clementis X vetitum est absolvere a reservatis etiam tantùm in loco confessionis, ut nuper dicebamus; quanto magis ergo si in utraque dioecesi tum domicilii, tum confessionis reservata sint peccata? At quaestio non ita ponenda est, ne evidenter in petitionem principii incidamus; sed quaerendum an pere-

jurisdictionis confessario alienae dioecesis, quemadmodum eruere est ex Bullis Pontificiis, nil potest auferre dissensus; ergo valide et poenitentes etiam alienae dioecesis absolvunt, etsi contra voluntatem suorum ordinariorum venerint.

Confirmatur: Concilium Tridentinum, ut dicit Suarez, disp. 28, sect. 6, 15, unius tantum Episcopi approbationem requirit in confessario, nec videtur verisimile, si Confessarius et Poenitens sint diversae dioecesis, utriusque Episcoporum approbationem esse necessariam confessario; hoc esset multiplicare onera et vincula sine fundamento necessario. Jamvero sub approbationis nomine intelligis etiam jurisdictionem, vel tantum intelligis judicium de idoneitate. Si intelligis tantum judicium de idoneitate, quod Suarez dicit de approbatione sic accepta, aeque videtur dicendum de jurisdictione; quo enim titulo erit necessarium confessario habere jurisdictionem a duobus Episcopis? Fortasse quia jurisdictio habenda est a superiore poenitentis, quia nullus potest absolvi nisi a suo superiore? Ad hoc jam respondimus; nec enim principium negamus, dicimus tamen superiorem cujuscumque poenitentis illum esse, qui eum possit absolvere, et an possit absolvi extra dioecesim a confessario ibi approbato, quia consensus ordinarii poenitentis accedat, est de quo quaeritur, nec potest idem per idem probari. Nec aliam rationem, quantum scio, adducunt contrarii, cur haec duplex jurisdictio necessaria dicenda sit in casu quaestionis; erga argumentando a pari cum Suarez, dicimus non oportere aliquando duplicem jurisdictionem in confessario requirere, sicut nec duplex approbatio necessaria est. At in casu quaestionis confessarius, ut supponimus, habet jurisdictionem a suo Episcopo, et ad illud genus poenitentium cujus est peregrinus, ergo non est ultra requirenda jurisdictio ab ordinario poenitentis, ergo hujus consensus vel dissensus nil potest confessario in casu conferre, vel auferre. Quod si sub approbationis nomine, de qua Suarez, intelligis jurisdictionem ipsam, quaestio est in terminis absoluta. Confessarius enim in loco confessionis approbatus habet, ut supponimus, jurisdictionem, ergo et in peregrinos, ni limitetur a proprio Episcopo, habet, nec ex Tridentino alia jurisdictio necessaria est; et hanc aliam

grinus, qui discessit a sua patria cum peccato, peculiari lege in patria reservato, et absque fraude reservationis pervenit in locum, ubi illud idem peccatum, jure pariter particulari illius loci, in albo reservatorum recensetur, possit ibi absolvi a communi confessario; vel etiam an ab hoc communi confessario possit absolvi peregrinus, qui in loco confessionis peccatum patravit, ibi speciali lege loci inter reservata in tabella inscriptum, quod et pariter reservatum est in ejus patria. Et, quaestione sic proposita, fortasse non prohibemur aliqua advertere, quae affirmativam suadere videntur, cui nil obstant rationes quae pro communi superexposita sententia adducuntur, quae tandem ad tres videntur reduci, quarum altera e Bulla *Superna* Clementis X eruitur, altera deducitur ex eo, quod confessarius talis poenitentis, prout in casu, a nullo Superiore accipit potestatem in casum reservatum, non ab Episcopo loci, quia illum casum reservat, non ab Episcopo poenitentis, qui et ipse limitat communi confessario, quoad illum casum, jurisdictionem; dum tertia petitur ex sen-

Contraria sententia proponitur.

Communis sententiae fundamenta, ex quorum solutione, ratio deducitur pro opposita.

jurisdictionem proprii ordinarii pro peregrino requirere, esset multiplicare onera et vincula sine fundamento necessario.

Confirmatur ulterius. Nam vel Episcopus loci potest suis confessariis tribuere jurisdictionem, in peregrinos undequaque venientes, vel non potest. Si potest, censendus est facere, quum illimitate pro omnibus poenitentibus confessarios approbet, vel si limitate ad genus poenitentium, pro omnibus tamen intra dictum genus, approbat, saltem inspiciendum est quid hic Episcopus concedat, et non quod alter ordinarius velit. Si non potest jurisdictionem concedere, videtur quod nec possit approbare, idque manifestum est et patet ex terminis, si approbatio idem sonet ac jurisdictio, prout nos sentimus et conati sumus probare, sed et videtur verum etsi approbatio pro judicio tantum idoneitatis accipienda sit. Nam cui denegatur potestas in finem, deneganda est potestas in medium ad finem; atqui in hypotesi Episcopus hujus loci non potest suis confessariis tribuere jurisdictionem in extraneos, ergo nec approbationem, quae est medium ad finem. At si confessarii hujus loci non sunt approbati pro extraneis, non possunt umquam jurisdictionem in extraneos recipere ab ordinariis extraneorum, quia certum est quod approbatio ab Episcopo loci habenda est, etiam pro illis poenitentibus, in quos alius superior velit conferre jurisdictionem, et quod solus Papa potest in hoc dispensare, sive vere dispenset, ut verius videtur, sive legem eminenter impleat, quatenus ipse est supremus Episcopus omnium locorum, sicut et est omnium confessariorum, et omnium poenitentium. Qui ergo dicunt extraneos posse absolvi ab approbatis in loco confessionis de consensu suorum ordinariorum tantum, salvo meliori judicio, mihi videntur a veritate abire.

Quod magis patet si expendamus illam aliam consequentiam, quam inde isti Auct. deducunt ex eorum principio, relate ad quaestionem de qua in textu, dum dicunt peregrinum posse absolvi a reservatis in loco confessionis, a confessario ibi pro reservatis non approbato, modo illa non sint reservata in patria, id statuentes ex eo quod confessarius loci absolvit vi jurisdictionis, quam ei confert ordinarius poenitentis, qui jurisdictionem pro illo peccato reservato in loco confessionis tribuit, quia illud ipse non reservavit. At, quaeso, quidquid sit

tentia, quae docet peregrinum subdi legibus peculiaribus locorum per quae transit, si illae leges et in ejus patria receptae sint, etsi jure tantum pariter peculiari. At quaestioni, prout a nobis posita est, et prout vere proponenda est, ut dicimus, dictae rationes non obstant; et quidem ultima ratio adducta quaestionem non definit, utpote quae certa non est, et a pluribus negatur cum Lacroix, lib. 1, 686. Neque obstat Bulla Clementis X, idque patet ex modo dictis, ubi quaerebamus an peregrinus possit absolvi a reservatis in loco confessionis, et non reservatis in patria. Nam Clemens X statuit peregrinum non posse absolvi a reservato in loco confessionis, quod omnino servandum dicimus; at Clemens X non dixit peregrinos semper incurrere reservationem locorum ubi sunt, sed hoc praescriptionibus localibus reliquit, et probabile diximus, quousque non constat de opposito, merito posse presumi Superiores locales solum restringere, per reservationem peccatorum, confessariorum jurisdictionem in illos, pro quibus statuta est reservatio, idest subditos. Unde in casu,

approbatio, nonne haec requiritur insupplebiliter ad habendum jurisdictionem? Et nonne Episcopus, dum approbat, potest approbationem limitare etiam quoad casus? Et nonne limites approbationis servandi sunt etiam quoad validitatem confessionis? Et si hic confessarius, de quo in casu, non fuit, ut supponitur pro illo casu approbatus, et quidem ab Episcopo loci, a quo certum est habendam esse approbationem, quomodo poterit ei ab alieno Episcopo pro eodem casu delegari jurisdictio? Unde accipit iste confessarius approbationem pro illo casu, sine qua nullo modo est capax jurisdictionis in eumdem casum? Certe hanc approbationem non potest ille confessarius habere ab ordinario poenitentis, quia approbatio ab Episcopo loci certe habenda est. At ab Episcopo loci illam non habet, quia, ut supponitur, non est approbatus pro illo casu. Unde quidquid de hac quaestione, an peregrinus possit a reservatis in loco confessionis absolvi quae non sunt reservata in patria, quam probabiliter mihi etiam videtur posse affirmative resolvi, habito respectu ad factum scilicet ad limites, intra quos solet indici reservatio, non tamen videtur admittendum praedictum adversariorum principium, quo velint illam affirmativam probare, et dictum principium mihi videtur aperte pugnare contra Bullas S. Pontificum, quae dicunt approbatum, et habentem jurisdictionem ab uno Episcopo, non posse extra territorium hujus Episcopi excipere confessiones neque poenitentium, qui illius ejusdem Episcopi subditi sint, et ex quibus concludendum cum Gousset, 478; Antoine c. 3, quaest. 3, 5, Episcopum non habere jurisdictionem nisi pro sua dioecesi, et illam proinde non posse delegare extra territorium suum, et ad literam videtur mihi pugnare contra Bullam Clementis X, qui clare dicit: Regulares non posse absolvere confluentes ex alia dioecesi a peccatis reservatis in dioecesi, ubi illi sunt approbati; quae dispositio, jam ad omnes confessarios communiter extensa, recte confirmat approbationem et jurisdictionem etiam pro extraneis habendam ab Episcopo loci, sicut et alia ejusdem Bullae dispositio, qua statuitur peregrinos ab approbatis in loco confessionis posse absolvi a reservatis in patria, modo in fraudem reservationis non migraverint, optime probat nullo modo desiderari pro extraneis jurisdictionem eorum ordinariorum, ut explicatum est.

etsi peregrini peccatum reservatum sit in loco sui domicilii, si tamen reservatum non est in loco confessionis, non verificabitur quod confessarius absolvat a reservatis in utraque dioecesi, sed a reservato tantum in dioecesi poenitentis, quod non prohibet Bulla Clementis X, sed omnino permittit. Ad aliam autem rationem prius observo, non omnes consequenter loqui ex illis AA., qui dicunt peregrinum absolvi a confessario loci, vi jurisdictionis huic confessario communicatae ab Episcopo poenitentis. Nam si iste Episcopus illi confessario alienae dioecesis communicat jurisdictionem in casum sibi reservatum, quando hic casus non est reservatus in loco confessionis, prout valde communiter admittunt hi Auctores, et cur illam eamdem jurisdictionem non communicat quum casus est reservatus in loco confessionis? Quid Episcopum poenitentis prohibet quominus et in hoc casu illam jurisdictionem conferat? Sed hoc omisso, et retento nostro principio, quod jurisdictio ab Episcopo loci habenda est, illa ratio, ad communem sententiam probandam adducta, nil officit contrariae. Nam jam patet quod, non ideo quia aliquis casus ab aliquo Episcopo inter reservatos inscribitur, reservatus ille est quoad omnes, et etiam quoad non subditos; si autem relate ad peregrinum ille casus reservatus non est, quaestio per se resolvitur. Unde vel concludendum peregrinum nusquam posse absolvi a reservato in loco confessionis, etsi illud peccatum reservatum non sit in patria, vel concludendum et posse a reservato in utraque dioecesi absolvi, quoties et posset absolvi a reservato in loco confessionis tantum.

Auctoris declaratio.

Verum, quia fortasse AA. habent aliquam reconditam rationem ad concludendum in casu pro negativa, quam ego minimus ex Theologiae moralis discipulis percipere non valeo, hinc ausus non ero praedictam affirmativam conclusionem absolute tradere, sed sapientibus remittam.

Quando, juxta receptam doctrinam, peregrinus possit absolvi a reservatis, tum in patria, tum in loco confessionis.

Est autem satis receptum peregrinum posse absolvi a reservatis tum in patria, tum in loco confessionis, a confessario pro istis deputato. Viva, q. 9, art. 3, v. Sanctum Thomsum, 587; Suarez, disp. 30, sect. 1 in fine.

An autem peregrinus possit absolvi a reservatis Pontifice ab Episcopo loci, ubi confitetur, in casibus in quibus

De peregrino quoad casus Papales remissive.

Episcopus id jure posset pro subditis, et ideo an in loco confessionis peregrinus valeat absolvi a casibus Papalibus a quocumque confessario, qui ab Episcopo loci potestatem in casus Papales obtinuerit, et ibi dispensari in aliis poenis, dicam modo sequenti capite.

CAPUT II.

De privilegio per Tridentinum Episcopis concesso absolvendi a reservatis Pontifici (1).

Tenor privilegii.

Episcopi absolvere possunt a casibus occultis Sedi Apostolicae reservatis, facultate ad id ipsis concessa per Tridentinum, sess. 24, c. 6, de Reform., ubi dicitur: « Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, et suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare: et in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicae reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in dioecesi sua per se ipsos, aut Vicarium, ad id specialiter deputandum, in foro conscientiae gratis absolvere, imposita poenitentia salutari. Idem et in haeresis crimine in eodem foro conscientiae eis tantum, non eorum vicariis, sit permissum. »

Qui veniant Episcoporum nomine.

Circa hoc decretum notandum est: 1. nomine Episcoporum, ex communiori, comprehendi hic etiam Abbates, et alios Praelatos habentes jurisdictionem Episcopalem, et proprium territorium, S. Alph., lib. 6, 593, et de Pri-

(1) Agimus de hoc privilegio Episcopis a Tridentino facto, absolvendi a casibus Papalibus occultis, et dicemus infra de aliis facultatibus, quae Episcopis ex aliis capitibus competunt in eosdem casus Pontifici reservatos; idque non ad docendos ipsos Episcopos, nec enim usquam tanta in nobis erit praesumptio, ut illis velimus esse magistri, a quibus discendum perpetuo nobis erit, sed ut confratres nostri confessarii prae oculis habeant, quibus in casibus possint uti facultatibus extraordinariis, quibus fortasse ab Episcopis donentur absolvendi a casibus Papalibus, et quibus in casibus pateat recursus ad Episcopos, pro eisdem casibus Papalibus, quin necessarium ipsis sit ad Pontificem supplicationes mittere.

vilegiis, 31; Bonac., de Censuris in Com., disp. 1, q. 3, p. 2, 1; Salm., tract. 6, c. 13, 32. Sive quia potestas absolvendi et dispensandi favorabilis est, et consequenter extendenda, sive quia hujusmodi Praelati plenam habent Episcopalem jurisdictionem in suo territorio, pro quo et confessarios approbant, et solum differunt ab Episcopis per consecrationem. Est tamen contra alios cum Suarez, disp. 41, sect. 2; 7, de Censuris, qui pro contraria sua sententia citat Declarat. Cardinalium, de qua ait authentice constare. In hac sententia fideles subjecti Abbatibus et aliis Praelatis inferioribus possent in ordine ad absolutionem et dispensationem, de qua in privilegio Tridentino, se subjicere Episcopo suae dioecesis. Suarez cit., quem sequitur Ferraris, v. Ord. art. 2, 67, dicens ex eadem S. C. declaratione nec posse facultate Tridentini uti Cardinales in Ecclesiis sui tituli, quia licet habeant jurisdictionem quasi Episcopalem, ibi tamen vere et proprie Episcopi non sunt.

Probabilius privilegio fruitur et Vicarius Capitularis.

An etiam nomine Episcoporum ad facultatem Tridentini participandam veniant Vicarii Capitulares, Sede vacante, negat Suarez, de Censuris, cit. n. 13, inhaerendo citatae Resol. S. C., qua dicitur privilegium Tridentini fuisse concessum Episcopis privative quoad omnes alios; et etiam quia Capitulum succedit solum in ordinaria Episcopi jurisdictione et non in extraordinaria. Concedit tamen ibi Suarez consuetudine posse Vicario Capitulari illam facultatem competere.

Sed valde communior sententia affirmat dictam potestatem competere et Vicario Capitulari, Sede vacante, tum ob rationem, qua alii illam tribuunt Abbatibus, tum quia privilegium Tridentini jam transiit in potestatem Episcoporum ordinariam, ut probat Sanch., de Mat., lib. 2, disp. 40, 14, in quam succedere Vicarium Capitularem perspectum est, et hanc sententiam ut probabiliorem defendit idem Suarez, de Poenit.; disp. 30, sect. 2, n. 4.

An competat Praelatis Regularibus in subditos.

An vero Praelati Regulares communicent in dicto privilegio Tridentini quoad suos subditos, negant probabiliter multi, quia, ajunt, privilegium Tridentini solum videtur concessum illis, qui dioecesim habent, ut ex illis verbis capitis *Liceat* «pro dioecesi sua» deducendum est; et haec

sententia est valde communis. Sed illa verba Tridentini « in dioecesi sua, » fortasse ad praesentem quaestionem non concludunt, quia, prout dicemus, non videntur poni a Sancta Synodo ad restringendam factam potestatem, sed potius ad illam ampliandam. At esto isti non gaudeant privilegio Tridentini vi concessionis ejusdem Concilii, illo tamen fruuntur vi aliarum facultatum, quae ipsis factae sunt, prout magis dicemus. Vid. Salm. cit., 33; Reiff., lib. 5, tit. 7, 419.

Quando delictum dicatur occultum,

Notandum 2. delictum esse occultum ad hoc, ut possit ab Episcopo absolvi, non solum quando ita est occultum, ut nullo modo possit probari per aliquos testes, sed quoties non est publicum, aut notorium, aut famosum, ita ut illud notum non sit majori parti oppidi, viciniae, paroeciae, etsi possit testibus probari, dummodo tamen non sit ad forum contentiosum deductum, et dummodo, ut bene videntur excipere alii, prudenter non sit judicandum ex circumstantiis, illud fore communiter evulgandum. Vide S. Alph., lib. 6, 593, dub. 6, et lib. 7, 76; Salm., 59; Tamb., c. 10, 4, de Poenit. Tunc autem delictum dicitur esse deductum ad forum contentiosum, quando ad illud delatum est, et ibi fuit saltem per unum testem probatum, Salm. S. Alph, lib. 7, 76, quamvis magis videatur dicendum jam ad forum contentiosum esse deductum per solam rei citationem, aut saltem per executionem citationis et causae initium. Lacroix, lib. 6, pag. 2, 1659, imo per solam denunciationem et accusationem delicti. Suarez, disp. 41, sect 2, 6, de Censuris. Quod si in hoc foro reus se purgaverit, et, etiamsi hoc falsis testibus et via iniqua praestiterit, fuerit absolutus, delictum adhuc dicendum occultum, nec per hoc fit publicum, quod complicis delictum fuerit ad forum contentiosum delatum.

An delictum deductum ad forum contentiosum, causa finita, fiat potestatis Episcopi.

Quod si delictum fuerit deductum ad forum contentiosum, et reus fuerit punitus et causa finita, an jam possit Episcopus ab illo delicto, quod supponitur reservatum Pontifici, absolvere, disputant Theologi. Negant plures cum S. Alph., lib. 7, 77, quia quum crimen juridice publicum factum fuerit, manet simpliciter publicum, et ut tale omnino est Pontifici reservatum. Affirmant vero plures alii, quia quamvis delictum jam non tantum sit adductum ad

forum contentiosum, sed etiam publicum, tamen cessat causa, cur Trident. Episcopis non concedit et absolvere a delictis publicis Pontifici reservatis, quae fuit ut in delictis publicis et deductis ad forum contentiosum ex praetextu absolutionis Episcopalis non impediretur satisfactio publica. Ergo si haec praecesserit, reservatio censurae cessat. Lacroix, lib. 7, 146; Salm., c. 2, 62, cum pluribus aliis.

An a crimine in uno loco publico, Episcopus absolvere possit in loco ubi est occultum?

Similiter an a crimine, in uno loco publico, possit absolvere Episcopus in alio loco, ubi est occultum, disputatur; plures negant ob rationem jam adductam, quia delictum in casu, absolute est publicum; Lacroix, lib. 6, p. 2, 1658; Suarez, de Poenit., disp. 30, sect. 2, n. 2. Plures vero affirmant, si locus, in quo est publicum delictum, sit distans, ut non detur periculum proximum quod et in illo publicetur, in quo petitur absolutio, quia vere ibi esset occultum delictum, et absolutio ab illo potest absque ullo scandalo impertiri; nam scandalum quod posset evenire ex eo quod delicta publica absque publica satisfactione remitterentur, quae est, prout jam diximus, causa limitationis Tridentini privilegii, jam in casu non esset timendum. S. Alph., lib. 7, 78; Salm., c. 2, 62; Tamb. c. 10, 5.

Privilegium Tridentini extenditur ad casus postea reservatos, si non limitetur in nova reservatione.

Notandum 3. facultatem concessam Episcopis absolvendi a casibus Papae reservatis, intelligi non de solis casibus reservatis tempore Tridentini, sed etiam de illis qui postea per Summos Pontifices fuere reservati; est communissima sententia contra paucos; nisi in nova reservatione aliqua clausula habeatur, quae illi privilegio deroget. Concilium enim indefinite concedit Episcopis facultatem absolvendi, in quibuscumque casibus occultis Sedi Apostolicae reservatis; at ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. S. Alph., lib. 6, 593, dub. 7.

Tridentini privilegio derogat Bulla *Coenae*.

Dicimus nisi in reservatione, quae postea fuerit statuta, illi privilegio per Tridentinum Episcopis facto, fuerit derogatum, et sic hodie communis et tenenda sententia docet illi privilegio derogatum fuisse per Bullam *Coenae*, et pro casibus in illa contentis. Vid. S. Alph., lib. 7, 84, et Benedictum XIV, de Synodo, lib. 9, c. 4 et 5; dicitur enim in hac Bulla, ut nullus, qui in illam deliquerit «per alium quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo,

absolvi possit, praetextu quarumvis facultatum et indultorum, quibuscumque personis, etiam Episcopali vel majori dignitate praeditis per ipsum R. Pontificem, aut S. Sedem ac cujusvis Concilii decreta concessorum aut concedendorum. » Per quae ultimâ verba satis indicatur derogari privilegio Tridentini. Et sic Bened. XIV cit., n. 4, ait, non posse Episcopos, sine temeritatis nota, tot illustrium ac amplissimorum praesulum, quibus persuasum fuit, virtute Bullae *Coenae,* vetitum sibi esse uti facultate Episcopis facta a Tridentino, exemplis contraire, eamque auctoritatem sibi arrogare, atque etiam in Synodo ostentare, quam primae Sedi reservatam Sacrae urbis Congregationes, ac ipsimet Summi Pontifices non semel declararunt, omnesque fere Theol. sacrorum canonum periti, paucis quibusdam exceptis, Episcopis, per Bullam *Coenae,* ablatam docent. Potest tamen Episcopus haereticum publicum resipiscentem, aut sponte coram se comparentem, aut ad suum forum quoquo modo deductum, Ecclesiae reconciliare, et pro utroque foro absolvere a censura, in quam propter haeresim incidit, et etiam eumdem haereticum, postquam suos abjuravit errores, ad simplicem confessarium remittere, ut ab eo absolvatur. Bened. XIV, de Synod. cit., c. 4, n. 3. Similiter ex S. Alph., lib. 7, 76; Sanchez, lib. 2, summ., c. 25, n. 18, contra Suarez, etiam nunc, post revocatam facultatem prius Episcopis concessam absolvendi ab haeresi, potest Episcopus haereticum occultum absolvere ab irregularitate ob haeresim contractam, retenta sententia quae docet irregularitatem oriri et ex haeresi occulta, contra id quod volunt probabiliter plures, contendentes irregularitatem ob haeresim, solum incurri, quum crimen sit publicum.

Facultas quam adhuc retinet Episcopus in haereticum.

Dicunt etiam alii, privilegio a Tridentino Episcopis concesso, derogari simpliciter per clausulam « non obstantibus, » Fagnanus C. *Dilectus, de Temp. ordinat.* 30 vel per clausulam « nisi in mortis articulo, » idest per reservationem, quae sic indicatur a Pontifice ut nemo queat ab illa absolvere nisi in articulo mortis. Vide S. Alph., lib. 6, 593, dub. 8, et ob hanc rationem, descendendo ad casus particulares, contendunt plures ab excommunicatione lata a S. Pio V tum in Moniales clausuram violantes per illici-

An privilegio Tridentini derogetur per clausulas « non obstantibus, » vel « nisi in mortis articulo. »

Prior sententia affirmativa.

tum egressum clausurae, tum in cooperantes concedendo licentiam, comitando, recipiendo sic illicite egressas, non posse Episcopum absolvere, etsi casus sit occultus; quia in Bulla reservationis S. Pii V expresse cavetur, ut qui illam incurrerint, a nemine, praeter quam a Romano Pontifice, nisi in articulo mortis, absolvi queant.

Et pro hac sententia et quoad hanc excommunicationem in violantes clausuram, Fagnanus cit. adducit Pontificiam declarationem Gregorii XIII. Et hanc eamdem sententiam pro casu dicto, tenent cum aliis S. Alph., de Privil., n. 36, et lib. 6, 593, dub. 8, saltem in aliquibus editionibus, et iterum lib. 7, 88, et tenet Bouix, de Episcopo, part. 5, C. 20, prop. 5, citans Ferraris, v. Episcopus, art. 5, 5, qui et poterat citari, v. Ord. art. 2, 67. Sed alibi Ferraris, v. Moniales, art. 3, 19, aliter tenet, saltem ibi citat plurimos et plurimos, qui dicunt in casu si res sit occulta posse Episcopum, vel alium habentem facultatem capitis *Liceat* Tridentini, tuto absolvere. Et dicunt de Declaratione Gregorii XIII non constare authentice et oppositum praxi servari. Hanc sententiam in aliquibus editionibus et secutus est S. Alph., l. 6 cit. (Venetiis, Remondini, 1773), vid. et Bonac., de Censuris in communi, disp. 1, q. 2, p. 2, 1, ubi et hanc tenet sententiam, quam alioquin et sequuntur plures ex ipsis qui illam negant, qui imo, minus tamen probabiliter, prout inferius dicemus, concedunt et Episcopo facultatem in dictum casum, quum publicus sit, illa ducti ratione, quod Moniales impediantur adire Summum Pontificem, et excusentur in jure quominus se illi sistant. Vide Ferraris cit., v. Moniales, art. 3, a n. 23; S. Alph., lib. 7, 85-88.

Altera sententia negativa.

Verum, si gravis haec quaestio esset ex solis principiis intrinsecis resolvenda, haud tam ardua videretur; et quidem per solam clausulam « non obstantibus quibuscumque, » vel « nisi in articulo mortis, » non videtur satis derogari privilegio tam celebri ex Concilio Generali concesso; nam est communiter receptum, quod dispositionibus Concilii Generalis non derogatur per posteriorem contrariam dispositionem, nisi expressa mentio fiat dispositionis ejusdem Concilii Generalis, ut ex pluribus juris locis concludunt Sanchez, de Matrim., lib. 2, disp. 26, 7;

Secunda sententia magis videtur probanda.

Layman, tract. 4, 21, 2; Salm., tract. 11, c. 4, 13, et tract. 18, c. 2, 45, ubi imo docent privilegia inserta in Trident. non revocari per clausulas communes et generales, etiam facta mentione cujuscumque Concilii Generalis, nisi Tridentini expressa mentio fiat, quod ultimum tamen minus probabile dicendum est. Satis enim Tridentino derogari per mentionem Concilii Generalis, nuper diximus cum Bened. XIV et communi. At redeuntes ad quaestionem, si vera esset contraria sententia, jam dicendum quod fortasse nusquam a culpis post Tridentinum reservatis, possent absolvere Episcopi etiam in casibus occultis. Dicere enim per clausulam « nisi in mortis articulo, » vel « non obstantibus quibuscumque, » derogari privilegio Tridentini, de quo dicimus, idem videtur ac generaliter dicere Episcopos non posse quidquam in casus etiam occultos post Tridentinum reservatos. Tenor enim omnis reservationis Pontificiae bene notus, et semper saltem tacite intellectus, est ut nullus absolvat nisi in articulo mortis, et clausula illa « non obstantibus » ex more, in omni Pontificia constitutione, qua culpa reservetur, semper apponitur; unde qui admittunt, facultatem Tridentini Episcopis concessam, se extendere et ad casus post Concilium reservatos, et postea dicunt, illi potestati derogari per clausulas « non obstantibus, » vel « nisi in articulo mortis, » delere omnino et destruere una manu videntur, quod altera statuere et firmare intendebant, et videtur quod, ut consequenter procederent, vel debuissent omnino negare Episcopis omnem potestatem, in casus etiam occultos post Tridentinum reservatos, vel illam eisdem adserere etiam in casu quaestionis. Attamen ad extensionem privilegii videtur obstare responsio Gregorii XIII, de qua etiam testatur Suarez, de Poenit., disp. 30, sect. 2, n. 12, in hac quaestione minime suspectus, utpote qui Decretum Tridentini ad casus post illud reservatos bene extendit, quique ait: praedictam responsionem Pontificis ad suas manus, fide digna auctoritate, pervenisse. Sed dicit nihilominus Suarez, illam responsionem intelligendam esse de casibus postea reservatis cum aliqua clausula, aut verbis sufficientibus, per quam, aut per quae Decreto Tridentini sufficienter derogetur, qualia sunt quae in Bulla *Coenae* ap-

ponuntur, vel qualia essent si in ipsa reservatione expresse adderetur, etiam in casibus occultis, vel hujusmodi. Et haec interpretatio est multorum suffragio suffulta, ut bene probabilis videatur et in praxi tuta. Excipiendi tamen sunt casus reservati a Bened. XIV in sua Constit. *Sacramentum Poenitentiae*, a quibus etiam occultis, Episcopi absolvere non possunt vi facultatis Tridentini. Etenim SS. Dominus noster Pius Pontifex IX, dato Decreto 27 junii 1866, statuit ut e facultatibus, quibus Episcopi, aliique locorum Ordinarii ex concessione Apostolica pollent, absolvendi ab omnibus casibus Sanctae Sedi reservatis, excipiantur semper in posterum, et excepti habendi sint casus, in dicta Bulla reservati. Casus autem, qui in illa Bulla reservantur, duo sunt, quorum alter reservatur ratione censurae et est, attentata absolutio peccati turpis per confessarium complicem; alter vero reservatur ratione sui, estque innoxii sacerdotis de falso sollicitationis crimine apud ecclesiasticos judices sive per se, sive per alium accusatio. Vide *Acta quae geruntur*, pag. 673. vol. 2. —Vide supra, cap. 4, § 1, part. 1.

Limitatio.

Notandum 4. dictam potestatem in reservatos Pontifici occultos, concessam fuisse Episcopis in suos subditos, dicitur enim in privilegio « delinquentes quoscumque sibi subditos. » Nomine autem subditorum illos omnes venire qui in dioecesi Episcopi absolventis vel dispensantis domicilium habent, et ab ipso pendent in spiritualibus, manifestum est. Item venire personas exemptas, commorantes in dioecesi, est valde communis sententia Doctorum, quam tenent cum aliis Suarez, de Poenit., disp. 30, sect. 2, n. 3, et de Censuris, disp. 41, sect. 2, n. 12; Sanchez, Decalog., c. 11, 10, lib. 2; Tamb., c. 10, 7. Similiter venire vagabundos, extra dubium est ex Sanchez, lib. 2, c. 11, 8, et ex Suarez, de Poenit., disp. 30, sect. 2, n. 3. Sed et an veniant etiam peregrini ex aliena dioecesi, et qui in dioecesi, ubi petunt dispensari vel absolvi, habeant tantummodo quasi domicilium; adhuc respondent communiter Theol. affirmative, si de potestate absolvendi quaestio sit, quam dicunt Episcopos posse exercere etiam quoad illos, qui in eorum dioecesi quasi domicilium tantum habeant, vel etiam tantum peregrini sint, et transeun-

Ad quas personas se extendat Episcoporum privilegium.

Ad peregrinos extenditur potestas absolvendi, et ad eos qui domi- be

tes, etsi brevi in suam dioecesim redituri sint. Suarez cit., n. 10, de Censuris, et disp. 30, de Poenit. sect. 2, n. 3; Sanchez cit., 9; S. Alph., 593, dub. 6, et etiam in hoc sensu citatur cum Suarez quaedam S. C. Resolutio, quam Fagnanus C. *Dilectus de Temp. Ordin.*, n. 36, dicit etiam fuisse approbatam per Gregorium XIII. Nam ex universali Ecclesiae consuetudine, quicumque extranei, habentur ut incolae et subditi Episcopi in cujus dioecesi reperiuntur, relate ad sacramenta Eucharistiae et Confessionis recipienda, et consequenter relate et ad absolutionem a reservatis, quae ad confessionem pertinet et praeexigitur ad Eucharistiam. Vide notam supra, ubi de Peregrinis dicimus.

Ad peregrinos communiter non extendunt potestatem dispensandi.

Si vero quaestio sit de potestate Episcoporum dispensandi in irregularitatibus et suspensionibus, communius negant posse Episcopum illa uti in eos, qui in eorum dioecesi sint solum peregrini et transeuntes et brevi discessuri, nec domicilium, vel quasi domicilium contraxerint, nisi, ut diximus, de vagis sit sermo. Suarez cit., de Censuris, n. 10; Sanchez cit., 9; S. Alph., lib. 6, 593, lib. 1, 158; Lacroix, 469, lib. 7, contra aliquos, quibus aliqualiter accedit Tamb., de Poenit., c. 4, p. 3, 11, et videtur accedere et S. Alph., lib. 1, 158.

An potestas dispensandi se extendat ad eos qui quasi domicilium contraxerunt; proponitur sententia negativa.

Quoad eos vero, qui quasi domicilium contraxerunt in dioecesi, ubi petunt dispensari, res videtur magis controversiae subjecta. Plures enim contendunt talem non censeri subditum Episcopi loci, in ordine ad petendam ab eo dispensationem, nec subditum fieri nisi vere contrahat domicilium; et pro hac sententia urget citata declaratio S. C. approbata a Gregorio XIII apud Fagnanum cit., ubi dicitur fungentem praetoris vel medici officio et commorantem in civitate, vel dioecesi non posse ab illius civitatis vel dioecesis Episcopo dispensari in irregularitatibus.

Sententia affirmativa communior praefertur.

Verum communius concedunt Theol., Episcopum posse dispensare, juxta tenorem Tridentini privilegii, illum, qui quasi domicilium contrahat in sua dioecesi. Haec sententia est communissima, et communiter recepta apud Sanctum Alphonsum, lib. 1, 158, et pluribus citatis et pluribus argumentis adductis, illam probat Sanchez, de Matrimonio, lib. 3, disp. 23, 12; Lacroix, 469; et dicit S. Alph. citatus,

quod de Declarat. S. Congregationis non constat authentice, vel quod communiter illa non fuit recepta; et quidem videtur posse magna probabilitate affirmari, si non de authenticitate declarationis S. C. C., quia et de illa loquitur Suarez, n. 10, qui tunc temporis vivebat et scribebat; saltem de authenticitate approbationis illius declarationis per Pontificem factae. Nam Suarez, ubi illam declarationem S. C. adducit, nullum habet verbum de approbatione Pontificis; quod silentium pariter servant alii tunc temporis AA.; jamvero videtur quod accuratissimi viri illam declarationem Pontificiam non praeteriissent, si vere illa prodiisset.

Quamvis si dicatur Episcopum dispensare cum oratore non auctoritate propria, tamquam illius ordinarius, ut communiter vellent AA., qui Episcopo in casu facultatem tribuunt dispensandi; sed potius ratione consuetudinis et ex conniventia Episcopi oratoris, ut dicunt alii, nil fortasse dicitur contra resolutionem S. C. C., et contra declarationem Gregorii XIII, si sit. Nam tunc qui vere dispensat esset Episcopus, cujus talis orator subditus est, seu est Episcopus in cujus dioecesi ille orator habet domicilium, quique ratione consuetudinis jam introductae, censetur cum illo suo subdito dispensare, quoties Episcopus illius loci, ubi ille suus subditus moratur, bonum existimat ut cum illo dispensetur. Lege Sanchez, de Matrim., lib. 3, disp. 31, n. 18, et in antecessum scito quae dicemus, Episcopum scilicet posse dispensare in irregularitatibus et suspensionibus etiam cum suo subdito, qui extra dioecesim sit. Quae animadversio et probat hanc quaestionem non esse confundendam cum illa, qua statuimus jurisdictionem in foro poenitentiae habendam esse ab Episcopo loci, in quo fit confessio.

Expenditur clausula « in dioecesi sua ».

Notandum 5. in privilegio Trident. apponi clausulas « in dioecesi sua, in foro conscientiae, » quae quid importent et quomodo intelligendae sint, jam videndum. Salm., tr. 10, c. 2, 53, interpretantes primam clausulam « in dioecesi sua, » dicunt sufficere quod vel Episcopus vel subditus in dioecesi existat, quia sic verificantur verba Concilii. Unde si subditus sit extra dioecesim, [illegible] Episcopo intra illam existente a dictis [illegible] quum etsi

Referuntur quaedam sententiae.

Episcopus extra dioecesim existat, subditus est intra illam; quia est actus jurisdictionis in foro tantum conscientiae exercitus, qui potest in alieno territorio effici, et respectu absentium; et citant ibi pro sua sententia Suarez et Sanchez, sed utrumque minus bene. Nam Suarez, n. 11, quamvis concedat Episcopum extra dioecesim posse absolvere a reservatis subditum in dioecesi existentem, denegat tamen Episcopo etiam existenti in dioecesi facultatem absolvendi subditum, qui est extra dioecesim, quam facultatem eidem pariter denegat, etsi Episcopus sit et ipse extra dioecesim, et in eo ipso loco ubi degit subditus, quamvis in hoc casu admittat, quod posset Episcopus illum suum subditum absolvere ab aliis peccatis, et etiam ab excommunicationibus Papae non reservatis, et solum ibi n. 10, concedit Episcopum posse ex sua dioecesi dispensare in irregularitatibus cum subdito absente. Sanchez vero, n. 18, concedit Episcopum posse praedicta facultate uti, etsi tam ipse quam subditi sint extra dioecesim.

Subditum dispensare possunt Episcopi absque ullo ad locum respectu.

Sed pro resolutione quaestionis, ut prius statuamus quae communius admittuntur, distinguenda facultas, qua possunt Episcopi dispensare in irregularitatibus et suspensionibus, a facultate qua pollent absolvendi a reservatis; et dicendum Episcopum posse uti facultate dispensandi etiam quoad subditum existentem extra dioecesim, etiam quando ipse et non subditus extra dioecesim est, vel etsi tam ipse quam subditus extra dioecesim sint, et sive sint in eodem loco extra dioecesim, sive non. Quia actus jurisdictionis voluntariae, quae secreto et sine strepitu et sine solemnitate judicii exercetur, bene potest exerceri et extra territorium, sive a supposito qui sit extra territorium procedendo, sive in supposito qui sit extra territorium terminando, sive utrumque intercedat; et etiam quia clausulae Tridentini « in sua dioecesi, in foro conscientiae, » dato quod taxative ponantur, et jurisdictionem Episcopi limitent, solum essent referendae ad absolutionem a reservatis, non vero ad dispensationem ab irregularitatibus; ut docent cum pluribus Lacroix, 472, lib. 7, et S. Alphonsus, lib. 6, 81, ubi conclusionem nunc expositam tuentur, pro qua militaret illa declaratio Gregorii XIII, de qua supra, si vere esset, et ita tenent plures alii.

Quoad absolutionem vero a reservatis mihi probabilior est et sententia Sanchez, qui concedit Episcopum illa uti posse etiam in subditum absentem, et extra dioecesim, etsi tam ipse quam subditus extra dioecesim sint. Et explicat Sanchez sensum illorum verborum Tridentini « in dioecesi sua, » ut significent et importent non limitationem jurisdictionis Episcoporum, quasi uti illa ipsis non liceat extra dioecesim, sed potius extensionem, ita ut Episcopus vi illorum verborum « quoscumque sibi subditos, » istos possit absolvere quomodocumque et ubique, quia in exercitio jurisdictionis voluntariae non attenditur ad locum, sed solum ad jurisdictionem in personas; et insuper possit absolvere quotquot illi subdantur aliquo modo in ipsius dioecesi, vi alterius clausulae « in dioecesi sua, » quia haec verba insuper important, quod in sua dioecesi Episcopus possit illa facultate uti etiam quoad eos, qui subditi rigoroso sensu non sunt ipsius Episcopi, sed se illi subjiciunt in poenitentiae foro, quamvis advenae et peregrini, ut nuper dicebamus cum sententia valde recepta, cui pondus affert illa declaratio S. C. pluries jam memorata, si vere existit.

Probabilius et absolvere possunt, nulla pariter habita ad locum ratione.

Dictae Sanchez sententiae, qua parte dicit, Episcopum uti posse facultate absolvendi sibi a Tridentino facta, in subditum absentem, ex S. Alph., lib. 6, 593, et l. 7, 81, opponitur jam citata declaratio S. C., ex qua etiam haberetur, Episcopum solum posse uti praedicta facultate absolvendi in sacramento Poenitentiae, et non extra. Sed si ex dicta declaratione sequeretur, quod non posset Episcopus uti illa potestate absolvendi in absentem, eadem tamen declaratio non obstaret, quominus adhuc posset Episcopus sua illa potestate uti extra dioecesim in sibi subditum, quia adhuc extra dioecesim in sacramento Poenitentiae, posset suam jurisdictionem Episcopus in subditum exercere, quod minus probabiliter videtur negasse Suarez.

Ratio in contrarium.

Sed prout jam notavimus de illius declarationis authenticitate dubitat et ipse S. Alph., lib. 1, 158, nam est eadem de qua hoc loco dicit sanctus Doctor, vel saltem de illius approbatione, quae praefertur per Pontificem facta, merito quidem dubitari potest, prout diximus. At quamvis

Solvitur.

dictae declarationi omnino standum esset, illa non videtur in quopiam se opponi relatae sententiae Sanchez, et aliorum qui generatim dicunt, Episcopum uti posse facultate absolvendi a reservatis sibi per Tridentinum concessis, etiam in subditum absentem, et etiam extra sacramentum Poenitentiae, quamvis solum in foro interno et in foro conscientiae. Nam in illa declaratione, prout illam refert Fagnanus, a quo illam accipit S. Alph., solum esset casus de Episcopo, qui intra suam dioecesim absolvere et dispensare intendit cum eo, qui sibi subditus ratione domicilii non est, et solum ipsi subditur quatenus in sua dioecesi quasi domicilium contraxit; qui casus est alius ac ille de quo nunc quaerimus. Ex hoc proinde casu nil posset deduci contra conclusionem Sanchez, qui alioquin, n. 9 et 17 cit., lib. 2, c. 11 Decal., videtur et ipse docere Episcopum solum posse absolvere in sacramento Poenitentiae, qui in illius dioecesi tantummodo peregrinatur, vel solum quasi domicilium habet. Nam ibi n. 9 ad concedendam dictam facultatem Episcopis in peregrinos movetur, quia quicumque extranei censentur subditi Episcopi loci in ordine (nota) ad sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae suscipienda; quod iterum videtur sibi velle n. 17; quod et videtur conformius praxi.

Adducuntur auctoritates pro relata sententia et explicatur clausula «in foro conscientiae.»

Caeterum Episcopos posse et potestate absolvendi uti in subditos absentes, et etiam extra sacramentum Poenitentiae quoad dictos subditos, docent plurimi; Suarez, disput. 41, sect. 2, 11, qui illam declarationem Cardinalium, de qua nunc, viderat, et sequutus est, qui tamen ad clausulam «in foro conscientiae,» scribit: «Verbum illud in foro conscientiae non significat idem quod in sacramento Poenitentiae; » et expresse dicit, quod possit Episcopus absolvere immediate per se ipsum, a tali censura reservata et occulta subditum absentem, quamvis, prout jam diximus, Suarez alias ponat limitationes; item tenet Bonacina, de Cens. in comm., disp. 1, q. 3, p. 2, n. 1, vers. *tertio*, ubi et concedit Episcopum posse absolvere subditum extra dioecesim existentem. Salm., c. 2, tract. 10, n. 53, 54; Lacroix, lib. 7, 139; Tamb., c. 10, 8, 13, qui consentit omnino cum Sanchez, aliique plures.

Illud autem « in foro conscientiae, » solum importat,

quod absolutio ab Episcopo etiam extra Sacramentum impertita, tantummodo prosit ad levamen conscientiae, et ad satisfaciendum obligationi in conscientia obtinendi absolutionem a reservatis, et se reconciliandi cum Deo, ut tamen semper relinquatur Ecclesiae judicibus jus puniendi talia delicta in foro contentioso, si aliquando in eo denunciata et probata fuerint. Suarez, Tamb., Salm.

Episcopi possunt vices suas generaliter vicario communicare.

Notandum tandem, dicta facultate uti posse Episcopos per se ipsos, vel per vicarium ad id specialiter deputandum; nomine autem vicarii hic venit quilibet sacerdos, et etiam plures simul. Sed quaeres an Episcopus possit hanc facultatem alicui sacerdoti generaliter committere? Aliqui dicunt Episcopum non posse sic generaliter delegare, sed tantum posse illam suam facultatem in casibus particularibus pro illa vice communicare. Probabilius tamen et communissime, ait S. Alph., lib. 6, 594, dub. 10, affirmant posse Episcopum generaliter vices suas committere quoad absolvendos casus Papales occultos, quia etiam per generalem commissionem, speciali modo, et facta speciali mentione casuum, delegatam, jam sacerdotes, quibus confertur, erunt specialiter deputati. Illa autem specialis mentio esset ad hoc sufficiens, quae haberetur, quum Episcopus alicui sacerdotem faceret facultatem absolvendi, a casibus ipsi Episcopo permissis per Tridentinum; non enim requireretur mentio de singulis casibus. Idque valet tum de facultate absolvendi, tum de facultate dispensandi. Vicarius vero Generalis Episcopi, in generali commissione Vicariatus, hanc facultatem absolvendi juxta tenorem privilegii Tridentini non recipit, saltem quia Tridentinum voluit quod haec facultas ab Episcopis non concederetur Vicariis, absque illius speciali mentione, et speciali delegatione. Sanchez, lib. 2, de Matrim., disp. 40, 17; S. Alph., de Privil., 31, et lib. 6, 594.

An, et quomodo Episcopus uti valeat, in sui ipsius favorem, privilegio Tridentini.

Si contingat autem Episcopum ipsummet labi in aliquod reservatum Pontifici occultum, a quo posset ipse absolvere suos subditos, etiam potest ipse absolvi a confessario ab ipso electo, cui suam facultatem deleget. Hoc fuit resolutum a S. C. Cardinalium. Interrogata enim S. C.: « An Episcopo in aliquod delictum, de quibus hoc capite, prolapso, liceat ad se absolvendum proprium confessarium

deputare cum eadem auctoritate, quam ipse posset ex eodem capite in sibi subditos exercere? » responsum dedit: « Congregatio censuit id Episcopo licere. »

CAPUT III.

De absolutione a reservatis in articulo mortis.

In praesenti articulus mortis, idem est ac periculum.

Quaerendum nobis est hic, an et quando, et quibus sub conditionibus, inferior confessarius valeat a reservatis absolvere, in articulo mortis. Sed praemittimus articulum mortis pro eodem in praesenti sumi ac mortis periculum, ut ex communiori et vera sententia. Censetur autem adesse articulus vel periculum mortis, quando habetur prudens dubium, et timor probabilis ne mors eveniat; et in illo reputantur, qui periculoso morbo laborant, qui pugnam, iter praedonibus expositum, periculosam navigationem aggrediuntur, et qui inter pestiferos esse debent. Item praegnans primo partui proxima, vel quae mulier alias in partu experta sit periculum vitae, uno verbo quotquot in adjunctis sunt, in quibus prudenter timere possunt, ne eos mors perimat. Videri potest Alasia, part. 2, c. 1, n. 3; S. Alph., 561.

Relatis pluribus sententiis statuitur simplicem confessarium a reservatis ratione sui semper absolvere posse in articulo mortis.

Jamvero; « utrum inferior confessarius absolvere valeat a reservatis in articulo mortis, » distinguendum ducimus inter reservata ratione sui et ratione censurae; et dicimus pro casibus ratione sui reservatis, in articulo mortis, si nullus adsit qui potens sit absolvere, ut ipse reservans, vel privilegiatus, nec facile peti possit licentia alteri confitendi, nec advocari privilegiatus, in confesso esse apud omnes, simplicem confessarium posse absolvere (1). Quod si uno ex praedictis modis possit haberi

(1) Constat vero etiam simplicem sacerdotem in articulo mortis absolvere posse adhuc a casibus quomodocumque reservatis, saltem si deficiat alius sacerdos approbatus ad confessiones excipiendas. Hunc, pro casibus in quibus jure absolvere valeat, et nos comprehendimus ad praesentem quaestionem sub nomine simplicis confessarii.

absolutio a reservatis, alii cum Layman, lib. 5, tract. 6, cap. 12, 14, negant simplicem confessarium etiam in articulo mortis posse absolvere a reservatis; quia, dicunt, nulla potest esse necessitas ob quam inferior sacerdos possit ab illis absolvere extraordinario modo, et absque jurisdictione commissa.

Alii cum Lugo, disp. 18, sect. 2, et disp. 20, 203, negant posse simplicem confessarium absolvere in praesentia superioris vel privilegiati, non tamen adesse obligationem petendi per literas licentiam confitendi inferiori. Alii, inter quos Suarez, disp. 30, sect. 3, n. 1, 6, concedunt simplicem confessarium posse absolvere etiam in praesentia privilegiati, non tamen si pateat aditus ad superiorem, et accersiri valeat, et possit illi fieri confessio, vel facultas ab illo obtineri alteri confitendi.

Alii vero dicunt, in articulo mortis, quemlibet confessa-

An vero simplex sacerdos solum, pro articulo mortis, jurisdictione donetur quum nullus alius approbatus adsit, disputant non parum theologi, et sunt, ait Clericato, decis. 87, 28, hinc inde opiniones probabiles ob rationem et multitudinem Doctorum pro utraque militantium. Qui affirmant, ducuntur ex eo quod Tridentinum ubi dixit in articulo mortis omnes sacerdotes posse ab omnibus peccatis et censuris absolvere, nullam conditionem, limitationem nullam apposuit, quam nec nos apponere debemus. Hanc sententiam principio reflexo nisus, non probabilem, sed certam dicit Tamb., Meth. Confes., lib. 3, c. 7, § 1, n. 1. Illud principium habes supra in nota pag. 81.

Sententia tamen negans videtur communior, et qui illam tenent, ducuntur; sive quia finis cur jurisdictio omnibus sacerdotibus pro articulo mortis conceditur, qui est subvenire necessitati fidelium, non urget pro casu quo adsit confessarius jam approbatus; sive quia Tridentinum non condidit circa hunc punctum jus novum, sed solum commendavit et firmavit perpetuam Ecclesiae consuetudinem, quae potius fuit ut, praesente approbato, simplex sacerdos neque in articulo mortis posset absolvere, ut ex cap. *Presbyteri*, cap. *Aurelius* et cap. ultimo 26, q. 6, evincere contendunt. Hanc sententiam tenent inter alios Lugo, disp. 18, sect. 2, § 2; Suarez, disp. 28, sect. 4, et pro illa adducitur Declaratio S. C. C. quam ex Gallemart refert Giraldi, p. 2, sect. 39, et defenditur a S. Alph. 562, qui illam magis probat ob auctoritatem Ritualis Romani, qui de sacramento Poenitentiae ait: «Sed si periculum mortis immineat, approbatusque (nota) desit confessarius, quilibet sacerdos potest a quibuscumque censuris et peccatis absolvere.» Rituali consonat cathechismus Romanus, de Poenitent. § 55, ubi legitur: « Si mortis periculum imminet, et proprii sacerdotis facultas non datur, ne hac occasione aliquis pereat, in Ecclesia Dei, etc. »

Hujus tamen sententiae AA. qui simplici sacerdoti in praesentia approbati negant facultatem generatim absolvendi in articulo mortis, bene illam eidem valde communiter tribuunt pluribus in casibus: 1. Si approbatus nollet aut non posset audire confessionem; 2. Si approbatus esset complex cum infirmo in peccato turpi, ex Constit. Bened. XIV, *Apostolici Muneris*, 8 feb. 1745; 3. Si confessarius approbatus superveniat jam incepta confessione apud simplicem sacerdotem, ex eo enim quod est incepta confessio apud simplicem sacerdotem, huic acquiritur jurisdictio, quae cum res non sit integra perseverat, etsi casus contingat ob quem re integra desineret. Adde quod non leve gravamen imponeretur moribundo si obligaretur repetere apud alium confessarium, quae jam legitime uni fassus est. Quod si contingat in casu simplici sacerdoti invalide et

rium posse absolvere a quibusvis casibus reservatis ratione sui, etiam praesente confessario approbato pro reservatis, imo praesente ipso superiore reservante; ita ut per se loquendo, ut ait Antoine, de Poen., c. 3, art. 2, q. 3, inter confessarios approbatos pro reservatis, vel non approbatos pro istis reservatis, nullus sit ordo servandus, quia in articulo mortis nulla est reservatio; nituntur Conc. Trid., sess. 14, cap. 7, ubi ait: « Pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes sacerdotes, quoslibet poenitentes, a quibusvis peccatis et censuris, absolvere possunt. » Haec sententia hodie est valde communis. Illam tenent S. Alph., lib. 6, n. 563, dub. 1; Scavini, Gousset, n. 496; Gury, 579, cum Ballerini; Frassinetti, 439. Et quidem omnino videtur tuta in praxi. Nam Tridentinum absolute dicit, quod nulla in ar-

etiam sacrilege moribundum confiteri, et invalide ideo ab illo absolvi, poterit nihilominus postea apud eumdem simplicem sacerdotem culpam vel errorem emendare, et eidem adhuc confiteri, etiam in praesentia approbati, quia dum simplex sacerdos coepit confessionem audire, alio confessario approbato, ut supponimus, deficiente, jurisdictionem acquisivit in poenitentem, et dum absolutio prius impertita non fuit valida, res non fuit finita, jurisdictio igitur perseverat. At postquam simplex sacerdos valide in articulo mortis absolvit, jam non potest, superveniente approbato, (in sententia secundum quam loquimur, idest quae generatim non concedit simplici sacerdoti absolvere in articulo mortis in praesentia approbati), audire peccata quae moribundus inculpabiliter est oblitus, vel quae ob justam causam omisit, ut saltem communius tradunt contra Nugnum apud Bonac. q. 7, p. 3, n. 4, et Diana apud Auctorem Casuum qui veniunt sub nomine Benedicti XIV, tom. II, pag. 49, quique non vult hanc sententiam damnare; 4. Si approbatus esset alienae dioecesis; quia tunc, ut communius dicunt, idem esset respectu infirmi ac quilibet alius simplex sacerdos; 5. Addunt plures cum S. Alph. 563, simplicem confessarium adhuc posse praesente approbato confessionem excipere infirmi, si iste ita horreret manifestare sua crimina approbato, ut esset in periculo confitendi sacrilege; et hoc valde consonum dicunt benignitati matris Ecclesiae, quae omnino vult ne aliquis pereat. Et idem dicunt si infirmus non posset confiteri approbato sine magna difficultate aut incommodo, vel si simplex sacerdos magis idoneus ac utilis illi esset futurus quam approbatus.

Addunt adhuc alii, simplicem sacerdotem posse absolvere in articulo mortis quando solum esset praesens sacerdos excommunicatus vitandus, vel quicumque alius sacerdos qui notorie sit extra communionem Ecclesiae, ut haeretici, schismatici declarati. Sed illi extra quaestionem vagantur, nam isti non plus sunt approbati, nec plus habent jurisdictionis ac quilibet simplex sacerdos. Potius esset dicendum cum Suarez, disp. 26, sect. 4, n. 4, simplicem sacerdotem in casu praeferendum esse vitando, non solum pro liceitate, sed probabiliter etiam pro validitate absolutionis, ni causa subsit, ob quam vitandus possit alio tum non approbato, tum approbato praeferri, prout modo de simplici sacerdote in conspectu approbati dictum est. Excommunicatum autem vel suspensum sacerdotem vitandum, et quotquot sunt extra Ecclesiam, posse in articulo mortis, aliis deficientibus, absolvere, hodie certum est ex Innoc. XI et Pio VI, 1 april, 1794, apud Bouvier, pag. 491, et supponitur a Bened. XIV in Constit. *Pia Mater*, nonis aprilis 1747.

ticulo mortis est reservatio, non distinguens inter casum et casum, inter circumstantiam et circumstantiam; ergo nec nos distinguere debemus, nec aggravare, ubi lex non aggravat. Adde nos versari in re, in qua Ecclesia potest supplere quidquid forte desit; jamvero sententia valde communis est, Ecclesiam dare jurisdictionem certam, quoties stat pro jurisdictione sententia probabilis. Sententia vero, quae in casu quaestionis, dicit simplicem confessarium absolvere posse a reservatis ratione sui, etiam praesente ipso reservante, plusquam probabilis certe est. Dicta valent pro reservatione sive Episcopali, sive Papali. Bouvier, 491; Gousset, 496; et ex S. Alph. cit., 553, dub. 1.

Nullum onus in casu, absoluto imponendum comparendi.

In hoc autem casu, nullum imponendum est onus poenitenti, se praesentandi postea Superiori, si convalescat. Idque est commune. S. Alph., l. 7, 91, l. 6, 567; Suarez cit., n. 7; Antoine cit. in fine, Bouvier, Gousset, Gury cit. Nam absolutio in casu datur non solum indirecte et per accidens, sed directe et per propriam jurisdictionem, quae pro tali articulo habetur circa talia peccata. Peccata vero semel directe remissa, numquam ex obligatione iterum erunt clavibus subjicienda, et illud onus postea comparendi coram Superiore, quod jura imponendum decernunt, in casu absolutionis a censuris reservatis, in dicto mortis articulo, nullibi imponunt pro casu absolutionis a reservatis ratione sui, ergo nec nos imponere debemus.

Recordatur dispositio dioecesana pro casu infirmitatis.

In nostra dioecesi, ut supra vidimus, cautum est, ut omnis reservatio tam ratione sui, tam ratione censurae, pro omnibus casibus in Literis Patentibus inscriptis, cesset pro casu infirmitatis, non solum si adsit periculum mortis, sed etiam si infirmus desideret Eucharistiam suscipere, solius devotionis gratia.

Et a reservatis ratione censurae aliquando in articulo mortis absolvit simplex confessarius.

Si reservatio sit ratione censurae, in articulo mortis simplicem confessarium posse absolvere ab excommunicationibus quibuscumque, et cuivis reservatis, saltem si desit qui possit absolvere, atque absque gravi incommodo peti haud possit superiori licentia absolvendi, certum est; quia ne aliquis pereat in articulo mortis omnis reservatio cessat; quod saltem verificari debet in hoc casu, in quo alius non adest, qui gaudeat facultate absolvendi, nec abs-

que periculo gravis damni illa facultas haberi potest a Superiore, cujus esset illam dare.

Non omnes censurarum species, etiam in articulo mortis, possunt cadere sub potestate simplicis confessarii.

Censurarum autem nomine, a quibus in articulo mortis quilibet confessarius absolvere potest, veniunt illae solae quae Sacramentorum receptioni, et ecclesiasticae sepulturae obstant, ut excommunicatio, interdictum personale; non vero venit suspensio ab ordine, officio et beneficio, prout deducunt communiter Theol. ex ratione a Trid. reddita, ob quam potest tunc absolutio impertiri, ne scilicet aliquis pereat. Ita Sanchez, Decal. lib. 2, c. 13, 12; Lugo, disp. 20, 203, idque est secundum omnes ex Tamb. Nec videtur multum probabilis contraria sententia Henriquez, Ugolini, et Caspensis, quos adducit Diana, Coord., tom. 5, tract. 1, res. 204 et 205, qui illam probabilem dicit cum Trullench; quaeque docet posse tunc absolutionem impertiri ab omnibus censuris, sive impediant receptionem Sacramentorum, sive non, quam sententiam etiam tenet Reuter, part. 1, 303. Ducuntur hi AA. quia Concilium dicit a quibusvis censuris, quae particula cum sit generalis et universalis, nec ullam excipiat, non est cur non omnes comprehendere debeat, et quia ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Addunt quod facultas absolvendi, prout favorabilis, est potius amplianda et late interpretanda. Sed facultas absolvendi, quantumvis favorabilis sit, non est tamen extendenda contra rationem in illius concessione expressam, et etiam ubi lex non distinguit distinguendum est, si urgentem distinguendi causam ipsa lex praebeat. Contrariae vero sententiae fundamentum bene probat et distinguendum, et non esse illam facultatem indefinite extendendam. Minus vero adhuc probabilis videtur sententia ejusdem Henriquez, quam probabilem dicit Trullench., penes eumdem Diana cit. res. 204, tom. 5, tract. 1, qui dicit posse in articulo mortis absolutionem impertiri et ab irregularitate, quae fuit per peccatum contracta, eo quod aliqui existiment hanc esse censuram.

Inferior sacerdos absolvens in articulo mortis a reservatis censuris, aliqua exigere debet.

Haec autem absolutio in articulo mortis a censuris reservatis impertiri non debet ab inferiore sacerdote nisi quibusdam servatis conditionibus. Et 1. exigenda est ab absolvendo promissio de stando mandatis Ecclesiae, hoc

est, de iterum non committendo simile delictum. Haec autem cautio nil aliud est quam juramentum, quod praestare debet absolvendus. C. *Ex tenore* 10. C. *Nuper*, 29, *de sentent. excomm.* C. *Pessimam*, 23, q. 8, nec hoc juramentum requiritur quod sit generale de omnibus mandatis servandis Ecclesiae, sed tantum de obediendo Ecclesiae in illa materia, et in illa lege, ob cujus violationem incursa fuit excommunicatio. C. *Ex tenore*, cit.; Suarez, disp. 19, de Censur., sect. 2, 10; Sanchez, lib. 2, c, 13, 22, vel de servando id quod fuerit injunctum ea occasione ab Ecclesia, vel ab ipso absolvente. Lugo, disp. 20, 204(1). Et quamvis aliqui dicant, hoc juramentum esse semper exigendum in absolutione a quacumque censura reservata, est tamen valde commune, quod exigi debet solum in absolutione excommunicationis ob magna crimina, ut ob notoriam et gravem percussionem clerici, ob crimen incendiarii, violationis scandalosae ecclesiae, et similium. S. Alph., 129; Salm., c. 2, 18; Sanchez, summ., lib. 2, c. 13, 17. Quamvis fortasse non erit improbabile esse solum exigendum ab incendiariis et manifestis clericorum percussoribus, quia jura dum hoc juramentum petunt, solum de istis loquuntur, et sic ad istos casus videtur limitare. Lugo, disp. 20, 204, vide et apud Sanchez cit.

Et 1. promissionem de standa mandatis Ecclesiae.

Dicunt vero plures, cautionem supradictam juramenti, in absolutione pro foro conscientiae et in sacramento Poenitentiae, non esse omnino necessariam, sed confessarium, in dicto foro, posse seria poenitentis promissione esse contentum, et hanc sufficere. Plures tamen, etiam in foro interno, juramentum esse exigendum omnino volunt, et horum sententia consulenda, ut absolutus magis sollicitus sit promissionem implere, sed et prior tuta ex Rituali Romano, ut bene notat Giraldi, part. 2, sess. 39, et observant alii apud Lacroix, 1454.

Praedicta cautio tutius semper sub juramento exigenda est.

(1) Alii qui cum Lugo dicunt promissionem, quam in casu asserimus a poenitente exigendam, ordinari ad id quod poenitens firmus existat ad servandum id quod ea occasione fuerit ab Ecclesia praeceptum, videntur hanc praesentem conditionem non multum distinguere a conditione de qua restat dicere, juxta quam imponendum est poenitenti onus comparendi coram superiore; quod licet absolute fieri posse videatur, quia plures res sub uno nomine bene comprehendi possunt, saltem quum id explicatur, melius tamen videntur distinguendae; nec idem jus circa utriusque promissionis observantiam tenendi dicemus.

2. Exigere debet cautionem de satisfaciendo parti laesae, si sit.

2. Exigenda est ab eodem absolvendo cautio de satisfaciendo parti laesae, si quae fuerit. Pluries enim excommunicatio incurritur absque alicujus laesione, ut quum incurritur excommunicatio, v. g., ob lectionem librorum prohibitorum, et tunc nulla erit satisfactio exposcenda, sed solum consuetum emendationis propositum. Sed pluries etiam habebitur excommunicatio, data ob delictum in alterius grave praejudicium vertens, ut in clerici percussione, et hic est casus, in quo illa cautio exigenda est. Quamquam si excommunicatio sit ob offensam notoriam, prius debet satisfactio praestari, ut ex C. *Ex parte de verb. signif.* colligunt DD. cum Suarez, disp. 19, sect. 2, 10, citantes insuper, et C. *Venerabilibus* §. *Porro*, *de sent. excomm. in* 6. Sed quae satisfactio, non semper erit ante absolutionem praestanda vi sacrorum canonum, adhuc tali exigenda erit tempore, quum periculum timeatur ne poenitens absolutus illam postea negligat, et qui illam praestare tenetur, ut alius occasionarius, mederi debet. Nomine autem satisfactionis hic intelligitur restitutio pecuniae, vel famae, vel honoris, quae parti laesae debeatur, prout ferat casus. Tamb., n. 12, § 4, c. 12.

In aliquibus casibus reus absolvi potest non satisfacta parte, nulla imo praestita cautione satisfaciendi.

Tribus tamen in casibus, ait S. Alph., lib. 7, 128, posset reus absolvi non satisfacta parte: 1. Quando pars injuriam remittit; nomine vero partis hic non intelligitur judex, ut et docet Bened. XIV, Bulla *Inter praeteritos*, § 66, sed qui est passus injuriam; si ergo iste damnum et injuriam remittat, non est cur satisfactio ultra postuletur. 2. Quando pars laesa justam satisfactionem rejicit oblatam, quia jam per ipsum reum non stat quominus satisfaciat, et sic poterit a censura absolvi, etiam reali satisfactione non praestita. In hisce vero duobus casibus, nec cautio satisfaciendi praestanda est. Quod non sit praestanda in primo casu, patet. Sed neque in secundo illa cautio legalis, de qua loquuntur canones, est exigenda, quamvis debitor, adhuc in hoc casu, animum debeat gerere satisfaciendi, quo tempore, creditor justam satisfactionem admittere paratus sit, et etiam pro hac satisfactione consuetam promissionem, pro sacramento Poenitentiae requisitam, facere debeat. Ratio autem cur, neque in hoc casu, illa cautio legalis exigenda sit, est quia ubi

creditor injuriose recusat realem satisfactionem, non habet jus ut tituli ei praebeantur, ad illam alio tempore exigendam. 3. Quando reus est impotens ad satisfaciendum, et tunc poterit absolvi, etiam reali satisfactione non praemissa, imo et debebit absolvi, quia cessante contumacia, debet censuratus poena absolvi. Sed iste qui non valet realem satisfactionem praebere, ad quam certe tenetur, debet cautionem praestare vel pignoratitiam, vel fidejussoriam, vel, si has non potest, juratoriam, et qui secundum partem realiter satisfacere potest, hanc partem realiter praestare tenetur, praestita cautione de alia. At si impotentia quoad totum, vel quoad partem non solum sit praesens, sed moraliter certo praevideatur semper esse futura, nulla cautio esset exigenda ab absolvendo, quoad partem quam respicit impotentia, quia esset inutilis. S. Alphonsus, lib. 6, 537, q. 7; Lacroix, 1454; Tamb., cap. 12, § 4, 16.

Quando satis censeatur parti satisfactum.

Verum censetur satisfactum parti, si res ita disponat reus, ut indubitanter sit secutura satisfactio, ut si alicui fideli personae committat, vel in loco tuto deponat quod restituere debet. Etenim satisfactio sic disposita habetur moraliter pro facta. Unde si quis concordet cum parte, a qua dilationem obtineat, potest absolvi, quia quoties pars remanet contenta, dicitur ei satisfactum. Viva, de Jubilaeo, q. 10, art. 2; Lacroix, 1453; S. Alph., lib. 6, 537, q. 7.

Quae satisfaciendi cautio pro foro conscientiae requiratur.

Sed etiam hic quaerunt theologi: an haec cautio pignoratitia, fidejussoria, vel juratoria, quae aliquando est petenda pro varietate circumstantiarum, prout diximus, requiratur solum in foro externo an etiam in foro conscientiae, vel an potius in foro interno sufficiat seria promissio? Et plures dicunt sufficere in foro interno seriam promissionem poenitentis, et praedictas cautiones exigi solum pro foro externo; ita Tamb., n. 16; Viva, de Jubil., q. 10, art. 2; Diana, p. 2, tract. 16, res. 42, et Coord. tom. 1, tract. 1, res. 186, cum pluribus aliis, quorum aliqui et hic apud Lacroix, 1455, cum quibus et videtur Giraldi cit., part. 2, sess. 39, id contendunt probare ex Rit. Pauli V. Plures tamen contrarium docent, et dicunt saltem cautionem juratoriam etiam in foro conscientiae esse exigendam, sive quia contendunt canonum dispositiones et forum con-

scientiae respicere, et etiam in hoc foro receptos saltem pro dicta cautione juratoria, sive quia praecipue, ut ait S. Alph., lib. 6, 537, Benedictus XIV in Bulla *Convocatis*, XXVII, et *Inter praeteritos*, § 66, exigit in absolutione ab hujusmodi censuris ob partem laesam incursis, ut non prius absolutio impertiatur, quam poenitens parti laesae satisfaciat, vel saltem juret se satisfacturum quum primum poterit, si prius satisfacere nequeat.

Cautio juratoria consulitur.

Quamvis ex hac Bened. XIV praescriptione, quae tantum jubilaeum respicit, praedicta quaestio non sit pro omnibus casibus sublata, et praecipue pro absolutionis casu in articulo mortis, de quo loquimur, magna tamen probabilitas acquiritur sententiae, quae, etiam in foro conscientiae, exigendam docet cautionem juratoriam pro casu nostro, quoties pro tunc parti non potest satisfieri, maxime quia ibi loquitur Pontifex de absolutione a censuris occultis, propter damnum alicui datum, incursis. Unde bene videtur concludendum cum Viva, cit., n. 6, in fine, consultius esse, etiam pro foro interno, cautionem saltem juratoriam a poenitente ante absolutionem exigere, ut ad satisfaciendum fortius adigatur. Sed quia in odiosis non tenet extensio de casu in casum, hinc non erit necessario amplianda conclusio, quae non erit sic necessario extendenda ad cautionem de stando mandatis Ecclesiae, de qua supra dictum est, nec ad cautionem de comparendo, de qua restat dicere, licet et hae consultius sub juramento, quum casus fuerit, praestentur.

Absolutus praestita cautione satisfaciendi, promissione culpabiliter non servata, an reincidat in censuram?

Notant vero plures, quod si absolutus, praestita cautione satisfaciendi parti laesae, promissionem non servet, et minime satisfaciat, etiam quum possit, quamvis peccet, non tamen reincidit in ullam excommunicationem, quia nullo jure imponitur haec reincidentia in non satisfacientem, reincidentia vero non incurritur nisi in jure exprimatur. S. Alph., lib. 6, 537, q. 7, in fine; Viva, lib. 10, art. 2; Tamb., Salm., c. 2, 22; Lacroix, 1455, et adducunt aliqui pro se cap. *Ad reprimendam de officio Judicis ordinarii*. Contradicunt tamen aliqui alii, quorum sententia non videtur spernenda, utpote quae non parvum fundamentum videtur habere in cap. *Eos de sententia excommunicationis in* 6.

Absolutio, non satisfacta parte, vel non praestita super hoc cautione, etsi illicita, valida est pro articulo mortis.

Quamvis absolutio impertita in articulo mortis, non praemissa partis satisfactione reali, quum fieri poterat, vel nec etiam cautione ulla requisita, quum satisfactio de facto praemitti non poterat, illicita sit, est tamen valida, quia, prout ait Lugo, disp. 20, 206, nullum est verbum in jure, ex quo colligatur irritatio absolutionis a censuris in casu. Vide et Sanch., lib. 2, Decal. cit., c. 13, 35, et Billuart, diss. 2, art. 1, § 2, in fine.

Licet si detur talis absolutio in jubilaeo, sit etiam saltem aliquando nulla.

Nec obstat contraria sententia, quae, hodie praecipue post Bened. XIV, sustinet in jubilaeo validam non esse absolutionem, non praemissa partis satisfactione, quum possibilis est, vel non praemissa cautione juratoria, in illius defectu. Vide S. Alph., lib. 6, 537, q. 7, et lib. 7, 121, et notam superius appositam, pag. 77, nam alia est facultas absolvendi, quae habetur in casu nostro pro articulo mortis, alia est facultas quae conceditur in hoc vel illo indulto, quae bene potest limitari, etiam quoad validitatem, sub hac vel illa conditione, quod in casu periculi mortis prout diximus non fit. Vide et Bill., diss. 2, art. 1, § 2.

Inferior confessarius absolvens a censuris reservatis in articulo mortis debet 3. Exigere cautionem de postea comparendo.

3. Exigenda est cautio de comparendo postea, cessante morbo et quum primum commode fieri poterit, coram superiore, cujus esset ab illa censura reservata absolvere. Quae cautio etiam debet esse jurata prout ex C. *Ea noscitur*, 13; C. *Quamvis*, 58, *de sentent. excommunicat.* Quamvis etiam hic plures contendant dictos canones solum intelligendos de foro externo, et pro foro conscientiae non esse de necessitate exigendum juramentum, sed sufficere promissionem sinceram, quod in casu admittit et Sanctus Alphonsus, lib. 7, 92. Recole modo dicta.

Ad quid proxime ordinetur hoc se praesentandi praeceptum?

Haec autem praesentatio non est, ut iterum is qui nunc absolvitur ab excommunicatione, absolvatur, quia plene ab illa absolutus est, sed ut superior convenientem medicinam adhibeat satisfactionemque imponat, si imponendam judicaverit, et ut illius mandatum humiliter suscipiatur. C. *Quamvis*, 58, *de sent. excomm.* Sanchez, lib. 2, c. 13, 27, et est communis. Et haec praesentatio imponenda est sub poena reincidentiae in eamdem censuram, si cessante impedimento illa non praestetur, non quia incidere habeat sic absolutus in eamdem numero censuram, ut explicat Sanch. cit., 38, et ob eamdem ca[illegible]

Et sub qua poena servandum?

prior est omnino sublata, sed quia ob illam inobedientiam, incidet in aliam similiter reservatam ut erat prior.

Quaedam sententia circa potestatem absolvendi a censura ob reincidentiam, impugnatur.

Sententia autem illorum, qui cum Sporer, c. 6, 726, dicunt, ab hac excommunicatione in quam reincidunt non comparentes, posse absolvere jure communi Episcopum et etiam mendicantes, non videtur probabilis, nisi in casibus, in quibus isti et possent absolvere ab excommunicatione prius contracta, et, ut ita dicam, principali: et quidem canones dicunt talem non comparentem reincidere in eamdem sententiam, at si est eadem, ergo est reservata eidem superiori.

Deinde esse reservatam talem excommunicationem Pontifici, posito quod et Pontifici esset reservata prior excommunicatio, a qua sub reincidentia quis fuerit absolutus, videtur sequi ex ipsa rei natura. Nam onus comparendi, et quidem coram Pontifice in casu, vel ejus Legato, ponitur ex mandato ipsius Pontificis; jamvero manente contumacia in excommunicato, si culpa, ob quam fuit excommunicatio inflicta, habeat tractum successivum, ut esset in casu, omnino talis excommunicatus a nemine potest absolvi, nisi ab eo qui, supra jus et praeceptum censuram imponens, facultatem habeat, quia jus et praeceptum semper operantur, nec possunt ab inferiore impediri; dicendum ergo talem excommunicationem ob reincidentiam esse reservatam eidem superiori, ac prior erat excommunicatio, a qua quis fuerit absolutus cum onere comparendi, et solum posse inferiorem ministrum ab ea excommunicatione ob reincidentiam absolvere, quando et posset a principali excommunicatione.

Non cessat praeceptum comparendi etsi non imponatur.

Quamvis vero tale praeceptum comparendi poenitenti non imponatur ob ignorantiam, oblivionem vel ob quamcumque aliam causam, semper tamen tenebitur absolutus, quum primum potuerit, se praesentare coram dicto superiore, ad quem de jure pertinet absolvere ab illa excommunicatione reservata, et quidem sub dicta poena reincidentiae. Sanchez, n. 30; Salm., c. 2, 46; S. Alphonsus, lib. 7, 86. Est contra Vasquez et Hurtad., quos adducit et sequitur Diana, Coord., tom. 1, tract. 5, res. 13, qui dicunt illum non teneri comparere, qui ante absolutionem ignoraverit dictum onus. Sed prior sententia,

quae est longe communior, videtur omnino tenenda. Valor tamen absolutionis non pendet ab hac oneris impositione, sed illa erit valida, etsi hoc onus non imponatur. Sanchez, 35. Salm.

Aliae quaestiones exsolvendae.

Verum praestat inquirere, an simplex confessarius tunc solum possit a censuris reservatis absolvere in articulo mortis, quum non possit haberi qui habeat facultatem absolvendi, nec peti absolvendi licentia; vel an possit in eodem periculo absolvere a reservatis, etiam quando approbatus, vel ordinarius haberi, vel licentia absolvendi ab illis facile peti posset; et an semper absolvens in casu imponere debeat illud comparendi onus coram superiore, de quo dicimus.

Onus comparendi juxta communem, semper imponendum in absolutione a censuris reservatis.

Quoad onus coram superiore comparendi, pro tunc quum impedimentum infirmitatis cessaverit, prima et communissima DD. sententia tenet semper esse imponendum, quoties in articulo mortis inferior non delegatus absolvit, vi solius jurisdictionis, quam ei confert ipse mortis articulus, a censuris reservatis. Nituntur juribus supracitatis et C. *De caetero*, 11; C. *Quod de his*, 26, *de sent. excomm.*; et C. *Eos*, 22, *eod. tit. in* 6, in quibus revera statuitur ut injungatur absolutis ab inferiore, ob impedimentum quo vinciantur adeundi Pontificem, a sententia canonis, vel hominis, onus, quum primum postea potuerint, se praesentandi eidem Pontifici, vel ejus Legato, mandatum Apostolicum super talibus recepturi, sub poena reincidentiae.

Juxta alios solum imponendum in absolutione a censuris ad forum contentiosum deductis.

Secunda vero sententia dicit illud esse imponendum solum pro foro externo iis, qui a censuris ad forum externum contentiosum deductis absolvuntur, alias in solo foro conscientiae negat esse imponendum, et vellet in hoc foro tale onus imponi inconsequenter ad textum Tridentini: « In Ecclesia Dei custoditum semper fuit ut nulla sit reservatio in articulo mortis. » Unde dicunt isti AA., quod absolutus in articulo mortis a censuris occultis, vel non deductis ad forum contentiosum, manet absolute liber ab onere denuo comparendi coram superiore, et quod neque hoc forum respiciunt canones, qui ab adversariis adducuntur, vel ii saltem correcti fuere a Tridentino.

Hanc sententiam tenent Jord. Januarius, Marchant., quos

sequitur Sporer, c. 6, 726, 752; probabilem dicunt Mazzota, pag. 335, « *Infers secundo*, » et non improbabilem dicit Diana, Coord., tom. 1, tract. 5, res. 39, 5; et tom. 9, tract. 7, res. 127, ubi plures graves Doctores adducit, qui eamdem sententiam tuentur, ut Navarrum, Millardum, Coelestinum, Texeda, et ubi illam probabilem judicant Garcias, Lambert., Tancred. Vide et eumdem Diana, Coord., tom. 5, tract. 8, 26, 4, et hanc eamdem sententiam non reprobat Reiffenst., Decret., lib. 5, tit. 7, 518, et defendit Viva, de Poenit., quaest. 9, art. 2, n. 10, et de Censuris, quaest. 11, art. 7, n. 8, et videtur tenere Ronc., tract. 19, q. 7, c. 3, reg. 2, et magis Ferraris, v. Absolutio, n. 56, art. 1, et videtur hodie probari Ballerini ad Gury, 576.

Judicium de secunda sententia.

Haec secunda sententia, qua parte dicit, illud onus comparendi coram superiore imponendum esse in casibus deductis ad forum externum contentiosum, negari nullomodo potest; in hoc omnes consentiunt, sed videtur deficere in eo, quod alios casus excipiat, qui excipiendi non sunt.

Judicium de priori sententia.

Prior vero sententia, qua parte vult illud onus in cunctis casibus imponendum, non videtur sine difficultate, et etiam contra satis communem confessariorum praxim, qui, exceptis quibusdam gravioribus casibus, videntur illud non imponere, quin tamen arbitrentur muneri suo deficere, etsi hoc mandatum comparendi postea coram superiore reservante, quum convaluerint, absolutis a censuris reservatis in articulo mortis, plerumque non imponant.

Mens auctoris.

Unde si in quaestione tam difficili et etiam tam practica, mihi liceret aliquid proponere, dicerem, illud onus comparendi imponendum quidem semper in casibus, quos ponit secunda sententia superius exposita, sed insuper imponendum in casibus in quibus censurae, a quibus absolvit in articulo mortis inferior sacerdos non delegatus, contractae fuerint ob delicta publica et notoria, etsi ad forum contentiosum res haud fuerit deducta, saltem si illa delicta ex gravioribus sint, ob quae solet Ecclesia de juribus suis violatis conqueri, et reclamare, et poenas reservatas in illa inflictas renovare vel commemorare. Posse autem omitti in casibus occultis, et probabiliter etiam in publicis minus gravibus, et ob quae jam non solet Ecclesia publicas protestationes emittere, nec jura sua per poe-

narum reservatarum renovationem vel saltem recordationem tueri, nisi fortasse in hisce casibus per accidens onus illud esset imponendum, quatenus scilicet satisfactio Ecclesiae esset praestanda tamquam parti laesae, et cum qua proinde in persona Superioris reservantis, se componere deberet poenitens.

Propositionis divisio.

Propositionem dividimus in quatuor partes, et omnes probari posse videntur. Prima pars quae dicit onus comparendi, in absolutione data ab inferiore sacerdote in articulo mortis a censuris reservatis, imponendum non solum quum absolutio impartitur a casibus ad forum contentiosum deductis, sed insuper et quum absolutio datur a casibus reservatis publicis, illis saltem ob quae, utpote graviora, et majoris momenti, solet Ecclesia reclamare, et poenas reservatas in illa innovare, vel in memoriam revocare, sic videtur sustineri. Quum tota causa, cur hoc onus comparendi, in absolutione a censuris reservatis in articulo mortis absque speciali facultate impertita, imponi debeat, non alia sit, nisi sacrorum canonum dispositio, cur haec etiam casus supradictos publicos, etsi ad forum contentiosum minime deductos, comprehendere voluerit, non videtur ratio deesse. Quum enim in dictis casibus publice spreta fuerit auctoritas Ecclesiae, per publicum ejus legum contemptum, et per publicam inobedientiam ejus Praelatis, aequum videtur quod etiam publice innotescere debeat de illius, qui nunc petit absolvi a poenis, in quas incurrerat ob illam suam contumaciam, mutata voluntate, et tum de ejus subjectione legibus Ecclesiae, quas contempsit, tum de ejus reverentia legitimis Superioribus, quorum sprevit praecepta, et auctoritatem est despicatus, ab iis congruam satisfactionem accipiendo, quam praestet. Atqui hic est ultimus finis, ad quem ordinatur illud praeceptum comparendi coram Superiore reservante, quod per sacros canones imponitur, ergo et ad hos casus illa praescriptio extendenda est. Nec ulla videtur posse ratio assignari, cur a dicto onere imponendo in dictis casibus, quis valeat abstinere.

Probatur prima pars.

Ecclesia enim dum publice protestatur contra jurium suorum violationem, et poenas reservatas publice memorat in illa delicta inflicta, etsi ex[illegible] ano-

num sanctionum, circa illud onus imponendum, observantiam non praecipiat, tacite illud facere videtur. Et bene, satis Ecclesia, per illam suam publicam reclamationem, dicenda est velle indicare, quod publicam aliquam satisfactionem exigit a censuratis pro absolutione; at illa satisfactio solum ab eo, qui potest jure ordinario a censura absolvere, potest, extra casum privilegii, assignari in judicio definitivo et ultimo; coram illo ergo standum est ad illam congruam satisfactionem accipiendam. Hoc autem ut praestetur, onus illud, de quo dicimus, imponi debet, ad hoc enim illud ordinatur, et propter hunc finem praecipitur.

Constat ergo et pro casibus de quibus dicimus, facere verba legis et legis rationem, ac proinde et illos sub lege, idest sub canonum sanctione esse, quae et in illis servanda. Sed et quod statuimus in hac prima propositionis parte habemus expresse traditum in aliquibus authenticis documentis, quae pro nostris praecipue temporibus data sunt, quorum instar sint Apostolicae Literae *Cum Catholica Ecclesia*, 26 martii 1860, SS. Domini nostri Pii Pontificis IX. Ibi enim Summus Pontifex declarat, eos omnes qui nefariam in Pontificiae ditionis provinciis rebellionem, et earum usurpationem, occupationem, invasionem, et alia hujusmodi, vel eorum aliqua perpetrarunt, itemque ipsorum mandantes, fautores, adjutores, consiliarios, adhaerentes, vel alios quoscumque praedictarum rerum executionem quolibet praetextu, et quovis modo procurantes, vel per seipsos exequentes, majorem excommunicationem, aliasque censuras ac poenas ecclesiasticas a SS. Canonibus, Apostolicis Constitutionibus, et generalium Conciliorum, Tridentini praesertim, decretis inflictas incurrisse; item simul declarat a censuris hujusmodi supradictos non posse absolvi nisi a Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo, sed tum cum reincidentia in easdem censuras, eo ipso quo convaluerint.

Nonnulla adducuntur authentica documenta in confirmationem ejusdem primae partis.

Quae ultima dispositio, quae ad nos facit, videtur nullo modo posse de illis solum intelligi, quorum delictum ad forum contentiosum fuerit deductum. Nam Pontifex ibi expresse loquitur de illis, quos censuras ac poenas ecclesiasticas a SS. Canonibus, Apostolicis Constitutionibus, et

generalium Conciliorum, Tridentini praesertim, decretis inflictas, declarat incurrisse, et quos bene noverat per nullam sententiam specialiter latam contra illos in foro contentioso fuisse excommunicatos, unde omnino dictae Lit. Apost. videntur probare contra sententiam, quae dicit illud onus solum esse imponendum in casibus ad forum contentiosum deductis, et bene videntur probare imponendum saltem in casibus, de quibus in prima nostrae propositionis parte.

Altera vero propositionis pars, quae dicit praedictum onus non esse necessario imponendum in casibus etiam publicis, ob quos tamen Ecclesia jam non solet reclamare, sed jam tolerare consuevit, videtur probari non parum auctoritate illorum DD., qui docent onus comparendi solum praecipi pro casibus ad forum contentiosum deductis. Nam quamvis illorum doctrina generaliter admitti non possit, propter rationes adductas in probatione primae partis, quarum tandem praecipua, est expressa contraria declaratio Ecclesiae, quam pro aliquibus casibus habemus, quae ex parte illi sententiae opponitur, non tamen videtur reprobari pro casibus, de quibus in secunda propositionis parte. Si autem non reprobatur, haud potest negari quod probabilis sit, quoniam tot DD. suffragio fulcitur, quorum non pauci gravissimi sunt. Non autem reprobari videtur constare. Neque enim habemus aliquam expressam declarationem, quae illi contradicat pro casibus in quaestione, neque in aliquo alio, quod Ecclesia relate ad casus in quaestione praecipiat, quodque ostendat canonum dispositiones et hos praesentes casus respicere, implicite improbatur; quin imo, ex silentio et tollerantia ipsius Ecclesiae, bene videtur illa doctrina magis sustineri. Dum enim Summi Pontifices, sacrorum canonum, qui statuunt ut absolutio in articulo mortis aliquando impertiatur sub onere comparendi, observantiam exigunt quoad haec vel illa delicta, et nil interim disponunt quoad haec vel illa alia peccata, quae etiam vident non parum et publice grassari in populo christiano, aliquo modo videntur vel rigorem illorum canonum quoad haec delicta remittere, etsi forte sub rigore literae eorumdem canonum contineantur, vel saltem consuetudinem,

Probatur secunda pars.

quae contra illorum canonum praescriptum, introducta sit, non reprobare. Jamvero haec praxis absolvendi in articulo mortis, quin ullum onus imponatur in casibus etiam publicis, sed minus gravibus, de quibus in secunda propositionis parte, videtur jam a non paucis sequi, et de illa testantur AA., qui solum vellent onus imponendum in casibus spectantibus ad forum contentiosum, et adhuc alii.

Confirmatur secunda propositionis pars.

Insuper exceptio, quam super casus, de quibus in prima propositionis parte, continet et inducit secunda ejusdem pars propositionis, videtur ulterius posse firmari ex eo quod, quum prout diximus, Ecclesia, in casibus exceptis, jam non soleat publicas facere protestationes, nec poenas reservatas pro illis casibus inflictas publice renovare, vel saltem recordari, jam satis videtur, et praxis probat, nullam publicam externam satisfactionem exigere, praeterquamquod ratio ipsius delicti jure divino exposcat, unde nulla videtur ratio cur illud onus imponendum sit, saltem nulla peculiaris causa videtur haberi cur magis in istis casibus illud onus imponendum, quam in occultis, de quibus jam dicendum est.

Probatur tertia pars.

Cur autem in casibus occultis, et haec est tertia propositionis pars, illud onus imponere necessarium haud videatur, existimamus ex eo esse quod, quum pro omnibus casibus, qui solum ad forum poenitentiae spectant, tota res possit in hoc foro terminari, nec ultra poenitens quidpiam prestare teneatur, de quo etiam in foro externo debeat constare, et reservatio in articulo mortis cesset pro foro conscientiae, nulla ultra videtur ratio, ob quam pro istis casibus illud onus imponi debeat. Nam res judicata et omnino definita, prout videtur posse haberi in casu, non est iterum in judicium revocanda, nec pro istis casibus, qui solum forum conscientiae respiciunt, etsi reservati ratione censurae, videtur posse assignari discrimen a casibus reservatis ratione sui pro re nostra; at in absolutione a reservatis ratione sui nullum comparendi onus est imponendum, nec ergo esset imponendum in absolutione ab iis reservatis etiam ratione censurae, qui illis comparari posse videntur.

Unde pro istis casibus, qui ad solum forum conscientiae

spectant, videtur posse probabiliter dici quod, vel illa obligatio comparendi postea coram superiore, absoluto in articulo mortis etiam a censuris reservatis, vel numquam per sacros canones fuit imposita, vel quod a Concilio Tridentino fuit sublata, ut loquuntur plures, vel quod illi fuit derogatum per contrariam consuetudinem, ut innuit Gury, de Poenit., 576, edit. 13, et sic etiam tertia propositionis pars non videtur esse sine fundamento gravi, et illi quidem non parum videtur favere Rituale Romanum, de Sacramento Poenitentiae, cujus en textum: « Si vero quis confiteatur in periculo mortis constitutus, absolvendus est ab omnibus peccatis, et censuris quantumvis reservatis (cessat enim tunc omnis reservatio); sed prius, si potest, cui debet, satisfaciat; ac si periculum evaserit, et (*nota*) aliqua ratione Superiori, a quo alias esset absolvendus, se sistere teneatur, quum primum poterit, coram eo se sistat, quidquid debet praestiturus. » At relatis verbis Rituale aperte docere videtur, non in omni absolutione a censura reservata, quam impertiatur inferior confessarius in articulo mortis, etsi vi solius jurisdictionis, quam conferat mortis periculum, onus comparendi coram Superiore, poenitenti imponendum. Si enim in omni absolutione a censura reservata, in articulo mortis, ab inferiore data, illud onus esset imponendum, haud potuisset dicere Rituale: « si aliqua ratione Superiori, a quo alias esset absolvendus, se sistere teneatur; » nam ratio reservationis semper haberetur. Et dicere, Rituale distinguere inter casum et casum, eo quod distinguendum est inter reservationem censurae, et simplicem reservationem peccati, de quibus omnibus loquitur Rit., et ideo rationem, ad quam respicit, esse ipsam censuram reservatam, esset incompletam et inconvenientem distinctionem eidem tribuere; si enim hoc dicere voluisset Rit., debuisset dicere: quod si ratione censurae reservatae alias absolvendus, etc. Dum igitur praeter reservationem ipsam aliquam aliam rationem requirit Rituale, ut causam ad illud onus imponendum, sola reservatio haud ad illum effectum sufficere dicenda est. Ratio autem cur illud onus imponendum sit in casu quaestionis, nulla congruentior nobis videtur assignari posse, ac illa de qua in prima propositionis parte.

quae sic et videtur probationem accipere ex eodem Rituali, ex quo consequenter videtur confirmari secunda ejusdem propositionis pars, ob rationes factas in ejus probationem, maxime versiculo *Insuper*, sicut et videtur probari praesens tertia pars, quia si aliquando illud onus praetermitti potest, verum praecipue videtur in casibus de quibus in hac tertia parte. Dicta saltem mihi probabilissima sunt.

Neque praecitatae Literae Apostolicae quae probant, illud onus comparendi coram superiore reservante, imponendum esse in absolutione a casibus publicis, de quibus in prima propositionis parte, mihi videntur probare illud onus et esse imponendum pro casibus occultis generaliter loquendo, et prout in propositione (nam quod in casibus etiam occultis, praecipue ex memoratis ex his literis per accidens aliquando onus sit imponendum, est in ipsa propositione et in quarta ejusdem parte probabimus), quin imo videntur et nostrae sententiae quodammodo favere. Etenim Pontifex, ubi docet illud onus esse imponendum, videtur loqui de illis quorum delictum notum sit, quod bene videtur et debere argui ex verbis earumdem literarum, ubi Summus Pontifex pariter declarat supramemoratos insuper inhabiles et incapaces esse, qui absolutionis beneficium consequantur donec omnia quomodolibet attentata publice retractaverint, revocaverint, cassaverint et aboleverint, ac omnia in pristinum statum plenarie et cum effectu reintegraverint, vel alias debitam et condignam Ecclesiae, ac ipsi Summo Pontifici et Sanctae Sedi satisfactionem in praemissis praestiterint. Nam dum imponit Pontifex, ut publice malum retractetur, satis indicat loqui de casu quo publice fuit patratum.

Statuitur quarta propositionis pars.

Quarta vero propositionis pars quae dicit, per accidens aliquando etiam in casibus occultis, et a fortiori etiam in publicis, de quibus in secunda propositionis parte, imponendum esse onus comparendi, ab inferiori sacerdote absolvente a censuris reservatis in articulo mortis, quum scilicet id necessarium esse possit ut debita satisfactio praestetur Ecclesiae laesae, pro qua satisfactione determinanda, oporteat cum superiore, qui Ecclesiam repraesentat, et qui Ecclesiae jura legibus coactivis tuetur,

concordare, videtur de se constare; id enim non ex sacrorum canonum dispositione et interpretatione, sed jure naturae esset praecipiendum, quod absolute loquendo, etiam in casibus non reservatis, posset aliquando esse servandum. Nam qui jus alterius violavit, et damnum alteri intulit, restituat oportet, et si ejus debitum nondum est liquidum, illud quidem, quando id possibile est, bene determinare debet.

Quaedam consequentia deducitur.

Hinc ex iis quae statuimus, relate ad casus, de quibus in prima propositionis parte, deducere est, quod inferior sacerdos dum poenitentem, qui censuram reservatam ob publicum delictum incurrerat, de quo ibi dictum est, absolvit in articulo mortis, debet quidem ipsi injungere ut per publicam retractationem reparet scandalum, quod causavit ob illa sua peccata gravia et publica, ob quae censuras reservatas incurrit, et parochus omnino non potest Sacramenta Ecclesiae tali infirmo ministrare, nisi prius tale scandalum fuerit, quantum rationabiliter pro illis adjunctis exigi potest, reparatum; sed tam confessarius, quam parochus, quousque non fuerint a Pontifice delegati, non possunt ullam satisfactionem determinare a poenitente praestanda, nisi salvo Superioris reservantis judicio, si forte quid ultra ac nunc praestatur, requirat; hoc autem non potest fieri, nisi imposito infirmo illo onere, de quo dicimus, coram superiore postea comparendi, si convalescat.

Annotatio pro praxi.

Verum pro praxi quaestio plerumque aliter resolvenda est. Nam plerumque pro hisce casibus, in quibus imponendum esset onus, absolutis a censuris reservatis in articulo mortis, comparendi, si convalescant, coram superiore reservante, dantur instructiones ab ipso superiore, quomodo se gerere habeant parochi et confessarii, quibus inhaerendo jam nullum ultra erit onus imponendum. Nam quum causa cur hoc onus debeat imponi sit, ut poenitens sistat superiori ad convenientem medicinam accipiendam, et opportunam sciendam satisfactionem, prout judicaverit superior, qui facultatem illam congruam poenitentiam determinandi sibi reservavit, in reservatione quam sibi adjudicavit censurarum, ob quas illa poenitentia est imponenda, haec causa omnino cessat, si superior ipse jam as-

signavit illam convenientem medicinam et illam debitam satisfactionem. Nam postquam superior cujus est determinare, determinavit, in tali casu taliter est procedendum, et talis conditio est servanda, non est cur ultra interrogetur qualiter procedendum sit, et qualem conditionem ipse exigat.

S. Poenitentiariae responsa, quae quid praestandum sit pro aliquibus casibus, assignant.

Et sic habentur quaedam responsa Sacrae Poenitentiariae, quae refert Scavini, tract. IV, edit. IX, 1011, data ad mentem Pontificis, 5 julii 1857, ex quibus illi qui bona ecclesiastica usurparunt, vel usurpationi sunt cooperati, quique inde excommunicationem Summo Pontifici reservatam incurrerunt, debent in articulo mortis, antequam ad Sacramenta possint admitti, facta retractare, scandala reparare et veniam Ecclesiae laesae petere; sed hujus etiam retractationis forma praecipitur; nam exigitur ut scripto fiat, testium fide fulciatur, et Episcopo tradatur, qui illam servet et valeat publicam facere post mortem infirmi.

Extenduntur praedicta responsa ad alios casus.

Haec autem instructio valet, ut bene notat Scavini citatus, et pro similibus casibus, et nunc etiam servanda pro iis, qui immunitatem ecclesiasticam aliquo modo violarunt, qui rebellionem, invasionem, usurpationem, occupationem provinciarum Pontificiae Ditionis, aliquo modo attentarunt, vel ad attentationem hujusmodi, aliquo modo operam suam contulerunt.

Scavini reticentiae supplentur.

Laudatus tamen Scavini magis adhuc laudandus videretur, si tract. 9, 212, clarius et expressius dictae retractationis formae a S. Poenitentiaria requisitae mentionem fecisset, ubi « de publicis apostatis, haereticis, et iis qui armis, pecunia, conspiratione, libellis, consiliis, etc., publice et palam bonorum Ecclesiae usurpationem procurant vel firmant, etc., etc., » quaestionem instituit et quaerit quid ab ipsis praestandum sit, ut ad Sacramenta et in articulo mortis valeant admitti. Nam ex illis, saltem qui aliquo ex praedictis modis bonorum Ecclesiae usurpationi cooperati sunt, et qui ex expressa S. Sedis declaratione in articulo mortis non possunt absolvi nisi cum reincidentia, non solum poenitere debent coram Deo et coram hominibus, ut bene notat clarissimus Auctor, sed insuper coram hominibus suam poenitentiam, etiam illa indicata, per S. Poenitentiariam, forma, manifestare tenen-

tur, sive illa forma et jure naturae per accidens necessaria sit, quatenus in aliquo casu aliter scandalum non posset sufficienter retractari, sive jure naturae illa forma minime requiratur. Et dicti peccatores debent quidem ex animo dolere, scandala auferre, facta retractare, damna reficere, atque ad Ecclesiae obedientiam, a qua publice recesserant, publice redire, se aperte submittendo illius mandatis, ut optime dicit Scavini, sed praeter id, quod et debent praestare omnes publici peccatores etiam non excommunicati, illi se submittere debent obedientiae Ecclesiae et illius mandatis, illa servata forma, quam ipsa Ecclesia designat, et incipiendo ipsi Ecclesiae in hac forma servanda obedire, et in illius mandato et hic suscipiendo.

Quod si arbitretur clarissimus et optime meritus Auctor, formam in dictis S. Poenitentiariae responsis praescriptam pro retractatione, quam praestare debent illi, de quibus est quaestio, non esse de rigore juris omnino necessariam, quia non constat quod directe et per se praecipiatur, et jura solum requirunt, quod imponatur in hisce casibus obligatio comparendi postea coram superiore, si sanitas recuperetur, et illa forma solum videtur assignari in surrogationem dictae obligationis comparendi coram superiore, et pro iis qui mallent se ab illa liberare, tunc debuisset mentionem facere de hac obligatione, comparendi coram superiore reservante. Nam vel servandam esse formam praescriptam a Sacra Poenitentiaria, vel imponendum esse onus, de quo diximus, pro casibus quaestionis, omnino liquidum videtur. An vero omnino standum sit praedictis instructionibus S. Poenitentiariae, pro casibus quos illae respiciunt, et omnino praecipi debeat poenitenti, ut quod in illis injungitur, praestet ut possit absolvi, quamvis sic possit praetermitti oneris impositio comparendi coram Pontifice; vel an facultas possit relinqui poenitenti, ut forma a S. Poenitentiaria praetermissa, spondeat, debita praestita cautione, se postea compariturum coram superiore si convalescat, servatis interim quae servanda sunt, ut valeat ad Sacramenta admitti; illum, quoad hanc Sacramentorum participationem, et pro eo quod ab ipso ut ad hanc participationem admittatur exigendum sit, pro tunc jam respiciendo simpliciter ut

An praedicta S. Poenitentiariae responsa faciant jus indeclinabile.

publicum peccatorem, et non amplius ut publicum peccatorem excommunicationibus reservatis innodatum, juris rigore inspecto, hoc ultimum videtur posse probabiliter affirmari. Quia se conformare illis S. Poenitentiariae instructionibus, videtur potius privilegium quod per se non inducat obligationem, prout docent plures, et magis constabit ex dicendis. Illud tamen extra omnem dubitationem ponimus, scilicet omnino standum esse instructionibus supradictis S. Poenitentiariae, si aliter scandalum haud posset sufficienter, quantum opus sit, retractari, quatenus nempe suspicio alioquin haberetur in populo, quod infirmus renuat se submittere illis S. Poenitentiariae praescriptionibus, ad debitam poenitentiam declinandam, quam neque tunc, neque postea vellet exequi, et addimus semper securius esse illis se tenere et moraliter consulendum, item et utile ut statim liberetur poenitens ab ulteriori obligatione, ut Suarez, disp. 30, sect. 3, 5; Salm., c. 2, 65, aliique docent in simili.

Inferiori confessario, absolvendi in articulo mortis a censuris reservatis, etiamsi peti possit per litteras opportuna facultas, vel sit praesens privilegiatus potestas tributur.

Quoad aliam quaestionem, an scilicet tunc solum possit, in articulo mortis, simplex confessarius absolvere a censura reservata, quando nec adsit qui potens sit absolvere, nec queat licentia superiori postulari pro illa impertienda, dicendum, cum communiori et probabiliori, non obligari infirmum per epistolam, vel per procuratorem postulare superiori facultatem, qua possit ab inferiori absolutionem obtinere; S. Alph., lib. 7, 89; Salm., c. 2, 65; item nec obligari confiteri privilegiato, quando ipse reservans non potest accersiri, ut valde probabile est, ex citatis cum pluribus aliis, quos adducit et sequitur Diana, tom. 5, tract. 8, res. 26, et dictum est supra, ubi de potestate absolvendi in articulo mortis a reservatis ratione sui, nam, ut ait Suarez cit., disp. 30, sect. 3, 5, reservatio facta Summo Pontifici non obligat in articulo mortis, vèl potius non comprehendit illum, et suscipere absolutionem a reservatis a privilegiato, est item privilegium, quo nemo uti tenetur, et potest sequi ordinarium jus. Hinc simplex sacerdos valide et licite, etiam a censuris reservatis, absolveret infirmum, etiam quando posset per literas petere a superiore facultatem pro reservatis, de quibus sit casus, vel etiamsi esset praesens privilegiatus, qui potestate polleret a censuris reser-

vatis absolvendi; quamvis id negent non improbabiliter non pauci. Vide citatos.

Eadem potestas, quoad censuras reservatas Pontifici, inferiori tribuitur, etiam praesente Episcopo.

Sed quaeres an possit simplex confessarius absolvere a censuris reservatis Pontifici in articulo mortis, praesente Episcopo? Alii universim negant cum Alasia, alii negant si agatur de percussore clerici, vel de alio casu qui sit occultus; qui casus, dicunt, fiunt potestatis ordinariae Episcopi, et ipsi sunt ex jure delegati.

Alii vero universim concedunt simplicem confessarium absolvere posse a reservatis ratione censurae Pontifici, etiam praesente Episcopo. Hanc sententiam omnino tenendam dicit Passerinus apud Roncagl., de Poenit. q. 7, c. 3, q. 3, qui illam dicit bene in jure fundatam, et tenet Gury, 579; S. Alph., lib. 7, 92, ubi utramque exceptionem rejicit, quam ponit secunda sententia, quia in articulo mortis omnis reservatio cessat, et nullus aliunde datur textus expressus, qui in articulo mortis praescribat quod infirmus ab Episcopo absolvatur a censuris Pontifici reservatis. Ad c. *De caetero*, 11, et c. *Ea noscitur*, 13, *de sentent. excommunicationis*, qui solent citari pro secunda sententia, potest responderi, quod ibi quidem conceditur Episcopo facultas absolvendi in casu, sed inferiori ibi non denegatur; tali autem inferiori aliis juribus illa facultas, quae in textis, qui opponuntur, non limitatur, conceditur, ut cap. *Quod de his*, 26, cap. *Quamvis*, 58, eodem titulo, ut bene probat Roncaglia cit., quibus juribus videtur cap. *Eos de sententia excomm. in* 6, addi posse, sicut et auctoritas Tridentini.

Relatis quibusdam sententiis, asseritur et inferiori potestas absolvendi a censuris reservatis in articulo mortis, praesente ipso reservante, quoties non est imponendum onus comparendi.

Quaeres adhuc: an numquam, praesente Superiore reservante, possit inferior absolvere a censuris reservatis; quod est quaerere: an simplex confessarius aliquando valeat absolvere, praesente Episcopo, a censuris reservatis Episcopo, et, praesente Pontifice, quilibet alius absolvere a censuris ipso Pontifici reservatis, idque ratione solius articuli mortis, praescindendo a quocumque privilegio.

Resp. Aliqui affirmant posse, quia transit, ajunt, ab obligatione comparendi coram Superiore reservante, ad obligationem petendi ab eo ipso absolutionem. Idest quia alia est obligatio comparendi coram Superiore, alia est obligatio obtinendi ab eo ipso absolutionem. Vide Tam-

burini, c. 12, p. 1, 15; Gury, 569. Verum communissime id negatur cum S. Alph., lib. 6, 563, dub. 1, et lib. 7, 93, et cum Lugo, disp. 18, 29, ex quibus ratio est, quia poenitens non potest absolvi, nisi cum onere comparendi quam primum coram Superiore reservante, sed potest tunc comparere, cum adsit Superior, ergo debet statim coram ipso stare. Nam, ut magis hanc rationem evolvamus, illud onus comparendi coram Superiore contraxit poenitens ex quo peccavit, et contraxit implendum ex tunc, et non potest illud differre absque legitima causa, et si supponamus Superiorem esse praesentem, jam potest commode suae obligationi satisfacere; ergo illa implenda ipsi est, maxime quia, fortasse si fato fungatur, non posset amplius illam praestare. Ratio vero, quam subdit Lugo cit. dicens, quod nec voluit Ecclesia dare facultatem inferiori absolvendi subditum, quando ipse poterat coram Superiore comparere, et quod neque hoc fuit semper in Ecclesia usitatum, sed quod solum absolveretur a quolibet sacerdote in defectu Superioris, propter necessitatem, probabilis quidem est, sed responderi potest, quod in articulo mortis omnis reservatio cessat; ejusque ratio tam de reservatis ratione sui, quam de reservatis ratione censurae probaret, sed diximus supra cum communi, in simili quaestione pro reservatis ratione sui, quemlibet confessarium absolvere ab illis posse in articulo mortis, etiam praesente ipso Superiore reservante; nihil ergo ex hac sua ratione solide probatur, saltem non admittitur talis ratio a pluribus et pluribus DD. Contra aliam vero rationem, quam adducit et S. Alph., nihil habeo quod apponam, sed illa ratio evidenter non est universalis, sed se extendit ad illos tantum casus, in quibus poenitenti imponendum est onus comparendi coram Superiore, postquam convaluerit; et in hisce casibus longe probabilior mihi videtur ea sententia, quae dicit inferiorem confessarium non posse absolvere, praesente reservante, a censuris illi reservatis; sed extra hos casus videtur quod nulla sit ratio, ob quam sit deneganda simplici confessario talis facultas in articulo mortis, etiam praesente Superiore reservante, ob saepius dictam rationem, quia in articulo mortis omnis reservatio cessat.

CAPUT IV.

De inferioris potestate absolvendi a reservatis, quum non potest adiri Superior.

Episcopus potest absolvere suos subditos ab omnibus casibus et censuris Summo Pontifici reservatis, etiam in Bulla *Coenae* contentis, etiam ab haeresi, et quamvis delicta sint publica, quoties isti legitime impediuntur perpetuo vel diu, quominus Sedi Apostolicae se sistant, absolutionem accepturi; ex cap. *De caetero*, 11, cap. *Nuper*, 29, *de sent. excomm.*, et aliis juribus; quae jura quamvis solum loquantur de excommunicatione ob percussionem clericorum, communiter tamen DD. ad omnes excommunicationes Pontifici reservatas extendunt, quia in omnibus eadem ratio currit. Et cap. *Eos*, 22, *de sent. excomm. in* 6, videtur generale se extendens ad omnes casus. Salm., c. 2, 63, tract. 10; S. Alph., de Priv., 40, et lib. 7, 85; Lugo, 20, 218; Tamb., c. 12, p. 2, 29; Bill., dissert. 6, art. 6, § 2 et 3; Elbel, conf. 14, 370, et est communis contra aliquos, quorum alii volunt non posse Episcopum in casu absolvere ab haeresi, alii ab excommunicationibus in Bulla *Coenae*. Vide S. Alph. loco citato.

Ad longum saltem tempus impeditos adire Pontificem, absolvit Episcopus, a quocumque reservato.

Hujusmodi autem facultas in casu competit Episcopis non jure delegationis, ut aliqui volunt, sed jure ordinariae potestatis, ut tenent cum pluribus Tamb. cit., 30; S. Alphonsus, 90, qui ideo possunt a casibus et censuris Summo Pontifici reservatis absolvere, etiam per alios sacerdotes ad id generaliter delegatos, illos qui detinentur dicto impedimento adeundi Pontificem. S. Alph. cit., lib. 7, 90; Ronc., tract. 4, q. 1, c. 6, q. 4, pag. 81; Reiffenstuel, lib. 5, decret. tit. 7, 398, 399.

Asserta facultas competit Episcopo jure ordinario.

Notandum vero hic, quod Episcopus absolvens subditum impeditum adire Summum Pontificem, a casibus Pontifici reservatis, nullum onus imponere tenetur eidem poenitenti, comparendi postea coram Pontifice, sive casus reservetur ratione culpae, sive reservetur ratione censurae, si impe-

Perpetuo impeditus absolvitur, absque ullo onere comparendi quando, coram Pontifice.

dimentum, quo ligatur ille qui absolvitur, sit perpetuum. S. Alph., lib. 6, 88, et quoad casus Papales absque censura, lib. 6, 585, dub. 1; Viva, in prop. 3; Alex., VII, n. 5, quidquid videantur in contrarium aliqui alii. Unde si forte cessaverit impedimentum, qui sic fuere absoluti, liberi ab omni conditione et ab omni gravamine nihilominus manent.

Qui censeatur perpetuo impediri.

Dicuntur autem perpetuo impediri, ex S. Alphonso, lib. 7, 88: 1. Filiifamilias; 2. Regulares, etiamsi censura incursa sit ante ingressum in Religionem. Hi potius dicendi sunt absolvi posse a suis Praelatis juxta tenorem suorum privilegiorum, de quibus erit specialis quaestio infra; 3. Senes, quamvis hi sint potentes ad ambulandum. Nomine autem senium veniunt non solum septuagenarii, sed etiam sexagenarii; non vero quinquagenarii, ut volunt alii; 4. Servi; 5. Pauperes, scilicet qui ob inopiam nequeunt Romam petere. Secus si inopia iter non impediret, ut evenit in mendicis vagabundis. Nemo autem tenetur accedere mendicando, si ad hoc non sit solitus; 6. Carceribus vel triremibus perpetuo damnati, et similes; 7. Infirmi, scilicet laborantes habituali et gravi aegritudine, licet non mortifera; 8. Cura obstricti alendi, sive administrandi familiam, vel publicum gerendi officium, quod non possit relinqui sine publico detrimento, vel etiam absque privato incommodo gravi; mulieres non solum Moniales, sed omnes mulieres: ratio quia, dum in c. *Quamvis de sent. excomm.*, et c. *Ea noscitur*, eodem titulo in 6, foeminae excusantur a se praesentandis, non alia ratio assignatur, nisi quia foeminae sunt. Si tamen in reservatione indicenda, mulieres specialiter et expresse includuntur in illa, dicendum ipsas non minus, ac alios quoscumque teneri per se vel per epistolam, ut esset dicendum de Monialibus, quibus egredi non licet de clausura, se praesentare Romano Pontifici pro absolutione obtinenda, ni alio legitimo detineantur impedimento. Dum enim Summus Pontifex censuram sibi reservatam fert et in mulieres, ipsas specialiter indicando, et non solum ut species in genere includendo, dicendus est derogare privilegio jam a jure mulieribus facto, quia secus inutilis evaderet Pontificis dispositio; v. Potestà, tom. 1, part. 4, 3512,

Et sic si Moniales, quas Pontifex novit prohiberi de clausura egredi, obstringit ad sibi absolutionem petendam ab aliquo casu, tacite innuit illas velle coram se sistere per epistolam. Est tamen contra alios cum Ferraris, v. Moniales, art. 3, a n. 23, qui, ut videtur minus probabiliter, mulieres etiam quum directe sub reservatione ponuntur, dicunt posse absolvi a suis Superioribus, utpote quae a jure hoc privilegio semper donantur; 9. Impuberes, quorum absolutio ex jure ordinario datur Episcopis, in c. fin. *de sent. excomm.* Ideoque hi sunt exempti ab onere comparendi, etiamsi post pubertatem absolutionem petant. Sed diximus supra (parte 1, c. 3), impuberes non subjici excommunicationibus generaliter latis, nisi expresse et ipsi includantur, et de facto certe solum comprehendi sub excommunicatione a Tridentino inflicta in ingredientes monasteria Monialium. Dictam enim excommunicationem Trident., sess. 25, c. 5, de Regularibus, infligit ipso facto in omnes qui, cujuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel aetatis fuerint, sine Episcopi vel Superioris licentia in scriptis obtenta, intra septa monasterii ingrediantur, sed haec non est reservata; et probabiliter etiam includi sub excommunicatione in percussores clericorum, extra quos casus probabilius possunt haberi pro exemptis; 10. Etiam impediti censentur illi qui simul vitam ducunt, ut milites, vel qui in seminario morantur; unde hi ab Episcopis absolvi possunt a casibus Romano Pontifici reservatis; 11. Denique censentur impediti quicumque iter arripere nequeunt sine gravi damno spirituali, vel temporali suo, vel suorum. Ut autem hi supra enumerati, dicantur perpetuo impediti, sufficit ut tali impedimento per decennium, et secundum Tamb. et Viva per quinquennium, laborent.

Etiam in casu longi impedimenti tantum, absolutio a reservatis Pontifici ratione sui, absque onere importitur.

Si vero impedimentum fuerit ad longum tempus, quale dicitur ex S. Alph., lib. 7, 84; Ronc., p. 81; Gury, 575, illud quod ad sex menses vel ad annum duraturum censetur et non ultra quinquennium, dicunt communiter non esse obligationem imponendi onus comparendi, si absolvatur poenitens a culpa reservata ratione sui. Tamburini, p. 2, 32, p. 4, 3; Salm., c. 2, 46; Bill., 374; Elbel, conf. 14, 370; Lugo, disp. 20, 223.

In absolutione a censura Pontifici reservata, ratione impedimenti longi temporis ab Episcopo collata, saltem aliquando imponendum est dictum onus comparendi.

Quod si absolutio impertiatur ab excommunicatione reservata ob impedimentum longi temporis, quo detinetur poenitens se praesentandi Pontifici, quo in casu bene patet, ut diximus, Episcopus absolvere ab excommunicatione Pontifici reservata, juxta communem sententiam imponendum est poenitenti sic absoluto, onus comparendi posteaquam cessaverit impedimentum, coram eodem Pontifice, cujus est absolvere ab illo casu. Quia tamen et communiter auctores concedunt in casu Episcopo facultatem directe absolvendi, et obligationem quam ponunt posita comparendi coram Pontifice, non repetunt ex absolutione indirecta, sed ex juris praescriptione, dicendum quod verum est posse jura, quae afferuntur pro hujus oneris impositione, restringi ut non omnes omnino casus Pontifici reservatos respiciant, sed solum aliquos, prout diximus, ubi de potestate in reservata in articulo mortis; jam onus, de quo est quaestio, solum esset imponendum quando absolutio ab Episcopo propter impedimentum longi temporis impertitur ab illis casibus, pro quibus illud onus imponendum est.

Episcopi potestati non nocet probabilius praesentia Nuntii Apostolici, vel Legati.

Episcopus vero potest, juxta multos, sic impeditos adire Pontificem absolvere a casibus Papalibus, etsi pateat aditus ad Nuntium vel Legatum Pontificis, potentem absolvere; vide Salm., c. 2, 65, ubi affirmativa defenditur contra aliquos alios, et constat etiam ex jam dictis.

Impeditum perpetuo vel diu adire tum Pontificem tum Episcopum, a Papae reservatis absolvit simplex confessarius.

Sed difficultas est an possit simplex confessarius absolvere a reservatis Pontifici illum, qui impeditur se praesentare Pontifici, si adhuc impediatur adire Episcopum?

Resp. Negant multi, quos citat Tamb., § 2, 34, quod alii limitant cum Ferraris, v. absol., art. 1, 27, ut non possit si casus sint publici. Alii plures tamen universim affirmant, inter quos S. Alph., lib. 6, 585, et lib. 7, 92, et de Priv., 45, et Reiffenst., lib. 5, tit. 7, 397, ubi id certum dicit, si et impediatur poenitens alium adire speciali facultate absolvendi praeditum. Quae tamen conditio ab aliis non requiritur, nec videtur necessaria, quia ut jam plusquam semel dictum est, recipere absolutionem a privilegiato, est item privilegium, quo nemo uti tenetur, dum potest sequi ordinarium jus. Canones enim hanc faculta-

em faciunt, ut ex c. *Nuper de sent. excomm.*; et aliunde haec facultas est omnino conformis bono animarum.

Simplex autem confessarius, absolvens in casu, tenetur poenitenti onus imponere comparendi postea coram Pontifice, si impedimentum, quo nunc ligatur poenitens se praesentandi Pontifici, quodque non censeatur perpetuum, cessaverit, idque in illis iisdem casibus in quibus diximus dictum onus imponendum esse ab Episcopo absolvente pariter ratione impedimenti, ut est nimis evidens. Constat pariter nullum onus per simplicem confessarium, in casu esse imponendum si perpetuo impediatur poenitens se sistere tum coram Pontifice, tum coram Episcopo, solum in casu congruam poenitentiam ipse imponere debet, et praecipue ut scandala reparentur, si fuere, et caetera uno verbo praestentur, quae ratio culpae postulat, et de jure servanda sunt. Sed quaestio potest moveri: an tenda-tur onus imponere poenitenti comparendi postea coram Episcopo, si impedimentum, quo detinetur poenitens se praesentandi Pontifici, sit perpetuum, et solum temporarium, quo impeditur adire Episcopum? Cui difficultati respondemus affirmare S. Alph., lib. 7, 92, illud onus comparendi postea coram Episcopo, quum cessaverit impedimentum, esse imponendum; verum videtur posse negari: textus enim qui faciunt facultatem Episcopo absolvendi a reservatis Pontifici, quando reservato ligatus, non potest coram Pontifice reservante comparere, illam facultatem et faciunt simplici confessario, saltem quando non patet recursus ad Episcopum. Vide inter alios c. *Nuper*, 29, *de sent. excomm.*, et quando illam facultatem absolvendi et faciunt simplici confessario, nullam limitationem, nullam conditionem apponunt, quae non apponatur in concessione ejusdem facultatis Episcopo concessae; dicendum ergo quod quoties simplex confessarius potest absolvere in casu, id potest eadem amplitudine, sicut et eisdem conditionibus ac posset Episcopus. At Episcopus in casu posset absolvere absolute absque onere, supponimus enim esse perpetuum impedimentum adeundi Papam: absolute ergo absolvere et potest simplex confessarius.

Confirmatur; quia secus cogeretur poenitens pro eodem peccato, coram secundo medico se sistere, qui sicut et

Simplex confessarius absolvens in casu, onus comparendi, coram superiore, aliquando imponere poenitenti debet, aliquando non.

Alia quaestio circa oneris indicendi obligationem.

primus posset absolvere et curare non directe, vi propriae potestatis, sed solum vi potestatis, quam ei daret poenitentis impedimentum se praesentandi Superiori reservanti.

Caeterum S. Alph., lib. 6, 585, dub. 1, pro reservatis Pontifici absque censura, non videtur alienus a nostra conclusione, et lib. 7, 92, concedens simplici confessario absolvere, etiam praesente Episcopo, a censuris reservatis Pontifici, in articulo mortis, ob rationem quia infirmo est imponendum ut postea compareat coram Pontifice, non vero coram Episcopo, aliqualiter videtur accedere ad nostram sententiam.

Impeditum adire Pontificem, etsi pateat aditus ad Episcopum, juxta alios a reservatione Papali adhuc absolvit simplex confessarius.

Imo non desunt plures, qui concedunt simplicem confessarium posse absolvere poenitentem habentem casum reservatum Summo Pontifici, quoties poenitens impeditur perpetuo, vel ad longum tempus adire Pontificem, etsi pateat aditus ad Episcopum, imposito tamen onere comparendi postea coram Pontifice, cum impedimentum cessaverit, si impedimentum temporarium judicetur, et agatur de casu pro quo imponendum illud onus sit, et caeteris servatis de jure servandis. Hanc sententiam videntur probare Salm., c. 2, 63, et tenent Palaus, penes S. Alph., lib. 7, 92, et omnino tenendam vult Passerinus apud Roncaglia, qui et illam tenet, dicens esse bene fundatam in jure, et tenent alii penes Reiffenstuel, lib. 5, tit. 7, 395, qui in nihilo istam sententiam reprehendit.

Quod in casu impedimenti conceditur inferiori pro reservatis Papae, conceditur et in reservatis aliis Praelatis.

Praedicta autem regula, juxta quam Episcopus vel inferior confessarius potest absolvere a reservatis Pontifici poenitentem, qui impeditur adire Pontificem, juxta plures cum Tamb., c. 12, § 2, 36; Viva, quaest. 9, art. 2, 9; Gury cum Ballerini, 575, quorum sententia probabilior et magis pia videtur, currit etiam pro reservatis aliis Praelatis, iisdem conditionibus servatis, pro casu quo poenitens impedimento ligetur, se praesentandi hisce aliis Praelatis.

An inferior aliquando absolvere valeat a reservatis, qui solum ad breve tempus impeditur adire superiorem.

Si vero impedimentum adeundi Superiorem sit ad breve tempus, tale autem habetur quod ad sex menses moraliter computandos non censetur perdurare, nullus inferior absolvere potest a reservatis. Sed quid si interim necessitas occurrat comunicandi, vel quid aliud, quod statum gratiae requirat? Non pauci ajunt neque in hoc casu habentem reservata, posse ab inferiore absolvi, nisi interim con-

tingat periculum mortis, quia, ut volunt, illa confessio esset invalida, ut ea quae esset facta judici non competenti, utpote qui propter peccata reservata quibus ligatur poenitens, caret omni potestate super illo. Quod si interim superveniat aliqua necessitas suscipiendi aliquod sacramentum, v. g., Eucharistiam; talis, de quo est quaestio, subdunt, posset se gerere ac si non haberet copiam confessarii, et praemissa contritione, communicare, sive nulla alia habeat peccata nisi reservata, sive et aliorum non reservatorum sit conscius. Verum communius dicunt alii, quod quamvis inferior confessarius non possit absolvere habentem reservata, qui nulla urgeatur causa confitendi, hac tamen causa posita, ut si urgeat necessitas communicandi ad evitandum scandalum vel infamiam, vel implendi praeceptum annuae confessionis, vel ne diu poenitens maneat in peccato, ut loquitur S. Alph., lib. 6, 585, potest illum communis confessarius absolvere directe a non reservatis, et indirecte a reservatis, si riservata sint ratione sui; quod si excommunicationem reservatam habeat ille poenitens, dicunt hanc illum non impedire ab absolutione suscipienda a peccatis, sicut et illum non impedit ab Eucharistiae susceptione, stante causa quae supponitur, v. g., periculo scandali, vel infamiae. Vide S. Alph., lib. 6, 265. Excommunicatio enim impedit susceptionem Sacramentorum, solum ex lege et institutione humana ecclesiastica; leges autem humanae, etiam ecclesiasticae, non obligant cum gravi damno: unde lex excommunicationis, in casu urgentis necessitatis, non obligat. Supposita vero necessitate quae honestat susceptionem Eucharistiae, non obstante excommunicatione, prout admittunt contrarii, dicendum hanc necessitatem et honestare susceptionem Sacramenti Poenitentiae. Ecclesia enim, si pro eo articulo necessitatis aut non potuit, aut noluit prohibere excommunicato Eucharistiam, ut argumentatur Suarez, nec etiam confessionem censetur prohibuisse. Imo hic ordo est maxime consentaneus juri divino, praemittendi confessionem ante Communionem, propter quod, plurimi dicunt, confessionem non solum posse in casu praemitti Communioni, sed etiam deberi. Confitens vero in casu, an teneatur omnia et singula pecca[illegible] reservata, tum non reservata,

An in confessione apud inferiorem et reservata aperienda sint?

vel an possit reservata reticere, disputant theologi. Conveniunt tamen posse talem poenitentem teneri per accidens, ad omnia etiam peccata reservata confitenda, ut quum poenitens non est certus de sua dispositione, et illa aperire opus esset ad hoc, ut posset confessarius, de illius poenitentia rectum sibi efformare judicium ; quod praecipue potest contingere, quum poenitens esset recidivus in reservatis, vel in occasione proxima relabendi in illa. Qui vero nullum aliud haberet mortale necessario confitendum, praeter reservatum, juxta aliquos cum Bill., diss. 6, art. 6, deberet, si confiteatur, aliud veniale, vel mortale alias remissum deponere, ut super istud cadat directe absolutio; quod tamen ex aliis cum Suarez, disp. 26, sect. 6, n. 4, est solum consilii, licet optimi.

Absolutus a reservatis per inferiorem urgente necessitate brevis temporis, illa transacta, tenetur se presentare superiori.

Sed cessato impedimento, tenetur postea poenitens Superiorem adire, ad absolutionem obtinendam a reservatis, quia ab hisce directe nondum fuit absolutus, et confessarius inferior, quando propter urgentem necessitatem absolvit indirecte a reservatis, tenetur hanc obligationem poenitenti recordari.

Minus communis sententia quae docet in cujuscumque necessitatis casu, absolutionem posse directe per inferiorem impertiri.

Unde communiter non admittitur illa sententia, quam alioquin graves DD. docent, quaeque dicit inferiorem confessarium, deficiente approbato, posse absolvere etiam directe a reservatis sive habeant excommunicationem adnexam, sive non, quando poenitens moraliter loquendo versatur in necessitate confitendi, eo quod indigeat statu gratiae. Illam tenent Gerson., Palud., Alens., Angel. apud Suarez, disp. 31, sect. 3, 1. Idem similiter tenet Dicastill., penes Diana, p. 11, tract. 8, resp. 49, qui hanc sententiam probabilem dicit. Eamdem sententiam pariter tenet Marchantius, quem citat, et sequitur Sporer, 756, qui dicit illam nec improbare Gobat. Hanc eamdem tenet Layman, tract. 6, c. 12, 15, et illam sequitur et Concina, c. 6, § 2, 10. Item videtur illam sequi Gousset, 497, et illam penes ipsum tenet auctor libri *De la Conduite des Confesseurs*, editi de mandato Ill.mi de Luynes Episcopi de Boyex, et quoad excommunicationem, quod majorem difficultatem videtur habere, expresse et tradit Bonac., disp. 1, q. 22, p. 2, 23, de Censuris Bullae *Coenae*.

Equidem ex citatis multi ut relati a Suarez, item Bona-

cina, Marchantius, Sporer, Concina, Layman, dicunt esse imponendum poenitenti, qui sic absolvitur propter urgentem necessitatem, onus postea comparendi coram Superiore, sed pro casu, quo peccata absoluta nullam habeant adnexam censuram, gratuito hanc obligationem imponunt; nullo enim positivo et communi jure, quod casum quaestionis inspiciat, hoc onus imponi probatur, et rei natura ponderata, ad minus inconsequenter statueretur. Si enim directe jam illa peccata absoluta sunt, ad quid denuo illa Superiori confiteri obligabitur poenitens? Materia necessaria sacramenti Poenitentiae sunt solum peccata mortalia nondum directe remissa, quod, prout adversarii admittunt, non verificaretur in casu.

In citata sententia inconsequenter imponeretur onus poenitenti comparendi coram superiore, transacta necessitate.

Dices cum Sporer, 559, non requiri quod postea compareat coram Superiore, ut peccatum reservatum, prius confessum, iterate confiteatur sacramentaliter, sed sufficere quod in genere dicat peccatum reservatum commisisse, illudque jam alteri confessum fuisse; sed haec est semper obligatio, quae adhuc probanda manet, et quae videtur nimis difficulter posse probari, retento quod agatur de peccatis reservatis absque censura, et quod jam sint directe remissa. Unde de hoc onere comparendi ne verbum quidem habet Dicastillus relatus a Diana cit., imo aperte illud rejicit, nam secundum suam sententiam tum illa peccata pro eo articulo necessitatis reservata non sunt, et Dicastillo non parum favet auctor citatus libri *De la Conduite des Confesseurs*, relatus a Gousset cit., qui illius sententiam non reprobat, qui imo, n. 498, expresse quodam docet principium, juxta quod, ut jam vidimus, necessario hoc onus ultra imponendum non esset.

Et in hac sententia, quae dicit directe, in casu necessitatis, absolvi posse etiam ab excommunicatione reservata per inferiorem, inconsequenter non minus imponeretur onus comparendi postea coram superiore, etiam in absolutione a censura reservata, in casu impedimenti etiam temporarii, pro illis casibus, in quibus ex nostra sententia illud onus imponendum non esset, prout diximus ubi de potestate in reservata in articulo mortis. Idque ob eamdem [illegible] inconsequenter imponeretur in absolutione sui.

Relata sententia minus probatur.

Sed mihi, prout jam dixi, probabilius est quod in casu necessitatis, quae non censetur ad longum tempus perdurare, inferior confessarius non potest directe absolvere a reservatis, sed solum possit absolvere directe a non reservatis et indirecte a reservatis, si de reservatis ratione sui agatur, vel quod possit absolvere a peccatis etiam manente censura, cujus effectus interim ad hoc suspenduntur, si reservatione ratione censurae innodatus sit poenitens. Satis enim sic provideri potest poenitentis bono atque ejus necessitati, unde cessat ratio, cur adversarii etiam directam potestatem in reservata, inferiori confessario concedant; aliunde sacramentum Poenitentiae satis bene sic administrari potest, ut dictum est, et est valde communiter receptum.

CAPUT V.

Absolvuntur plures difficultates circa facultatem absolvendi a reservatis, praesertim delegatam.

Facultas absolvendi ut favorabilis amplianda.

Facultas absolvendi a reservatis est semper late interpretanda utpote favorabilis, et in bonum commune vertens, sive agatur de potestate ordinaria, sive delegata, sive fuerit delegata absque temporis limitatione, sive pro certo tantum tempore, sive indefinite concedatur quoad personas, sive etiam determinetur numerus personarum, quae permittantur absolvi, etsi pro uno detur casu; excipitur solum quum facultas absolvendi concedatur pro aliquo poenitente determinato, qui illam petierit, vel pro quo a confessario petita fuerit; quo in casu, communiter dicunt stricte esse interpretandam, quia non tam habetur facultas absolvendi, quam mandatum exequendi facultatem, jam a poenitente per seipsum, vel per confessarium obtentam. Sanchez, lib. 8, disp. 2, 6; Tamb., c. 9, 14; Roncaglia. Quamvis et in hoc casu plures censent potestatem absol-

Quaedam exceptio expeditur, quae minus admittenda videtur.

vendi et vere fieri confessario, cui, inspecta poenitentis necessitate et petitione, confert Superior facultatem absolvendi, et quae proinde ut vere beneficium et gratia illi collata, cujus est absolutionem impertiri, late debet interpretari. Sic plures apud Salm., tract. 6, c. 11, 84, quam sententiam, pro casu quo facultas pro reservatis non a persona quae illa indiget, sed a confessario fuerit petita, tenent et alii penes Sanchez cit.

Et haec sententia et prout apud Salm. cit., fortasse est probabilior, neque videtur obstare c. *Si cui*, 36, *de praebendis in* 6, cui maxime innititur Sanchez, pro contraria sententia statuenda. Nam quamvis ille textus distinguat inter potestatem datam in favorem ejus, cui fit facultas providendi, et datam in favorem ejus, cui provideri mandatur, et huic potius applicentur regulae restrictivae, satis tamen constat, et docet ipse Sanchez, eodem lib. 8, disp. 28, 87, cum pluribus aliis, quos sequitur Reiffenstuel, lib. 1, tit. 3, n. 257, et hanc, ut gratiam jam factam habendam, et ampliandam, quando ei, cui mandatur providere, non relinquitur libertas communicandi, vel non communicandi privilegium si voluerit, sed eidem vere mandatur uti privilegio, ita ut executor necessarius constituatur privilegii, etsi sub hac vel illa conditione tantum; quod ultimum vere videtur evenire in praesenti, saltem in casibus ordinarie occurrentibus. Superior enim concedens facultatem confessario cujusdam determinatae personae absolvendae a reservatis, ordinarie non relinquit confessario facultatem illius absolvendae vel non, dato quod illa disposita accedat, sed vere vult ut illam absolvat, si debitas afferat conditiones; et quamvis hoc praeceptum absolvendi, confessario non expresse imponatur in literis concessionis facultatis, jam satis habetur ex ipsa rei natura, cui concordare voluntas Superioris concedentis omnino dicenda est, saltem, ut diximus, prout res solent ordinarie contingere. Nam quod bene possit confessarius in casu constitui exequutor voluntarius omnino, ita ut nullo modo vi concessionis eidem factae teneatur privilegio uti, bene videtur concedendum. Sed aliud est quod possit contingere, aliud quod revera contingat.

Quando Summus Pontifex concedit alicui facultatem ab-

In facultate absolvendi a reservatis facta per S. Pontificem, continetur et facultas absolvendi a censuris illis annexis.

solvendi ab aliquo casu, vel ab omnibus casibus Papalibus, concedere etiam intelligitur facultatem absolvendi ab excommunicationibus sibi reservatis, et pro peccatis, quae conceduntur absolvi, inflictis; nam quum Summus Pontifex soleat sibi reservare casus tantum ratione excommunicationis, facultas quam concedit de hac solita reservatione intelligenda est, nisi aliter expresse habeatur. Est communis. Sed probabiliter in generali concessione, a Summo Pontifice concessa, absolvendi a casibus ipsi reser-

Non tamen in tali generali facultate ab eodem S. Pontifice facta, veniunt eidem reserveta ratione sui.

vatis, non est inclusa potestas absolvendi a reservatis eidem Pontifici ratione sui, qui duo sunt, prout diximus, nisi ex aliqua circumstantia et isti intelligantur permissi, vel quia illa generalis facultas videtur intelligenda de casibus communiter et ordinarie contingentibus, et non de iis qui rarissime contingunt, ut dicunt communiter DD. ad hanc quaestionem, vel potius quia hi casus reservati Pontifici ratione sui, propter arctam reservationem cui subjiciuntur, non intelliguntur comprehendi in generali concessione, nisi eorumdem fiat expressa mentio, prout valde receptum est apud canonistas, et magis dicetur in quaestione mox sequenti. De stricta vero reservatione illorum casuum, quoad calumniam sollicitationis, patet ex supradictis hac secunda parte, cap. 2, et quoad munerum acceptationem a Regularibus constat ex § 26, Bullae *Pastor Bonus*, 13 aprilis 1744, Benedicti XIV, ubi et Majori Poenitentiario, nondum facta restitutione quum fieri possit, denegatur potestas absolvendi, quum munera excedant valorem decem scutorum. Vide et supra part. 1, c. 4, § 1.

In generali concessione absolvendi a reservatis, non veniunt aliqua quae indigent speciali mentione.

Quod si Summus Pontifex potestatem faciat absolvendi a casibus Papalibus, non intelligitur data facultas absolvendi a casibus Bullae *Coenae*, propter valde strictam et specialem reservationem horum casuum, qui ut censeantur permissi, indigent speciali mentione utpote speciali nota digni. S. Alph., lib. 7, 113; Lacroix, lib. 6, 1616; Viva, de Jubilaeo, q. 11, art. 1; et si concedat facultatem absolvendi a casibus Bullae *Coenae*, non intelligitur ob eamdem rationem data facultas absolvendi ab haeresi, quod omnino videtur tenendum cum pluribus, quos adducit et sequitur Reiffenstuel, lib. 5, Decret. tit. 7, 405, propter plures DD. S. Congr., et praecipue ex Decreto approbato ab

Alex. VII, et apud Bened. XIV, Bulla *Convocatis*, § 411, ubi iterum decernit in concessione facultatis absolvendi a censuris in Bulla *Coenae* reservatis, non comprehendi facultatem absolvendi a censuris propter haeresim formalem externam etiam occultam incursis, nisi specialiter et expresse hujusmodi facultas concedatur. Praefatus vero Pontifex in Jubilaeo, qui tunc anno 1750 celebrabatur, indulserat confessariis absolvere pro foro conscientiae tantum, a censuris propter haeresim formalem externam incursis, dummodo tamen poenitens neminem habuisset haeresis complicem, praevia coram ipso confessario abjuratione secreta; atque etiam pro casu quo habuisset quidem haeresis complicem vel complices, sed hujusmodi complices in regionibus ubi haeresis grassabatur, existerent et degerent. § 7. Sacra vero Poenitentiaria, anno 1854, interrogata an per facultatem quam gloriosus Pontifex Pius IX fecerat in suis literis Jubilaei, absolvendi ab excommunicationis, suspensionis, aliisque ecclesiasticis sententiis et censuris a jure, vel ab homine, quavis de causa, latis vel inflictis, praeter ibi exceptas, nec non ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum ordinariis, sive Sedi Apostolicae reservatis, et quorum absolutio alias quantumvis ampla non intelligeretur concessa; etiam data esset facultas absolvendi ab haeresi externa; respondit affirmative juxta mentem. Unde in posterum bene dicendum erit, haberi potestatem absolvendi ab haeresi etiam externa et formali, quoties facultas pro reservatis ampla illa dicta forma fuerit concessa; ut et notat Scavini, edit. 9, tom. 3, 525, nota ad XXII.

Facultas in haeresim facta a S. P. Pio IX pro jubilaeo.

Novissime vero, 20 januarii 1865, eadem Sacra Poenitentiaria interrogata, an ex iisdem amplissimis facultatibus, quae conceduntur confessariis occasione S. Jubilaei, per eumdem SS. Dominum nostrum Pium Pontificem IX data sit facultas absolvendi eos, qui in provinciis Pontificiae ditionis rebellionem, et earum usurpationem perpetrarunt, itemque ipsorum mandantes, fautores, adjutores, consiliarios, adhaerentes, executores, etc.; respondit negative, et recurrendum esse ad locorum Ordinarios, qui providebunt juxta instructiones.

Aliae reservationes, quae indigent speciali mentione.

An in generali Episcopi concessione, veniant tum reservata ratione sui, tum ratione censurae?

Si autem sit Episcopus qui generali modo concedat facultatem absolvendi a casibus, quos ipse sibi reservavit, prout communiter et docent theologi, non intelligitur concessisse facultatem absolvendi a censuris, quas pariter ipse sibi reservaverit; quia, ajunt, quum Episcopus soleat habere multos casus reservatos distinctos ab excommunicationibus reservatis, si vere utramque reservationem indictam habeat, facultas modo dicto facta, videtur solum intelligenda de reservatis ratione sui, nec posse ad alteram reservationem extendi, quia sunt potestatis diversae, et una ab altera non dependet. Tamb., c. 5, n. 6, et c. 9, n. 11; Roncaglia.

Quamvis ex communi modo loquendi et sentiendi, mihi valde probabile videtur, quod si Episcopus alicui concedat ab omnibus casibus absolvere sibi reservatis indistincte et indefinite loquendo, facultas concessa tam de reservatis ratione sui, quam de reservatis ratione censurae intelligenda sit, nisi aliter ex circumstantiis colligatur, quum illud verbum *casus*, jam ex communi loquendi modo, ad utramque reservationem indicandam se se accomodet, quam etiam includeret in supposito ille indefinitus modus loquendi. Adde quod, prout diximus, facultas absolvendi est late interpretanda.

Potius videretur dicendum facultatem ab Episcopo datam absolvendi a censuris ipsi reservatis, non se extendere ad reservata ratione sui et vicissim, quia per verba vere restrictiva esset facultas data, et bene una reservatio est distincta ab alia, nec semper respectu Episcoporum conjuncta, ut cum citatis et aliis dicit Navarrus, quem adducit et sequitur Suarez, disp. 30, n. 3, qui subdit tamen, quod licet in foro contentioso praecise standum sit formae concessionis, nihilominus in foro ubi de veritate rei agitur, quomodocumque satis constet de intentione ampliori concedentis, bene poterit ampliari facultas.

Quum Episcopus facultatem facit absolvendi ab uno casu, in utramque reservationem quae in illo sit, potestatem facit.

Porro illud videtur non posse ullo modo admitti, quod alioquin docent graves AA. cum Lacroix, lib. 7, 134; Alasia (in summario), quod quamvis Episcopus concedat absolvere a peccatis sibi reservatis, non tamen hoc ipso concedit absolvere a censuris eisdem peccatis annexis; nam si hoc verum esset Episcopus, in illius facultatis conces-

sione, non favorem praestare esset dicendus, sed voluisse illudere. Unde bene dicunt alii cum Bouvier, pag. 491; Salm., tract. 10, c. 2, 38, quod qui habet absolvere a casibus reservatis, quibus sunt annexae censurae, habet et absolvere ab istis censuris, quia ut absolvantur peccata reservata debet prius poenitens absolvi a censuris, quibus ob illa peccata sit irretitus, et qui aliquid concedit, et illud concedere, sine quo illud esse non potest, dicendus est, ex c. *Praeterea de offic. et potest. Judicis deleg.* Idque in nostra dioecesi expresse declaratum habemus, ut suo loco diximus.

Qui simpliciter potest sibi eligere confessarium, non ideo potest absolvi a reservatis.

Qui ex speciali privilegio Superioris potest sibi idoneum confessarium eligere, non ideo potest ab illo absolvi a reservatis; solum poterit apud aliquem sacerdotem etiam non approbatum confessionem instituere, nisi aliter ex terminis, vel adjunctis concessionis colligatur; est communis. Alasia; Tamb., c. 9, § 1; Suarez, disp. 27, sect. 4, 4, et habetur expresse c. *Si Episcopus de poenit. et remis., in* 6.

Quid agere debeat inferior confessarius qui deprehendit suum poenitentem habere reservata.

Confessarius non habens potestatem in reservata, quum audit in confessione aliquod reservatum, poenitentem moneat, quomodo ipse non possit absolvere, et quaerat ab illo an velit Superiorem adire, vel alium qui habeat facultatem absolvendi, vel an peti a Superiore licentiam pro absolutione. Si malit alium adire, debet confessarius illum dimittere, nec debet ultra inquirere de poenitentis conscientia, nisi hoc videatur fieri posse, quin in gravamen illud sibi reputet poenitens, qui alioquin judicetur posse, ex illa manifestatione suorum peccatorum, juvari. Si vero malit quod petatur facultas absolvendi, et intendat absolutionem postea recipere ab eo ipso confessario, tunc omnia peccata exquirat confessarius, tum ut possit omnes facultates a Superiore petere, si plures essent necessariae, tum ut possit opportuna remedia ei praebere ad removendum relapsum, tum ut facilius redeat, utpote qui difficultatem, quam posset experiri in manifestandis peccatis, jam ultra non sentiet. Alasia; Billuart, diss. 6, art. 6, qui recte notat minus bonam esse illorum doctrinam, qui adducentes, non solum pro absolutione, sed et pro confessione audienda requiri jurisdictionem, vellent debere

confessarium, quum audit reservatum, statim abrumpere confessionem, etiamsi intendat poenitens, post debitae facultatis petitionem, absolvi ab eodem confessario.

Monitum pro praxi.

Ad incutiendum horrorem in peccatum reservatum, poterit et aliquando utile fore, monere quidem poenitentem quomodo peccatum sit Superiori reservatum, et non possit per simplicem confessarium absolvi, sed quin statim ei proponatur illud medium petendae a Superiore opportunae licentiae, et quin statim ei indicetur delegatus qui forte adsit, cui absque tanto incommodo posset confiteri, ut sic apprehendens aliquantulum poenitens, imo sentiens angustias in quibus revera esset, si Superiorem deberet adire, magis in posterum se caveat a relapsu. Sed numquam debet dimitti poenitens, quin de faciliori modo obtinendae absolutionis fuerit instructus. Ipse vero confessarius optimum opus ageret, si supra se tollat onus obtinendae facultatis, quando id expeditius sit medium; et si commode facultatem pro reservatis possit obtinere pro illo poenitente, ut communiter accidit, ex charitate videtur aliquando posse teneri, et quum alioquin videret quod in peccatis tabesceret poenitens. Est contra Tamburini, Meth. confess., lib. 3, c. 9, § 4, cum aliis, qui vellent confessarium numquam obligari ad recurrendum Superiori pro poenitente. Quomodo se dirigere possit confessarius cum poenitente qui habeat reservata, a quibus ipse non possit absolvere, et quum poenitens indigeret absolutione, dictum est ubi de absolutione a reservatis, in casu quo poenitens impedimento detineatur adeundi Superiorem.

De poenitente qui habet reservata et indiget absolutione, remissive.

Superior petitam facultatem pro reservatis, ordinarie concedere debet.

Superior autem cui petitur licentia absolvendi a reservatis pro aliquo casu occurrenti, non debet illam denegare, nisi rationabiliter praesumendum ipsi sit, licentiam fore in praejudicium ipsius poenitentis, vel alicujus tertii, in cujus damnum vertat peccatum, et cui obviare debito modo valeat Superior, vel nisi timeatur detrimentum boni publici, cui facile alia via occurri non possit; quod publici damni periculum, pro casibus ad forum conscientiae tantummodo spectantibus, vix potest excogitari possibile, nec umquam fortasse peccatum poenitentis reservatum, ita erit cum damno proximi conjunctum, ut nisi per confes-

sionem apud Superiorem, provideri huic possit. Et si timeatur ne poenitens ex denegatione licentiae, grave damnum sit subiturus, vel scandalum sit passurus, quatenus nempe nec ad ipsum Superiorem accedat, et a Sacramentis removeatur, Superior ni dictis causis, quae magis cavendae sint, excusetur, etiam tenetur sub peccato illam concedere, non solum ob praeceptum charitatis, sed etiam ex justitia, ut suo officio Pastoris et Medici spiritualis satisfaciat, ut multi cum Viva, q. 9, art. 4, 6. Videri possunt et Roncaglia, q. 7, c. 3, q. 11; Layman, c. 12, 7; Sporer, 769; Sylvius suppl., q. 20, art. 2, q. 3. Sed circa hoc, bonum valde mihi videtur referre regulam, quam tradit Suarez, de Poenit., disp. 30, sect. 4, n. 9, ubi ait: « Regulariter ac moraliter loquendo, Superiorem debere esse facilem potius, quam difficilem in hac facultate concedenda. Hoc etiam intendunt D. Thomas et alii auctores, estque verissimum, quia moraliter ac per se loquendo, minus periculi est in concedenda hac facultate, quam in illa neganda. Unde, ut concedatur, satis esse debet, quod nulla specialis ratio ad eam negandam occurrat; ut autem negetur, semper intervenire debet aliqua specialis ratio, quae id requirat; non quod semper hoc cadat sub praecepto, sed quod hic ordo sit convenientior. Imo licet aliquando Superiori videatur intervenire sufficientem rationem ad negandam facultatem; si tamen aliunde ex relatione alterius, vel alia via, ei constiterit subditum nullo modo velle Superiorem adire, neque aliis remediis tentatis ad id posse induci, tunc Superior numquam debet negare facultatem, nec potest licite, excepto illo casu de damnificatione aliorum; quia non obstante quacumque ratione occurrente, et pensatis omnibus, tunc id magis expedit, imo et necessarium est juxta leges charitatis. Item quia reservatio haec est quaedam medicina subditi; ergo si cum rigore applicata, cedat in perniciem ejus, temperanda est, ideoque facultas concedenda. Unde Navarrus, cap. *Placuit*, ait: Solam verecundiam nimiam poenitentis esse aliquando sufficientem causam, ut haec facultas danda sit. »

Quidquid vero dicant aliqui, ideo quia Superior denegat irrationabiliter facultatem absolvendi, non potest

Denegata a Superiore facultate pro reservatis, non ideo poterit inferior directe ab illis absolvere.

confessarius directe absolvere a reservatis, quamvis id possit indirecte si causa adsit, ut alibi dictum est, etiam quum poenitens solum temporaliter impeditur adire Superiorem. Vide hujus 2 partis cap. 4. Etenim facultas absolvendi a reservatis directe, etiam denegata facultate a Superiore, et absque alio titulo, competit solum confessariis Regularibus pro conventu deputatis, aut saltem ad audiendas confessiones in conventu pro Religiosis admissis, quoad subditos Regulares pro Regulari reservatione.

Superior, cui petitur facultas pro reservatis, non debet plura curiose inquirere.

« Illud autem, » scribit Tamb., cap. 8, § 2, n. 5, « hic est maxime inculcandum Superioribus quibuscumque, ne quando ab ipsis postulatur licentia pro reservatis, interrogationes illas superaddant, quibus petant a confessario, an peccatum poenitentis sit talis rationis, an in talibus circumstantiis, an commissum a laico, an sacerdote, an cum complice, vel sine illo, etc.; haec enim ob periculum prodendi poenitentem, neque ipse exposcere, nec licite explicare confessarius potest. » Sed quamvis verissimum sit Superiorem non debere nimis curiosum esse, in inquirendis circumstantiis peccatorum reservatorum, ad quae ejus potestas postulatur, et nullo usquam in casu possit licitum esse cuicumque Superiori, vel minimam interrogationem confessariis dirigere, eo fine ut personam poenitentis dignoscat; quae tamen ex Tamb. adduximus, videntur nimis scrupulose dicta; et species peccati reservati, pro quo petitur facultas, bene videtur regulariter explicanda Superiori, et ab hoc posse exquiri, sicut plures aliae circumstantiae, quae peccatum comitentur, quaeque in modum concessionis facultatis influere posse videantur, nec cogendus est Superior omnibus confessariis indiscriminatim, incognita causa, facultatem dare in omnia reservata. Solum species peccati silenda est, quum inde periculum revelationis personae poenitentis immineret, ut bene observant Layman, cap. 12, n. 7; Sporer, n. 762, quod tamen raro est contingere, sicut et illae aliae circumstantiae haud sunt petendae, sicut nec explicandae, nisi poenitens consentiat, ex quibus Superior in cognitionem personae poenitentis devenire posset, quod esset grave peccatum, ex Suarez, disp. 30, sect. 5, n. 2. Videatur et Benedictus XIV, de Synodo, lib. 5, c. 4, n. 3. Sed de hoc pauca adhuc dicemus.

Notant vero optime nonnulli, omnino expedire quod Episcopi in variis suae dioecesis locis, assignent aliquos confessarios doctos et pios, qui absolvere valeant a reservatis, id imo aliquando esse posse necessarium, ut quum judicabitur quod inde bonum promoveatur animarum; et de aliquibus Superioribus, qui nimis aegre hanc facultatem concedunt, « qui sunt nimis solliciti, ut conscientias subditorum per confessionem sciant, multis laqueum damnationis injiciunt, et per consequens sibi ipsis, » ait Sanctus Thomas, quem communiter sequuntur AA. cum Layman, c. 12, 7. Videatur et exordium Constitut. Benedicti XIV *Pastor bonus*, 13 aprilis 1744, ubi ostensa potissimum ac proposita venia, misericorditer peccatores ad poenitentiam ab Ecclesia invitari dicuntur. In nostra dioecesi et in multis aliis, ut nobis videtur, ait Bouvier, pag. 493, facultas absolvendi a reservatis, et censuris eis annexis, omnibus confessariis ipsisque vicariis et praesbyteris habitualis nunc conceditur, ne in miseris nostris temporibus reservatio in destructionem potius, quam in aedificationem vergat. In nostra vero dioecesi Taurinensi, facultas absolvendi a reservatis Episcopo, fit omnibus parochis in actu institutionis, pro tota dioecesi, et vicecuratis fit facultas absolvendi a reservatis *secundae classis*.

Expedire ut Episcopi, in variis locis, pios et doctos confessarios deputent pro reservatis.

Praxis Ill.mi Bouvier.

Praxis Dioecesis Taurinensis.

Superior, ad quem accedit poenitens qui habet reservata, non potest sacramentaliter absolvere a reservatis, poenitentem remittendo pro non reservatis ad communem confessarium, excipe nisi habeatur causa aliqua, quae valeat excusare a confessionis integritate. Videri potest Sanctus Alphonsus, 581.

Superior, ni sufficiens adsit causa, non potest poenitentem sacramentaliter absolvere a reservatis, reliquis non auditis.

Potest tamen Superior in casu, non solum concedere poenitenti ut sibi eligat confessarium, qui ipsum valeat et absolvere a reservatis, sed etiam illum per se absolvere quantum ad reservationem, et obligationem sibi vel delegato confitendi.

Semper tamen potest superior et extra sacramentum reservationem tollere.

Si poenitens a Superiore facultatem obtinuerit ut absolvi possit a reservatis a simplici confessario, et absolutionem ab electo confessario accipiat, quin ei significet obtentam facultatem, plures censent invalidam esse absolutionem; quia data facultas est verum privilegium et donatio, quae ut valeat, debet a donatario acceptari: porro

Obtenta a poenitente facultate eligendi confessarium pro reservatis, etsi confessarius electus, illum insciis dictae facultatis absolvat, probabilius valida est absolutio.

in allato casu nullo modo acceptatur, cum confessarius illud ignoret; licet enim hoc privilegium sit directe concessum poenitenti, indirecte tamen est concessum confessario, cui data est facultas absolvendi talem poenitentem. Ita plures cum Alasia, 193; Tamburini, c. 9, 18. Verum alii cum nostro Stuardi dicunt et in casu absolutionem validam esse, utpote vere datam cum debita, et, ut supponitur, cum competenti jurisdictione, quae confessario fuit collata per facultatem factam poenitenti sibi eligendi confessarium, quae jurisdictio, ajunt, etiam inscio et invito potest conferri. Et haec sententia videtur probabilior. Nam etiam dato, quod illa collatio jurisdictionis sit vere privilegium, videtur non deesse acceptationem in casu; nam dum confessarius in casu habuit animum absolvendi in quantum potuit et meliori modo quo potuit, hanc autem intentionem habuit confessarius eo ipso quo absolvit, non enim, prout supponimus, voluit tentare quod sibi impossibile aestimabat, jam videtur, hac generali voluntate acceptandi privilegium, illud revera acceptasse; vide Lugo, disp. 19, n. 17. Et etiam Tamb. cit. concedit posse acceptari hoc privilegium absolvendi per similem generalem intentionem, dicens in casu quaestionis, quod valide absolveret Religiosus a reservatis, a quibus possunt absolvere confessarii illius Religionis ob privilegium Religioni concessum, quia, ait, eo ipso quo eam Religionem profitetur ille Religiosus, tacite acceptat omnia ejus Religionis privilegia. Adde quod prout dicunt Salm., tract. 18, c. 1, 64, privilegium ad valorem, solum requirit acceptationem ex praesumpta concedentis voluntate, quae nil videtur obstare in casu, in quo Superior concedens voluit favere poenitenti, qui, prout supponitur, privilegium acceptavit; et quidem Principem posse velle ut effectum per se habeat privilegium, independenter ab acceptatione illorum quorum interest; ex c. ult. *de Constit.* probat Reiffen., lib. 5, tit. 33, 45.

Qui per nuntium petiit facultatem absolvendi, si post illam obtentam,

Si confessarius mittat nuntium ad Superiorem ad impetrandam facultatem absolvendi ab aliquo reservato, si antequam nuntius revertatur, illa facultate utatur, valide absolvit, si quo tempore absolvit revera ei fuerat concessa;

nam illam facultatem acceptavit, si opus sit acceptatione, in persona nuntii. Alasia, pag. 187.

etsi ante notitiam absolvat, valide absolvit.

Sed poteritne illa facultate licite uti antequam idem nuntius redeat, si probabiliter judicet facultatem sibi non denegari, et illa utatur quo tempore etiam probabiliter judicat sibi fuisse concessam? Et quid si contra omnem fidem postea dignoscat quod nondum illa facultate pollebat, quo tempore absolvit? Respondeo: Si postea dignoscat, quod ei haud fuerat concessa illa facultas, quam petierat absolvendi a reservatis, quo tempore ab istis absolvit, absolutio quam ab ipsis est impertitus, haud fuit valida, ut communiter docent theologi cum Lacroix, lib. 6, p. 1, 118, contra aliquos, quos sequitur Tamb., lib. 5, c. 4, § 8, 8, 9, quique volunt licitam esse et validam absolutionem collatam cum jurisdictione probabili, etiamsi probabilitas sit circa factum aliquod particulare ut in casu, in quo nobis placet jurisdictionem dubiam dicere, et non appellare probabilem (1).

Qui petita facultate absolvendi, absolvit non solum ante notitiam concessionis, sed ante concessionem ipsam, nulliter absolvit.

(1) Jurisdictio in casu, non absque ratione, dubia potius quam probabilis mihi videtur dicenda; et si notam temeritatis haud pertimescerem, dicerem numquam bonam et probandam mihi visam fuisse illam distinctionem, quam inter jurisdictionem probabilem et dubiam adducunt plures et plures, dicentes: jurisdictionem appellandam dubiam, quando non habeatur ex una parte judicium positivum et probabile de illius existentia, et neque habeatur ex alia parte judicium positivum et probabile de illius non existentia, ita ut in neutram partem intellectus inclinet, sed anceps maneat; appellandam vero esse probabilem quando habeatur judicium de existentia jurisdictionis probabile, licet incertum ob contrarias rationes, quae suadeant etiam probabiliter jurisdictionem non adesse.

Etenim si jurisdictio dicatur dubia, quando nullae rationes pro et contra illam habeantur, videtur quod numquam realiter habeatur jurisdictio dubia. Illud enim dubium proprie dictum, de quo nimis communiter DD. loquuntur, quodque haberi dicunt quum pro neutra parte occurrunt rationes probabiles, sed nullae, vel tantum leves, videtur non posse realiter subsistere. Qui enim dubitat, vere dubitat ob contrarias rationes quas probabiles credit, quaeque unam vel alteram partem firmare contendunt; et qui nullas habet rationes concludendi pro una parte et pro altera non videtur dubitare sed ignorare, vel aliter dicitur scrupulis angi; idem est de eo qui habet tantum rationes leves ad concludendum pro una parte vel pro altera, quas leves cognoscit et ideo spernit. Auctores vero qui dicunt dubium proprie dictum et haberi quando pro utraque parte occurrunt rationes tantum leves, supponunt et intellectum illas percipere ut leves et insufficientes, dicunt enim intellectum, in dubio proprie dicto, se in neutram partem haud posse determinare per judicium positivum et probabile, eo quod pro neutra parte probabilitas adsit. At iste, ut dicimus, non dubitare sed ignorare dicendus videtur. Probatur vero in dubio superdicto haberi ignorantiam, quae est illa ignorantia quae dicitur negationis. Nam qui habet praedictum dubium de jurisdictione revera non scit habere illam; ergo habet ignorantiam negationis de jurisdictione. Ad hanc enim ignorantiam non est necesse scire jurisdictionem non esse, sed satis est non scire jurisdictionem esse, quia ignorantia haec in sola negatione scientiae consistit, alias ille solum ignoraret habere jurisdictionem, qui errans existimaret se non

Et saepe etiam illicite.

Quoad liceitatem vero dicendum confessarium in casu non posse per se licite absolvere, nisi habeat moralem certitudinem quod petita facultas fuerit obtenta, quae moralis certitudo fortasse raro in praxi habebitur, nisi et physica adsit. Nec ibi sufficit probabilitas jurisdictionis, quia, ut nuper dicebamus, Ecclesia non censetur supplere jurisdictionem, saltem juxta communem sententiam, quoties probabilitas non est circa jus, sed circa factum tantum aliquod peculiare, quod dubium sit an existat. Quia tamen stante gravi causa in poenitente confitendi, potest poenitens absolvi directe a non reservatis et indirecte a reservatis absolvere.

Nisi gravis causa occurrat, quia urgente, saltem indirecte poterit a reservatis absolvere.

habere illam, quum revera habeat; quod aperte falsum est. Est ergo illa vera ignorantia. Argumentum est Suarez, de Religione, vol. 2, lib. IV, c. 5, n. 12; et quidem optimum est. Unde quamvis in aliis materiis possit utiliter considerari praefatum dubium proprie dictum, quod etiam negativum vocant, si non quoad locutionem, quia ad vere dubitandum, ut videtur, contrarias probabiles rationes quis semper habeat oportet, certe quoad rem, quia bene ad scientiam multoties pertinet, quaerere, an quaedam inanis suspicio aliquam vim possit habere in hoc vel in illo; in praesenti mihi videtur non admittendum ad indicandum fundamentum et originem jurisdictionis, quae si ita velit adstrui potius negatur. Unde qui habet jurisdictionem dubiam, prout valde communiter intelligitur, et prout in exposita sententia, videtur numquam posse absolvere. Et quis enim velit affirmare quempiam sacerdotem tuto posse confessiones excipere, et tuto absolvere posse, etiam posita conditione existentiae jurisdictionis et etiam urgente aliqua causa (extra casum extremae necessitatis, in qua omnes sacerdotes habent certam et universalem jurisdictionem), eo quod inaniter et omnino ob leves rationes, quae assensum non merentur, suspicetur jurisdictionem habere? Sane non valde urgens videretur illa argumentatio qua diceres: tu suspicaris absque ratione habere jurisdictionem, ergo habes dubiam.

Neo valde satisfecit ille aliorum dicendi modus, qui illam jurisdictionem, quae habet pro se et contra se probabilem rationem, dicunt dubiam. Nam quae postea dicenda erit jurisdictio probabilis? Et quidem quum jurisdictio habet pro se solidam rationem, et nil apparet in contrarium quod contra illam faciat, tunc ex communi sententia illa jurisdictio non probabilis sed moraliter certa dicenda est, ut traditur communiter de opinione in tractatu de conscientia, et ex alia parte est valde acceptum cum S. Alph., lib. I, 20, quod dubium ex duabus contradictoriis exurgens, resolvitur in duas contradictorias probabiles.

Itaque si licet non ad inanem verborum quaestionem instituendam, sed ad rectum idearum conceptum definiendum in hac materia, jurisdictio dubia, prout diximus, illa est appellanda, quae utrum sit vel non, vere dubitatur ob rationes utrimque graves, quae tamen circa factum versantur a quo pendet jurisdictio; et probabilis illa est dicenda quae habet fundamentum in dubio juris, et in probabili DD. sententia, quae pro illa stat, licet adsit contraria aliorum DD. sententia quae illam probabiliter neget.

Ratio vero nostrae distinctionis est ipsa communis doctrina, quam tradunt Theologi circa usum jurisdictionis, quae vel dubio juris innitur vel dubio facti. Facile est enim advertere, illos etiam theologos, qui jurisdictionem quam nos dicimus dubiam, vocant probabilem, easdem tamen regulas in resolvendis quaestionibus de illius liceitate et validitate communiter sequi, paucis exceptis prout in textu, quas tradunt circa licitum et validum usum jurisdictionis, quem nos dicimus dubiam, et dum dicunt aliquando licere absolvere sub conditione et cum onere cum jurisdictione dubia, illam haud amplius in eorum sensu sed in nostro potius accipere videntur.

vatis, si reservatio est ratione sui, vel etiam manente excommunicatione, potest idem poenitens absolvi a peccatis si reservatio sit ratione censurae, ut dictum est, etiam quando certum est quod nulla habeatur in reservata potestas, a fortiori, stante illa gravi causa, poterit poenitens absolvi in dubio, de quo dicimus, imo in casu non videtur ita urgens necessitas requiri. Imo in praesenti, si gravis causa urgeat, absolutio potest impertiri etiam directe, sub conditione tamen, et imposito onere poenitenti, ut, si non nunc, alias peccata, in quae dubiam tantum habet confessarius jurisdictionem, fateatur habenti certam potestatem in illa. Habebitur autem gravis illa causa, uti jam alibi dictum est, si Communionem quis deberet accipere, quamque non posset omittere absque periculo infamiae, vel si diu manere deberet absque confessione. Suarez, disp. 26, sect. 6, 4. Quod si habeat poenitens confitenda sola reservata, est optimum consilium confiteri tum aliquod peccatum vel veniale, vel mortale alias confessum, in quod sacerdos certam habeat jurisdictionem, quia sic certa absolutio obtinebitur, quae saltem indirecte remitteret omnia peccata, id imo ex aliis esset in praecepto, ut alibi in superioribus dictum est.

Et etiam directe, sub conditione tamen et cum onere.

Quamvis vero nullus teneatur ad confessionem penes confessarium dubiam tantum jurisdictionem habentem, quia tandem dubium erit an valeat confessio, et eadem peccata quis bis teneretur fortasse confiteri, quod est onus valde grave, et ideo possit, praetermissa confessione, sive illorum tantum peccatorum sit conscius, in quae confessarius dubiam solum habet jurisdictionem, sive et aliorum adhuc sit reus, in qua confessarius certam habeat potestatem, ut probabile est ex pluribus, et praemissa tantummodo contritione perfecta, etiam accedere ad Eucharistiam, si necessitas hujus accipiendae urgeat; accedentibus tamen conditionibus supradictis, non est illicita talis confessio et absolutio, quia nulla ibi intervenit deordinatio. Potest enim talis confessio prodesse et non obesse, et si quod est gravamen poenitentis, bene potest ipse illud sibi assumere, et accedente illa causa gravi, et defectu alterius confessarii habentis certam jurisdictionem, et adjecta [illegible] nullus est abusus, cum jam

Confessio, apud confessarium dubiam tantum jurisdictionem habentem, in casu necessitatis licita est, non obligatoria.

absolutio non temere, nec ex mera et irrationabili voluntate impertiatur, et conditio tollat periculum sacrilegii. Dicta quoad omnia de usu jurisdictionis dubiae sunt non parum communia. Vide Suarez citatum, sect. 6, disp. 26; S. Alph., 571; Salm., c. 11, p. 5.

An confessarius obtenta facultate in reservata possit uti in favorem cujuscumque?

Si confessarius obtineat a Superiore facultatem absolvendi a quodam reservato, vel ab omnibus pro una vice, vel pluribus, vel indefinite, poterit illa uti relate ad quemcumque poenitentem intra terminos concessionis, si illa facultas generali modo fuerit ipsi confessario concessa, et nec explicite, nec implicite fuerit limitata ad aliquam determinatam personam; sic si facultas fiat confessario in gratiam sui ministerii, independenter ab aliquo casu qui ei contigerit, sed pro casu qui ei possit contingere, poterit illa uti pro quocumque poenitente. Reuter hic, n. 366, dicit parochum, qui habeat facultatem absolvendi suos a reservatis, posse, si et ipse in reservatum labatur, alteri committere ut ab eo absolvatur; sed hoc videtur difficile, nec videtur admittendum, si ille parochus non habeat specialem facultatem a Superiore, vel a consuetudine, delegandi saltem pro una vice.

Facultas petita et habita nomine alicujus prodest ei pro quo fuit petita, et non alio.

Si vero confessarius petat licentiam pro reservatis, et illam obtineat nomine et in persona poenitentis, et in ipsius capite, tunc illa facultas prodest ei pro quo illa petita fuit. Et si poenitens, qui illam petiit, est ipse confessarius, prodest ei, et si fuerit alius, proderit illi alio, qui per confessarium petiit.

Dixi confessarium, qui facultatem pro se postulaverit, posse illa uti, si licentia petita fuit nomine poenitentis, et obtenta in illius capite; quia si Superior illam concedendo, non tribuit poenitenti ut possit se facere absolvere, sed tribuit confessario petenti facultatem absolvendi ab illo casu qui ei petitur, tunc confessarius non poterit vi illius facultatis se absolvere facere, quia haec facultas haud ei fuit concessa, ipsi enim data est facultas absolvendi, non absolutionis recipiendae.

Sed nec poterit illa uti pro alio, sicut et semper quando talis facultas petita fuerit intuitu alicujus poenitentis, et juxta terminos petitionis concessa. Idque videtur tenendum, inspectis circumstantiis et verbis quibus fit talis fa-

cultatis petitio et concessio. Nam ponamus quod adhibeatur formula omnino indefinita et vaga, ut loquuntur Salm., c. 13, 37, qualis esset ex Lugo, disp. 20, 119, illa formula: « Unus subditus indiget facultate vestra pro una vice, ut faciat se absolvere ab aliquo confessario a reservatis, » adhuc tamen tum in intentione confessarii illam facultatem petentis, tum ex intentione Superioris illam concedentis, illa facultas conceditur illi pro quo exposcitur, idque ex verbis ipsis quibus petitio fit, et concessio quae supponitur juxta tenorem petitionis, satis indicatur; nam facultas petitur et datur pro illo, de quo confessarius scit, et quidem ex illa scientia cujus nunc utitur, et cujus causa fit petitio, absolutione indigere illamque desiderare, idest petitur et datur oratori; at huic concessa non poterit prodesse alteri, quia alteri non est data; ergo. Equidem confessarius quando illam petit nomine poenitentis, et in hujus persona illam facultatem obtinet, illa potest uti pro se ipso, si ipse fuit ille poenitens, sed hoc est quia tunc ipse in verbis petitionis determinatur, et ipsi quidem in persona poenitentis conceditur. Sed haec ratio, ob quam in casu ipsi permittitur illa uti facultate pro se ipso, bene etiam probat facultatem quae petitur a confessario pro aliquo, ad hunc determinari, et hunc includere et ad hunc finire, etiam illa formula adhibita « est unus subditus, est una persona, Titius, Sempronius, etc., » quae adhibeatur, quae quamvis ex se sit vaga et indefinita, talis tamen non est in circumstantiis, in quibus in casu adhibetur.

Facultatis pro reservatis pro aliquo qui illa indigeat petitio, hujus nomine fieri consulitur, et quantum fieri potest generalibus formulis.

Expedit vero ut confessarius in petitione facultatis pro absolutione a reservatis, quam aliquando expostulet pro aliquo poenitente, illam exposcat nomine ipsius poenitentis, qui sic poterit, vi ejusdem facultatis etiam, alium confessarium adire et ab illo absolvi; poterit ad hoc servire formula jam exposita vel aliae similes, ut si dicatur: « Est aliqua persona quae indiget facultate ut possit absolvi a reservatis, etc., Titius incidit in casum reservatum, etc., et rogat ut ei concedatur facultas ut valeat absolutionem recipere ab aliquo confessario; » et expedit ut formulis generalibus quantum fieri potest utatur, non determinando numerum peccatorum reservatorum, dicendo, v. g., « Ali-

quis incidit in unum numero, in duo peccata reservata, » ne postea in angustiis forte se inveniat, si plura numero peccata dignoscantur, sed includendo in sua petitione numerum indefinitum in eadem specie, quod fit, ex. gr., per hanc formulam: « Unus subditus petit facultatem ut possit absolvi a reservatione in blasphemiam, vel a casu reservato sub n. 1 *secundae classis* » prout apud nos, et potest exprimi dicta blasphemiae species in hac petitione; species autem peccati et quandoque etiam circumstantiae quae ad integritatem pertinent, scilicet si in modum concessionis influere posse videantur, ut paulo ante dicebamus, videtur exprimenda, non quia Superior illa cognitione indigeat ad dandam facultatem quae ei petitur, sed quia videtur inconveniens, quod petatur a Superiore facultas in reservatum, quin ei dicatur quod sit, maxime quia fortasse Superior illam non dabit, quia non in omnia reservata omnibus indistincte vellet concedere facultatem, saltem absolute et absque ulla conditione. Si tamen contingat quod aliquis confessarius praevideat quod facultate in plura reservata indigeat, quae adhuc determinare non valet, quoad unum vel etiam plures poenitentes; poterit etiam illam facultatem quoad plura in confuso determinata, humiliter petere, exponens circumstantias, in quibus est, et utilitatem quam sperat. Salvari autem semper sigillum confessionis debet, quoties est ex confessione audita. Unde si aliquando periculum adsit revelationis personae in manifestatione speciei peccati reservati, et species taceri debet, ut jam diximus cum Sporer, 762; Layman, c. 12, 7, et etiam potest Superiori exponi quod si species non indicatur, id fit ob justam causam, nec est opus ut dicatur qualis sit haec causa, si prudens res sit nec hoc dicere; quod si periculum adsit in ipso facto recursus ad Episcopum, pro casu aliquo Episcopo reservato, recurrendum esset ad S. Poenitentiariam, nisi poenitens consentiat, ut etiam stante periculo sui manifestationis, preces nihilominus ad Episcopum dirigantur, et si interim occurrat necessitas status gratiae, providendum juxta alias dicta. Semper autem et pro reservatis ab Episcopis in eorum dioecesi, ad S. Poenitentiariam quis se dirigere potest pro opportuna facultate obtinenda, sed ni causa aliqua rationabilis

Species peccati reservati pro quo recurritur, exprimenda.

Ni causa intercedat, quae aliud exposcat.

subsit pro recursu ad S. Poenitentiariam, hic non videtur consulendus, et fortasse nec erit semper utilis. Si vero adsit ratio recurrendi potius ad S. Poenitentiariam, consultius ratio exponitur, ne forte ob suspicionem, quae Romae concipiatur, quod quis velit ob finem minus bonum Episcopi forum declinare, opportuna facultas denegetur.

Praestat ut in petitione facultatis pro reservatis, non limitetur petitio ad tempus praeteritum.

Insuper omnino expedit ut in petitione facultatis absolvendi a reservatis, confessarius nullo modo determinet tempus praeteritum dicendo, v. g.: « Peto facultatem absolvendi a peccato reservato audito in confessione, » quia tunc si interim poenitens relabatur in illud peccatum, jam ab isto novo peccato post primam confessionem patrato, non poterit absolvi, saltèm ut plures volunt, nisi in hoc casu Superior concedat plus ac ei petitum fuit, et satis indicet facere facultatem absolvendi et a commissis post petitionem facultatis si sint, quam facultatem saltem tacite semper facere Superiorem contendit Diana, coord., tom. 1, tract. 5, res. 47. Sed utendum est terminis generalibus qui omne tempus includant, ut sunt illae formulae superius adductae, v. g.: « Unus poenitens petit facultatem ut possit absolvi a reservatis sub tali numero talis classis, » vel: « Unus poenitens petit facultatem ut possit absolvi pro una vice, pro hac vice a talibus reservatis; » et sic poterit absolvi poenitens a reservatis etiam post petitionem facultatis, imo et post concessionem et concessionis acceptationem patratis, saltem prout limitant Lugo, 20, Salm., c. 13, 39; Tamb., pro casu, quo facultas fuerit concessa cum illa particula « pro hac vice, » si nova peccata post concessionem facultatis non fuerint commissa post longum tempus a concessione. Nam illa facultas quam nunc concedit Superior, limitata per formulam « pro hac vice, » datur pro tempore praesenti, vel quod pro praesenti morali judicio possit haberi, unde non videtur posse valere pro peccatis multo post commissis. Si tamen post transactum moraliter computatum tempus concessionis, nova peccata haud fuerint commissa, pro patratis tempore concessionis, illa facultas valet etiam post longum tempus. Nam haec formula « hac vice » in ejus generis concessionibus, de quibus loquimur, quae scilicet petuntur a confessario ad reservata pro aliquo poenitente determinata [illegible] fi-

Ad quale tempus se extendat facultas pro ea vice concessa qua petitur.

cari duplici modo, ratione scilicet materiae et ratione temporis, et alterum ex illis sufficit ad ejus veritatem; Lugo, 20, 127. Ratione materiae verificatur adhuc post longum tempus a concessione, pro illis peccatis ad quae se extendebat facultas tempore concessionis, et poterat extendi, a quibus proinde poterit poenitens absolvi vi ejusdem facultatis etiam post plures annos, nec illa facultas expirat morte concedentis, est enim gratia facta, quae perpetuo durat ni revocetur; ratione temporis verificatur etsi aliquod tempus fuerit transactum, nisi tanta distantia fuerit interposita, quae moraliter sufficiat ad falsificandam illam formulam; et in hoc casu, etsi alia similia peccata commiserit poenitens post obtentam facultatem, si sit intra illud tempus ad quod censetur extendi, potest vi ejusdem concessionis et ab istis absolvi, quia et ad haec illa facultas extenditur. Quantum autem temporis possit facultas extendi ita ut comprehendat nova peccata illo intervallo commissa, prudentis arbitrio, inspectis circumstantiis, relinquunt theologi. S. Alph., 601, post Roncaglia dicit ultra mensem esse longam moram, et sic non posset amplius, vi obtenti privilegii, absolvi poenitens a reservatis commissis post mensem ab obtenta facultate petita pro illa vice, quod si, ajunt, facultas fuisset concessa intuitu alicujus festivitatis, non se extenderet facultas ultra festum. Sed in hoc ultimo casu forsitan praefati AA. loquuntur de facultatibus, quae aliquando solent in communi concedi confessariis, absolvendi a peccatis reservatis aliquo festo recurrente, relate ad quas standum est terminis concessionis et consuetudini illas interpretandi, et quidem, transacta festivitate, re integra hae facultates communiter non perdurant; verum pro facultatibus de quibus nos disputamus, quaeque supponuntur peti a confessario pro aliquo poenitente determinato, vel ab ipso poenitente, quamvis in istis petitionibus possit fieri commemoratio solemnitatis, non tamen est praesumendum, nisi de hoc omnino constet, quod superior voluerit facultatem facere solum pro tempore festivitatis, ita ut illa transacta non intendat facultatem facere; nam in primis superior intendit favere poenitenti, quo in casu et Roncaglia dicit prorogationem ad mensem non esse diuturnam.

Quod autem diximus de extensione formulae « pro hac vice, » multo magis dicendum de formula « pro una vice, » quae majorem latitudinem admittit. Imo hanc formulam « pro una vice » indefinite se extendere ad omnia reservata, quae poenitens commiserit tempore confessionis, quae locum habeat etiam post longum tempus a concessione facultatis obtentae, quod docet cum aliis Viva, q. 9, art. 4, n. 10, non videtur improbabile.

Ad quod tempus se extendat facultas data pro una vice.

Aliquando a S. Poenitentiaria facultates absolvendi vel dispensandi, etc., conceduntur sub clausula «super praemissis», seu « a praemissis, » et tunc non extenditur haec facultas ad peccata reservata vel delicta commissa post petitionem, quia haec non fuerunt Pontifici exposita; ipse autem concedit facultatem super praemissis. Ita docet Tamb., c. 9, § 3, 5. Verum si in postulatione facultatis, quae ab eadem S. Poenitentiaria exoretur, satis aperte includatur et petitio pro illis peccatis, in quae fortasse poenitens interim relabatur, tum ni alia ponantur in literis concessionis, quae facultatem omnino restringant ad peccata tempore petitionis patrata, quum jam, pro casu, illa formula « super praemissis » probabiliter videatur cadere super materiam, potius quam super numerum peccatorum et tempus quo fuere peccata patrata, sic videtur, quod adhuc in casu probabiliter posset delegatus confessarius absolvere et a peccatis, quae poenitens post petitionem ejusdem facultatis patraverit, saltem si non post multum tempus a concessione commissa fuere.

De facultate concessa « super praemissis. »

Qui peccavit in confidentiam licentiae obtinendae a reservatis, potest nihilominus, illa licentia obtenta, absolvi. Est valde communis. Vide S. Alph., lib. 6, 601; Lacroix, lib. 7, 129. Neque opus est in potestate petenda hanc circumstantiam explicare.

Qui peccavit in confidentiam licentiae, licentiam petens id non tenetur exprimere.

CAPUT VI.

De potestate quae competit Regularibus in reservata pro saecularibus.

Absolvere possunt ab omnibus reservatis Pontifici. Exceptis:

Confessarii Regulares possunt in foro consoientiae absolvere poenitentes saeculares ab omnibus casibus et censuris reservatis Papae ex Constit. Pauli III, *Cum inter cunctas*, nonnullis exceptis. Et 1. exceptis contentis in Bulla *Coenae*, ut constat. ex ipsa Bulla Pauli III, et etiam quoad haeresim patet ex propositione n. 4, damnata ab Alexandro VII, quae dicebat: « Praelati Regulares possunt in foro conscientiae absolvere quoscumque saeculares ab haeresi occulta, et ab excommunicatione propter eam incursa. » Ferraris, v. absolutio, 41; S. Alph., lib. 7, 96; Salm., tract. 18, c. 4, 153. Non possunt vero Regulares absolvere poenitentes saeculares a contentis in Bulla *Coenae*, etiam occultis, ut contra multos cum Salm. cit., c. 4, 160-61, tenendum, prout diximus ubi de potestate Episcoporum circa hos eosdem casus occultos Bullae *Coenae*.

1. Contentis in Bulla Coenae.

2. Exceptis casibus Clementinis.

2. Similiter non possunt absolvere, intra Italiam et extra Urbem, a casibus dictis *Clementinis*, idest a Clemente VIII per Decretum S. C. reservatis, qui sunt: 1. Violatio immunitatis ecclesiasticae juxta terminos Constitutionis Gregorii XIV, *Cum alias nonnulli;* 2. Violatio clausurae Monialium ad malum finem; 3. Injectio manus violentae in clericum juxta canonem *Si quis suadente;* 4. Provocatio ad pugnam in duello, juxta Decretum Concilii Tridentini, et Constitutionem Gregorii XIII, *Ad tollendum;* 5. Simonia realis scienter contracta; 6. Confidentia beneficialis. Vide Bonac. disp. 2. q. 9, punct. 5, n. 16; Ferraris, v. absolutio, n. 45.

3. Exceptio.

3. Nec intra Urbem possunt ex Decreto Clementis XI, anno 1711, absolvere saeculares a casu publico violatae clausurae Monialium ad malum seu inhonestum finem, a presbytericidio publico, et a casu publico violatae immunitatis ecclesiasticae, in terminis Const. Gregorii XIV,

Cum alias nonnulli, et etiam in casu occultae dictae violationis immunitatis, si fuerit secuta auctoritate publica.

4. Neque pariter possunt absolvere saeculares a casibus ab Episcopo sibi reservatis, ut pariter habetur ex propositione n. 12 ab Alexandro VII damnata, quae habebat: « Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopo reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate, » nil autem refert utrum isti casus reservati sint in Synodo, sive extra Synodum, ut notant S. Alph., lib. 6, 599, sive reservati sint ratione sui, sive ratione censurae.

4. Nec possunt absolvere a casibus, quos sibi Episcopus reservaverit.

A casibus Episcopo reservatis jure communi ut sunt, v. g., procuratio abortus cum aliis, quos dedimus ubi de reservatis Episcopo, an Regulares possint absolvere disputatur; alii negant, alii plures affirmant cum S. Alphonso, lib. 7, 99, et lib. 3, 397, et de Privil. C., qui tamen excipiunt casum quo Episcopus, illos casus sibi jure communi reservatos, etiam propria auctoritate reservaverit, ut quum in Synodo, vel literis patentibus confessariorum illos omnes vel aliquos illorum sibi reservat et reservatio vigeat, quod evenit apud nos de abortu. Nam, ut notat hic Sanctus Alphonsus, lib. 7, 100, et nos superius jam notavimus, in locis ubi Episcopus tabellam reservatorum conficit, ab omnibus aliis casibus, qui fuissent reservati intra Synodum, qui tamen in tabella non apponuntur, omnis confessarius jam poterit absolvere. Non quia reservati in Synodo non sint dicendi reservati ab Episcopo, uti dicunt aliqui, quum quae disponantur in Synodo ab Episcopo disponi dicantur, sed quia dum Episcopus illos in tabella non recenset, censetur omnibus approbatis facultatem facere ab illis absolvendi, et illorum reservationem tollere, ut cum Comitol. et Pasq. docet Viva, de Poenit., q. 9, 4; Concina, tom. 10, pag. 269, 17, et adhuc tenet S. Alph., de Privil., 99; idem dic de reservatis extra Synodum, et in tabella de novo confecta non adnotatis. Sed semper excipienda est, ex istis reservatis juri communi Episcopo, percussio clerici, ob Decretum Clementis VIII prohibens confessariis tum saecularibus, tum regularibus, ab illa absolvere intra Italiam et extra urbem, a qua proinde si mediocris, et, juxta plures, etiam si levis, absolvere non possunt, saltem si sit publica; nam si sit occulta, ex aliis

An absolvere possint a reservatis Episcopo jure communi?

cum Viva, q. 2, art. 7, 3, de censuris, adhuc possent Regulares absolvere a quacumque percussione, quia Decretum Clementis VIII limitans Regularium jurisdictionem circa sex casus supra expositos, solum exciperet dictos casus si publici sint, non vero si occulti. Idem docet Viva, de Censuris cit., q. 5, art. 3, 6, et art. 4, 5.

Privilegia Regularium pro casibus permissis, juxta alios se extendunt et ad casus publicos.

Notant autem hic plures, facultatem factam Religiosis absolvendi saeculares a reservatis, quae ipsis permittuntur, se extendi etiam ad casus publicos, quod, inspecta vi eorum privilegiorum, videtur posse probabiliter admitti. Sed tunc praeter ea, quae de jure servanda sunt in omnibus casibus praecipue publicis, maxime pro scandali reparatione, si casus etiam ipsis permissus sit reservatus ratione censurae, quamvis non sit ullo in casu exigenda a poenitente promissio comparendi coram superiore, quia jam absolutio illius nomine et auctoritate impertitur, et nomine et auctoritate illius imponitur satisfactio, servandum tamen erit quidquid praescriptum est circa partis laesae, si fuerit, satisfactionem, et circa promissionem de stando mandatis Ecclesiae, si casus id exigat.

Regulares et absolvere possunt a reservatis post privilegia ipsis concessa et juxta horum tenorem, si dictis privilegiis non sit derogatum in nova reservatione.

Sed poteruntne confessarii Regulares absolvere saeculares a culpis et excommunicationibus, quas Summi Pontifices sibi reservaverint, post privilegia ipsis Regularibus concessa, si in reservatione indicenda fuerit apposita clausula « non obstantibus? » Quaestio videtur pendere ex eo « an et quando censenda sint revocata privilegia Regularibus concessa. » Et quidem si dum Summus Pontifex aliquam culpam vel censuram sibi reservat, satis indicat et illis privilegiis velle derogare, revera derogat; caeterum per clausulas generales, « non obstantibus quibuscumque privilegiis, » non derogari privilegiis Regularium, est gravis sententia, quam defendunt Salm., tract. 18, c. 2, 36, 39; S. Alph., de Privil. 16.

CAPUT VII.

De poenis in absolventes a reservatis absque licentia.

Absolvens a reservatis absque debita facultate et extra casus ipsi permissos, graviter peccat, et quandoque etiam incurrit poenas canonicas.

Et 1. absolvere praesumens a casibus Bullae *Coenae*, incurrit excommunicationem, quae tamen non est reservata, ut patet ex ipsa Bulla. Quia autem ex citata Bulla, ad incurrendam dictam excommunicationem, requiritur praesumptio in absolvente, ideo illam non incurrunt, qui absolvunt ex ignorantia crassa vel supina, et juxta aliquos, etiamsi ex affectata ignorantia absolutio impendatur.

Qui praesumit absolvere a casibus Bullae Coenae, subjicitur excommunicationi aliquando non reservatae,

Si tamen a casibus Bullae *Coenae* absolvere quis praesumat, absque facultate et praetextu privilegiorum tamquam a Sede Apostolica concessorum, incidit in excommunicationem Papae reservatam, ex Decreto Clementis VIII, 1601, et Pauli V, 1617, si intra Italiam et extra Urbem absolvat.

aliquando reservatae.

Item dic ex citato Decreto, de confessario tam saeculari quam regulari, qui intra Italiam et extra Urbem absolvere praesumeret, praetextu earumdem facultatum Apostolicarum, a casibus ab Episcopo sibi reservatis tum ratione sui, tum ratione censurae, vide Bonac., disp. 1, q. 22, p. 2, 19, et disp. 2, q. 9, p. 5, 15, et ab aliis sex in dicto Decreto per Clementem VIII reservatis, qui sunt: 1. Violatio immunitatis ecclesiasticae juxta terminos Constitut. Gregorii XIV, *Cum alias nonnulli;* 2. Violatio clausurae Monialium ad malum finem; 3. Injectio manus violentae in clericum, juxta canonem *Si quis suadente;* 4. Provocatio ad pugnam in duello, juxta Decretum Concilii Tridentini, et Constitutionem Gregorii XIV *Ad tollendum;* 5. Simonia realis scienter contracta; 6. Confidentia beneficialis. Incurreret enim excommunicationem reservatam.

Alii casus a quibus absolvere praesumens, praetextu facultatum Apost., incurrit excommunicationem reservatam.

Similiter qui confessarii tam saeculares quam regulares praesumerent, praetextu eorumdem privilegiorum, absol-

vere intra urbem quoscumque poenitentes, tam incolas urbis, quam ad eam confluentes, a casu publico violatae clausurae Monialium ad malum seu inhonestum finem, a presbytericidio publico, et a casu publico violatae immunitatis ecclesiasticae in terminis Constit. Gregorii XIV *Cum alias nonnulli;* et etiam in casu occulto dictae violationis immunitatis, si fuerit secuta auctoritate publica, incurrunt pariter excommunicationem latae sententiae, Papae reservatam ex Decreto Clementis XI, 3 maji 1711, quod per extensum refert Ferraris, vide v. absolut., n. 47, art. 1.

Excommunicationi reservatae subjiciuntur Religiosi, qui praesumunt absolvere excommunicatos a canone vel a sententiis per statuta provincialia aut synodalia reservatis

Religiosi, insuper qui praesumant absolvere excommunicatos a canone, idest ab excommunicationibus per jura latis, praeterquam in casibus in jure expressis, et extra casus in quibus, ob privilegia a Sede Apostolica eisdem concessa, id jure valeant, vel qui praesumant absolvere a sententiis per statuta provincialia aut synodalia promulgatis, et reservatis, incurrunt in excommunicationem ipso facto Sedi Apostolicae reservatam, ex Clement. *Religiosi*, lib. 5, tit. 7, etsi id non praesumant praetextu privilegiorum.

Dispositio dictae Clementinae extenditur ab aliquibus, cum Billuart, diss. 6, art. 6, ad Religiosum, qui absolvat et a casibus reservatis per statuta synodalia et provincialia, etiam absque excommunicatione. Sed id negant plures cum Bonac., tom. 3, disp. 2, q. 9, punct. 5, 19, qui ait, non comprehendi in dicta Clementina nec Religiosum qui absolveret a sententiis suspensionis, vel interdicti, etiam a statutis synodalibus vel provincialibus latis et reservatis, nec qui absolveret ab excommunicationibus Episcopo reservatis, latis ab homine per sententiam generalem, aut particularem, in quo et consentit Ronc., q. 7, c. 3, q. 9.

CAPUT VIII.

De potestate Praelatorum Regularium in subditos, quoad reservata Pontifici.

Praelatis Regularibus jam ab Alexandro III, c. *Monachi* 2, *de sent. excomm.*, data fuerat facultas in Religionis favorem, et ut evagandi materia subtrahatur, absolvendi suos subditos ab omnibus casibus Papae reservatis, ut communiter docent DD., qui, quamvis in dicto jure solum sit sermo de excommunicatione ob percussionem, ad omnes tamen casus, ob paritatem rationis, factum privilegium extendunt; solum providentia dioecesani Episcopi erat adhibenda, quum discretio Abbatis haud fuisset sufficiens, ad Monachi delinquentis correctionem. Sed haec facultas ex capite *Canonica* 50, *eodem titulo*, limitabatur ut non posset absolvi a Superiore Regulari excessus, qui fuerit difficilis et enormis, propter quem merito ad Ecclesiam Romanam sit recursus habendus, qui excessus difficilis et enormis ex c. *Cum illorum* 32, *eod. titulo*, est dicendus, si ad mutilationem membri, vel effusionem sanguinis fuerit processum, aut in Episcopum aut Abbatem violenta manus injecta; cum excessus tales et similes nequeant sine scandalo praeteriri; eadem limitatio adhuc pro casu excommunicationis canonis habebatur, c. *Religioso* 21, *eodem titulo in* 6, ubi Religiosus, qui in clericum saecularem manus violentas injecit, dicitur posse ab Episcopo absolvi eo casu, quo idem Episcopus posset absolvere clericum saecularem, ex quo cap. etiam videtur quod in casu Religiosus non potuisset absolvi a suo Praelato, sine consensu Episcopi clerici, qui fuerat percussus, quod et habetur c. *Cum illorum* cit., ex quo qui in Religiosam personam alterius claustri, manus injecit violentas, per Abbatem proprium et ejus qui passus est injuriam, absolvendus est. Quod si clericum percusserit saecularem, nonnisi per Apostolicam Sedem, vel Episcopum in casibus ipsi Episcopo

Jus antiquum circa potestatem Praelatorum Regularium in subditos exponitur.

permissis ut scandalum evitetur, absolutionis gratiam poterit promereri.

Dicto autem capite *Cum illorum*, eadem potestas concedebatur et Praelatis Regularibus, quoad eos qui Religionis habitu suscepto, inter caetera postmodum confitebantur, se tale commisisse delictum, per quod ipso actu excommunicationis sententiam incurrerunt, ante ingressum in Religionem.

1. Ex jure novo facultate absolvendi subditos, quam jure proprio habent Episcopi, pollent et Praelati Regulares in suos.

Hodie tamen in hujus quaestionis solutione, alia via incedunt DD., et dicunt: 1. Quod sicut per exemptionem Religiosam e jurisdictione Episcopali, competit Religiosis Praelatis, in suos subditos jurisdictio quasi Episcopalis, ideo possunt istos absolvere et dispensare in poenis, eo modo, et plenitudine, qua extra privilegium possunt Episcopi suos dioecesanos; est communis DD. sententia cum Reiffenst. lib. 5 Decret., tit. 7, 419; Salm., tract. 10, c. 2, 71; Mazzota; Bouix, de Jure Regul., tom. 2, pag. 622. Hinc Praelati Regulares possunt absolvere suos subditos, qui impediuntur adire Summum Pontificem, ab omnibus casibus, tum publicis, tum occultis, etiam in Bulla *Coenae* contentis, et Summo Pontifici reservatis, nullo excepto, prout de Episcopo diximus quoad dioecesanos, servatis tamen conditionibus, quas diximus ab Episcopo esse servandas, idest imposito onere comparendi postea coram Pontifice, quum impedimentum cessaverit, si non agatur de impedimento perpetuo, et locus sit illius oneris impositioni, pro quo ad superius disputata nos remittimus.

Ad hoc tamen, quod possint Religiosi a suis Praelatis absolvi, ab omnibus indistincte casibus Papae reservatis ob impedimentum adeundi Summum Pontificem, dicendum per se non sufficere in ipsis Religiosi qualitas, idest religiosa professio, et inde orta obligatio servandarum Religionis constitutionum, tamquam si ideo impedirentur Summum Pontificem adire, quia jam hoc esset dicere, ipsos non comprehendi sub generali Pontificis reservatione, contra id quod diximus c. 4, § 3, p. 2, sed desiderari aliud impedimentum, quo adhuc ipsi detineantur ex superius enumeratis, ubi de potestate Episcoporum in subditos, impeditos adire Romam.

2. Dicendum Praelatos Regulares posse absolvere suos

subditos ab omnibus casibus occultis, à quibus absolvere possunt Episcopi suos dioecesanos, juxta privilegium ipsis Episcopis concessum a Tridentino, quodque superius expendimus, vel quia illud privilegium et ipsis Praelatis Regularibus ab ipso Tridentino, sub nomine Episcoporum, fuit concessum, vel saltem, prout communius dicitur, quia ad ipsos fuit extensum, per concessionem S. Pii V, in sua Constit. *Romani Pontificis circumspecta benignitas*, 21 julii 1571; Cocquelines, tom. 4, p. 172, quam facultatem aliqui perperam negant.

2. Privilegium Cap. *liceat* factum per Trident. Episcopis, competit et Praelatis Regularibus in subjectos.

Disputabatur, an in hac extensione privilegii a S. Pio V ad Regulares, comprehenderetur facultas absolvendi ab haeresi, sicut dabatur Episcopis in privilegio Tridentini. Videantur Sanchez Decal., lib. 2, c. 11; Suarez, de Relig., tom. 4, lib. 2, c. 20, n. 10, 11. Sed haec quaestio, relate ad Praelatos Regulares in ordine ad subditos, ex aliis juribus infra adducendis, melius videtur solvenda.

3. Ex dictis circa potestatem Regularium absolvendi poenitentes saeculares, dicendum est, ipsos posse absolvere suos subditos ab omnibus casibus Summo Pontifici reservatis, exceptis contentis in Bulla *Coenae*, etsi publici sint, ut probabile diximus, nec subditi impedimento detineantur, quominus Summum Pontificem adire valeant. Nam idem privilegium Pauli III, qui concessit in persona confessariorum Societatis Jesu, omnibus confessariis Regularibus, facultatem absolvendi saeculares, juxta dictum tenorem, facultatem et eisdem fecit absolvendi Regulares, si alia non desint. Patet ex ipsis verbis Bullae, quam habes per extensum apud Sporer, supplem., pag. mihi 317, et ex compendio privilegiorum Societatis apud Lacroix, 142, lib. 7, et ex aliis documentis apud Salm., c. 2, 70, tract. 10, et ex aliis pluribus privilegiis ipsis Regularibus concessis, quorum praecipua infra sunt adducenda. Nec hic sunt excipiendi casus Episcopo reservati, quia Regulares reservationi Episcoporum non subjacent, nec casus Clementini, quia decreta, quae potestatem adimunt confessariis Regularibus, pro illis casibus, intelligenda sunt relate ad poenitentes saeculares, et non Regulares, ut tenent plures cum S. Alph., de Privil., 95, quod etiam referunt declaratum per ipsum Clement. VIII apud Potestà, 3417, et magis dicetur.

3. Privilegium absolvendi a reservatis, Regularibus concessum pro saecularibus, extenditur ad Regulares cum majori amplitudine.

Suarez exceptio. Excipit Suarez, de Religione, tom. 4, lib. 2, c. 21, 9, censuras a Sixto V latas in clericos simoniace promotos, et in simoniace ordinantes, quia dum illas sibi praefatus Pontifex reservat, revocat omnia privilegia, etiam in Mari Magno contenta, et quibuscumque ordinibus, aut personis Regularibus concessa, sicut et revocat facultatem Concilii Tridentini concessam Episcopis, ad absolvendum a casibus occultis. Quae revocatio privilegiorum Regularium, pro dicto casu simoniacae ordinationis, integra adhuc manet, subdit Suarez cit., quia quamvis Clemens VIII, Constitutionem illam Sixti V reduxerit ad terminos juris communis et Concilii Tridentini, addidit tamen exceptionem « praeterquam contra simoniace ordinatos, et ordinantes inflictas; » quod et Suarez tradiderat, de Simonia, c. 61, 6.

Non probatur. Verum ex pluribus, quorum sententiam videtur probare S. Alphonsus, lib. 3, 109, quoad hanc reservationem Bulla Sixti V non est usu recepta; alii vero illam exceptionem contendunt non vigere, propter confirmationem ex certa scientia privilegiorum Religiosorum, factam posteriori tempore per S. Pontifices, et adducitur ipse Clemens VIII, qui duobus annis postquam dispositionem Sixti V probaverat, circa reservationem censurarum in simoniace ordinatos et ordinantes, ex certa scientia, omnia privilegia trium Ordinum S. Francisci tam propria, quam per communicationem concessa, confirmavit et in pristinum statum restituit in his omnibus, in quibus decretis Concilii Tridentini non adversantur; sua Constit. *Ratio pastoralis officii*, 20 decembris 1595; est 51 apud Cherubinum.

Alia Matthaeucci exceptio. Excipit et Matthaeucci apud Ferraris in notis Th. Rom., v. Praelatus Regularis, et excommunicationem « propter admissionem, » prout ibi loc. cit. legitur, «mulierum intra clausuram conventus, et excommunicationem ob ingressum, sine licentia, intra clausuram Monialium, et excommunicationem quam incurrunt ipsae Moniales, ob hanc violationem clausurae, » a qua ait non posse Praelatos Regulares nec subditos absolvere. Sed cui fundamento nitatur haec Matthaeucci sententia ignoro; illa vero videtur contra communem, et quantum video haud facile potest sustineri, nec enim suffragium habet ex antiquioribus juribus, quorum praecipua sunt S. Pii V et Gregorii XIII

Pariter non acceptatur.

Constitutiones, ut tenent plures cum Potestà, 3492, 3515, nec ex pluribus aliis Constitutionibus, quas novissime de hac clausura edidit Bened. XIV (1). Solum posset alicui videri, quod aliqualem favorem accipiat dicta sententia Matthaeucci ex Bulla *Pastor bonus*, 13 aprilis 1744, § 38, ejusdem Bened. XIV, ubi non conceditur Poenitentiario Majori, in casibus publicis clausurae a Monialibus, vel ab aliis quibuscumque personis ad malum finem violatae, delinquentes absolvere nec per se, nec per alium, nisi pro ipsis Episcopi seu Ordinarii supplicaverint, et casus ad Congregationem S. R. E. Cardinalium, negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositam, deducti non fuerint. Sed nec hoc cogit nos subscribere Matthaeucci; nam ibi Bened. XIV nec tandem derogat privilegiis Regularium in subditos, nec illa negat. Quamvis ex citato Benedicto XIV solum posset argumentari quoad absolutionem pro utroque foro, et pro solo casu in sua Bulla expresso, et non pro aliis, quos ponit Matthaeucci, qui etiam in sua exceptione exponenda, saltem ut illa habetur loc. cit., casus in quibus incurritur excommunicatio reservata, minus accurate non distinguit a casibus, in quibus excommunicatio quidem adhuc incurritur, sed non reservata.

Alia Potestatis exceptio adhuc non admittitur.

Excipit adhuc Potestà, 3375, cum aliis, conspirationem in Summum Pontificem. Videtur niti Constitutioni Julii II, *Exponi nobis*, 27 feb. 1510, ubi expresse dictus casus excipitur. Verum etiam dato quod ibi Julius II ampliorem potestatem, qua jam in subditos fruebantur Praelati Regulares, vere restrinxerit, quia postea idem Pontifex Constitutione *Inter caeteros*, 2 apr. 1512, data ad canonicos Regulares Congregationis S. Salvatoris Ordinis S. Augustini, § 28, in qua amplam facultatem dispensandi et absolvendi subditos ejsdem concedit, dictam exceptionem haud amplius posuit quam prius posuerat, ideo dicendus illam abstulisse, sicut et illam abstulisse dicendus est inter alios Paulus III, Bulla *Licet debitum*, 18 oct. 1549; et in hoc debet consentire ipse Potestà, qui dum dicit per confirmationem, ex certa scientia factam posteriori tempore, privilegiorum Religiosorum per Summos Pontifices, tolli revo-

(1) *Cum sacrarum Virginum*, 1 Junii 1741; *Regularis disciplinae*, 3 Jan. 1742; *Salutare in Catholica Ecclesia*, 8 Jan. 1742; *Per binas alias*, 24. Jan. 1742.

cationem eorumdem privilegiorum quoad ordinationem simoniacam, factam a Sixto V, debet et id concedere relate ad casum, de quo disputamus, quia et post Constit. *Exponi nobis* Julii II, facta fuit dicta confirmatio privilegiorum pro Religiosis.

Conspiratio in Rom. Pontificem non est casus Bullae Coenae.

Potestà vero cum Ferraris, v. absolutio, art. 1, 30, hunc casum videntur annumerare inter contentos in Bulla *Coenae*, dum in illa revera, prout intelligendus est, non habeatur, quod bene cavendum est, quia sic graviores evaduntur difficultates.

Pro exceptione Potestatis adducitur argumentum ex quadam Bulla Benedicti XIII.

Quamvis et nostrae conclusioni videtur obstare quod Bened. XIII in sua Bulla *Praetiosus*, 26 maji 1727, confirmando Bullas Sixti IV, etiam confirmavit Bullam Julii II *Exponi nobis*, ubi et excipitur conspiratio in Romanum Pontificem; jamvero ibi videtur intervenire quaedam tacita revocatio facultatis, pro tali casu jam prius concessa. Quae revocatio videtur sustineri a S. Alph., lib. 7, 396.

Nec juvat dicere praefatam Bullam *Praetiosus* fuisse revocatam a Clemente XII, per suam Constit. *Romanus Pontifex*, 30 martii 1732, ita ut in privilegiis Regularium excutiendis jam illa haud debeat attendi, tamquam si non extitisset; nam dato quod semel fuerit restricta illa prima facultas per Constit. Benedicti XIII, eo quod postea haec Costit. revocetur, illa restrictio non cessat, nisi eidem restrictioni derogetur, nec ei per revocationem Clementis XII esset dicendum derogatum; non explicite, ut patet ex ipsa Bulla, et nec implicite, quia haec revocatio facta fuit in odium, ut ita dicam, facultatum, quae fuerant Religiosis concessae, et non ad illas ampliandas.

Praedictum argumentum infirmatur.

Verum adhuc dato, quod in Bulla Bened. XIII habeatur vera restrictio amplioris facultatis, quae Praelatis Regularibus in subditos fuerit concessa, illa restrictio videtur haud cadere super casum, de quo est quaestio. Nam exceptio quam instaurare videretur Pontifex, ex Bulla Julii II, videtur solum limitari ad casus in Bulla *Coenae* contentos; at, prout notavimus, casus de quo quaerimus in illa non recensetur. Exceptionem autem a Benedicto XIII statutam limitari ad casus Bullae *Coenae*, qui declarantur in Constitutione Julii II, videtur colligi ex verbis Bullae ipsius Bened. XIII, et ex Constitutionibus *Regimini*

quas idem Pontifex Bened. XIII ibi pariter refert, et in quibus casus conspirationis in Romanum Pontificem non excipitur.

Sed probabiliter nec illa revocatio amplioris potestatis, quae Praelatis Regularibus pro subditis absolvendis competere potuisset, per Bened. XIII fuit inducta. Nam illa Bulla Bened. XIII non fuit data ad restringendam potestatem Praelatorum Regularium, sed ad illam ampliandam, vel saltem ad illam quam habebant firmandam; at ex Regul. 61 in 6., quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum; et sic ex dispositione Bened. XIII excipientis et casum conspirationis in Rom. Pontificem, solum probaretur quod Pontifex nolebat in hunc casum facultatem concedere Praelatis Regularibus, si illam non habebant, quin tamen vellet illam ipsis adimere, si habebant. Non ergo Pontifex exceptionem posuit. Et sic Suarez, de Relig. loc. cit., non dubitat de validitate majoris extensionis potestatis in Praelatis Regularibus, quoad subditos, prout ipsis fuerat facta ab Alex. VI, quae et habetur in compendio Privil. Societatis, v. absolutio n. 12, quamvis postea Julius II circa eamdem materiam, minorem potestatem fecisset. Unde etiam debilitaretur ipsum exceptionis, quam Potestà ponit, fundamentum.

Adde quod et sunt aliae Constit. aliorum Summorum Pontificum posteriori tempore, idest post Julium II datae, respicientes alios Ordines Regulares, ac illi quibus dirigitur Constit. Bened. XIII, et in quibus fit Praelatis Regularibus facultas absolvendi subditos ab omni culpa, nulla extra Bullam *Coenae* excepta, ut, ne aliquid pro nunc dicamus de aliis documentis, quae ampliorem potestatem Praelatis Regularibus concedunt, habetur in citata Constitutione Pauli III ad Societatem Jesu, et habetur ex aliis Bullis privilegiorum Regularium confirmatoriis, quibus omnino haud videtur fuisse derogatum per Bullam Benedicti XIII. Nam ibi non habentur clausulae illae derogatoriae, materiam in quaestione respicientes, quae certo adessent, quando vere Pontifex intendisset illam facere revo[illegible] [illegible]ris facultatis Praelatorum Regularium, [illegible]bsolvendi subditos; et hae rationes

bene possent valere ad alias exceptiones debilitandas, quae possent adduci, quaeque in iisdem adjunctis forent, ac exceptio nuper perpensa. Et hic non videtur abs re pauca dicere de limitatione, quam S. Pius V in sua Constit. *Dum ad Congregat. Cassinensem*, 13 junii 1571, ponit amplissimae facultati, quam illius Congregationis Praelatis fecit, absolvendi ab omnibus quibuscumque culpis, etiam in Bulla *Coenae* contentis, subditos, quibus suffragetur absolutio in utroque foro, si, et dummodo, et donec vixerint in habitu et professione regulari ejusdem Congregationis virtutum altissimo famulati fuerint, subque obedientia Praelatorum et Superiorum dictae Congregationis permanserint. Excipit enim ibi Sanctus Pontifex homicidium voluntarium et mutilationem membri, quae et quod fuerit subsecutum post ingressum in Religionem. At haec exceptio non videtur absoluta, ut tradunt Ferraris, Potestà et alii, sed videtur solum pro foro externo, ut ex illo loco Bullae eruitur, ubi dicitur: «Quoad reatum homicidii tantum, in foro conscientiae tantum absolvendi et liberandi.» Nam vel ibi Summus Pontifex se refert ad homicidium prius commemoratum, et patet quod facultatem absolvendi non concedit solum pro foro externo, vel comprehendit et loquitur de omni homicidio, et tunc, contra id quod dicunt praefati AA., Sanctus Pontifex non solum excludit a potestate Praelatorum Cassinensium homicidium et mutilationem post ingressum in Religionem commissam, sed et homicidium patratum ante ingressum, ita ut et ab isto, saltem pro foro externo, absolvere illi non possint. At bene hoc videtur non intelligi ullo modo exclusum a privilegio, quia de isto non fuit specialis mentio in Bulla; ergo exclusio a privilegio homicidii et mutilationis post ingressum in Religionem patratae, non est universalis et absoluta, sed tantum ne suffragetur absolutio pro foro externo. Nobis vero numquam in mente fuit disputari dè potestate Praelatorum in foro externo, pro quo plura essent inspicienda, sed solum de eorum potestate in subditos sodales pro foro conscientiae; et factus discursus videtur probare ipsis competere in foro conscientiae etiam potestatem absolvendi ab homicidio, vel quia a S. Pio V ipso haec potestas fuit concessa, vel saltem quia ab aliis Pontificibus

Adducitur novum privilegium a Sancto Pio V Regularibus factum et explicatur.

ipsis fuit facta per alia privilegia, quibus haud derogare voluit S. Pius V, et quae in vigore sunt, saltem quia post S. Pium V eadem instaurata fuere. Aliqui autem videntur et dictos casus, aliquo modo exceptos a S. Pio V, recensere tamquam contentos in Bullae *Coenae*, sed minus recte. Nam quamvis plura homicidia et plures mutilationes reserventur in Bulla *Coenae*, nullibi tamen in eadem reservatur homicidium et mutilatio absolute et universaliter intellecta, prout illa intelligit S. Pius V, sed solum semper cum addito, idest cum quibusdam circumstantiis expressis. Et hoc quoque juvat animadvertere ad alias difficultates effugiendas.

An Praelatis Regularibus quoad subditos competat facultas in casus Bullae Coenae?

An vero Praelati Regulares habeant potestatem absolvendi suos subditos a casibus Bullae *Coenae*, et an ab omnibus, non parva est lis inter DD., et fortasse apud eosdem aliqualis confusio, nec est parva difficultas.

Refertur 1. sententia.

Suarez citatus concedit Praelatis Regularibus absolvere suos subditos ab omnibus culpis et censuris contentis in Bulla *Coenae*, quin aliquam excipiat, idque deducit ex pluribus privilegiis quae commemorat, sed praecipue ex concessione Gregorii XIII facta Societati Jesu; et cum Suarez sunt non pauci apud Salm., cap. 2, 75, cum Reiffens. Theol. Mor., tract. 13, dist. 2, 75, append. in fine, pagin. mihi 359. Item tenet Ferraris, v. absolutio, n. 31, ex Constit. S. Pii V ad Monachos Cassinens., cujus tenorem jam dedimus, exceptio enim quae in illa est, quaeque illa sit, non respicit casus Bullae *Coenae*, et eamdem sententiam sequuntur alii apud Sporer, Supplem., c. 3, n. 119.

Altera sententia exponitur.

Plures alii cum Salm., tract. 10, c. 2, 76, dicunt Praelatos Regulares non posse, saltem in Hispania, absolvere suos subditos a crimine haeresis etiam occultae, ab aliis vero Bullae *Coenae* posse absolvere. Hanc eamdem sententiam, pro locis S. Hispanicae Inquisitioni subjectis, tenet Tamb., lib. 5, de Poenit., c. 11, § 1, n. 12, qui postea n. 13 videtur et excipere lectionem librorum prohibitorum. Et S. Alph., l. 7, 101, post Ferraris, v. absol., n. 40, dicit S. C. 17 novemb. 1628, declarasse non posse Praelatos Regulares absolvere suos subditos ab haeresi occulta; hanc S. C. Resol. Ferraris accipit a Viva in propos. 4

Alex. VII, n. 3, et v. Praelatus Regul. n. 30, ipse Ferraris, sibi oppositus, in hanc sententiam jam multum inclinat, et ipsam suadet.

Tertia adducitur sententia.

Alii vero plures magis adhuc limitant potestatem, quam dicunt Praelatis Regularibus competere in subditos, absolvendi a casibus Bullae *Coenae* tum publicis, tum occultis, et ex hisce alii cum Potestà, 3375, quinque excipiunt et sunt: 1. schisma, 2. haeresis cum relapsu, 3. falsificatio literarum Apostolicarum, 4. delatio prohibitorum ad infideles, 5. conspiratio in Rom. Pontificem, de quo tamen jam supra satis diximus.

Quarta sententia.

Alii vero cum Reiffenstuel, lib. 5, Decret. tit. 7, 421, sibi pariter contrarius, quatuor tantum excipiunt, idest haeresim cum relapsu, schisma, falsificationem litterarum Apostolicarum, delationem prohibitorum ad infideles.

Datur quinta sententia.

Alii e contra cum Viva in prop. 4 Alexand. VII, n. 4, negant Praelatos Regulares absolvere posse suos subditos ab aliquo casu contento in Bulla *Coenae*, contendentes, per ipsius Bullae publicationem, revocari quaecumque privilegia ipsis fuerunt concessa, in ordine ad illos casus. Hanc eamdem sententiam tenet Passerinus penes Conc., lib. 3, de Censuris, C. 7, XXIII, qui eidem, postquam tamen nonnulla notavit ad illam evertendam, subscribit.

Quinta sententia probabilis omnino videtur.

Sententia, quae cum Viva dicit omnia privilegia Regularibus concessa absolvendi a casibus Bullae *Coenae* fuisse per novam ejusdem Bullae promulgationem revocata, videtur multum probabilis. Nam per ipsam Bullam revocatum fuisse solemne privilegium Episcopis a Tridentino per cap. *Liceat* factum, quoad casus in eadem Bulla contentos, diximus ex communi et tenenda sententia; unde a fortiori videtur idem dicendum quoad privilegia Regularibus concessa, quae minus solemnia dicenda sunt. Equidem Julius II indulsit sua Const. *Exponi nobis*, 27 feb. 1510, quod facultas absolvendi a casibus Bullae *Coenae*, quae, nonnullis exceptis, a Sixto IV Regularibus fuerat concessa, et quam ipse confirmabat, perpetuis temporibus esset valitura, acsi praedicta Bulla in *Coena Domini* non esset facta nec fieret; quod pariter praestitit, ut magis infra, S. Pius V in privilegio facto Monachis Cassinensibus, de quo jam diximus, et Gregorius XIII, privilegio concesso

Societati Jesu, ut nullae ex facultatibus Societatis intelligerentur revocatae per novam publicationem ejusdem Bullae. Sed dictae dispositiones Julii II, S. Pii V et Gregorii XIII, ex eo quod pro omnibus temporibus fuerint concessae, non ideo possunt dici omnibus vigere temporibus, nam non ideo transierunt in jus irrevocabile, et quidem cum par in parem non habeat potestatem, illas dispositiones esse revocabiles per ipsos Summos Pontifices omnino certum est, et etiam dictas dispositiones videtur fuisse revocatas per novam publicationem Bullae *Coenae*, saltem per alium Pontificem posteriorem factam, nam illae bene videntur inclusae et comprehensae, in revocatione omnium privilegiorum concessorum et concedendorum, quae fuerint facta cuicumque Ordini Religiosorum; quae revocatio in praedicta Bulla *Coenae* revera habetur.

Argumentum Suarez contra quintam sententiam hodie non probat.

Suarez ad negandam hanc revocationem fieri per Bullam *Coenae*, unam affert rationem, quae plusquam optima esset, si pro omnibus valeret temporibus; notat enim Sixtum V, qui Gregorio XIII amplissimam illam facultatem Religiosis concedenti immediate successit, apposuisse in Bullae *Coenae* publicatione clausulam, per quam integra servabantur privilegia concessa absolvendi a reservatis in illa Bulla, per ea verba: « Nisi in eis privilegiis etiam casus praesentibus literis expressis comprehendantur, » quod, ut pariter animadvertit Suarez, etiam suis temporibus servabatur a Clemente VIII. Sed quia posterioribus temporibus illa verba per Summos Pontifices, in nova Bullae *Coenae* promulgatione, fuere omissa, ut videre est in processu apud Lacroix, 2054, lib. 6, p. 2, et in Bullario Bened. XIV, tom. 1, n. 14, in publicatione ab ipso facta 1741, ideo ejus ratio jam non subsistit, imo videtur aliqualiter contra ipsius conclusionem retorquendam; nam fortasse illa verba a Suarez adducta ex processu Sixti V et Clementis VIII, a posterioribus Pontificibus fuerunt omissa, ideo ut vere revocatio omnium privilegiorum concessorum Regularibus, quoad casus in eadem Bulla contentos, operaretur. Saltem quum nihil possit concludi ex argumento, quod adducit Suarez contra sententiam Viva, bene videtur quod ejus probabilitas ex rationibus superius expressis subsistat.

Attamen non minus probabilis, imo et probabilior vide-

Potestas quam in casus Bullae Coenae Praelatis Regularibus erga subditos tribuit quarta sententia, videtur sustineri posse, non obstante quinta sententia.

tur sententia, quae quamdam potestatem Praelatis Regularibus in casus Bullae *Coenae*, relate ad Religiosos subditos, adjudicat. Et primo dicimus videri posse sustineri opinionem, quae cum Reiffenstuel in Decretal., ex reservatis in Bulla *Coenae*, quatuor tantum casus excludit a potestate Praelatorum Religiosorum absolvendi subditos, idest haeresim cum relapsu, schisma, falsificationem Literarum Apostolicarum, delationem prohibitorum ad infideles. Reiffenstuel citatus illam probat ex statutis generalibus Mendicantium, quae suis temporibus novissime, ut scribit, a Sede Apostolica fuere confirmata et a reformata provincia Bavariae acceptata.

Probatur quarta sententia.

Et solidius potest probari ex duplici Bulla Sixti IV *Regimini*, quae sunt 6 et 7 in Bullario Cherubini, in quarum prima concedit Pontifex fratribus Minoribus Conventualibus, et in secunda fratribus PP. Ordinis S. Dominici, ut possint per suos Superiores, et isti per suos confessarios, absolvi ab omnibus excessibus et censuris, exceptis haereticis relapsis, schismaticis, et qui Literas Apostolicas falsificassent, aut ad infideles prohibita detulissent.

Idipsum habetur in duabus Constitutionibus Julii II *Exponi nobis*, 27 feb. 1510, ubi etiam expresse declaratur quod dicta facultas non est censenda revocata per Bullam *Coenae*, ac si praedicta Bulla in *Coena Domini* nec esset facta nec fieret.

Et dictam facultatem cum eadem amplitudine et restrictione, scilicet exceptis dumtaxat quatuor casibus supradictis, fecit postea Paulus III Bulla *Licet debitum*, 18 octobris 1549, Societati Jesu, et pluries illam postea confirmarunt Romani Pontifices.

Potestati quam Praelatis Regularibus in subditos tribuit praedicta sententia, non videtur obstare nova Bullae publicatio.

Argumenta quibus id solet probari.

Nec dictae facultates, prout nobis videtur, dicendae sunt, saltem probabilius, revocatae fuisse per Bullam *Coenae*. Alii id probant eadem ratione, qua vellent privilegium concessum a Tridentino Episcopis non esse revocatum per Bullam *Coenae*, sed hoc argumentum ex dictis nullius videtur roboris; alii id probant argumento desumpto ex mente Summorum Pontificum, qui haud censendi sunt velle hodie destruere, quod heri aedificarunt; sed Pontifices quum ad Ecclesiae regimen vocantur, ad instantiam Regularium, eorum privilegia rata et firma velle

consueverunt; ergo non est credibile statim per Bullam quotannis publicari solitam, ea velle derogare et destruere. Videantur Salm., c. 2, 77, 78, tract. 10. Sed haec ratio, prout notat Suarez, si apta est fundare vehementem conjecturam, ne dicantur revocata privilegia Regularibus concessa ab eodem Pontifice, qui Bullam *Coenae* denuo promulgat, quia de eodem verisimile non est quod velit infra eumdem annum revocare facultatem quam in specie et in perpetuum concesserat, praesertim cum illa revocatio utpote ordinaria, censeatur praevisa, non videtur tamen magnam vim habere contra promulgationem Bullae *Coenae* factam per alium Pontificem, qui eadem privilegia Regularium non confirmaverit, quia in hoc nulla esset inconstantia, et valde privata et extraordinaria essent incommoda, si quae sequerentur ex hac revocatione, quaeque proinde incommoda, utpote valde particularia, morales leges non considerant; unde potius videtur alia argumenta quaerenda. Sed bene videtur posse conclusio probari ex dispositione Julii II, qua, sua Constit. *Exponi nobis*, 27 feb. 1510, jam citata, statuit ut asserta facultas pro omnibus futuris temporibus esset duratura, ac si praedicta Bulla in *Coena Domini* non esset facta, nec fieret. Etenim quamvis dicta dispositio Julii II omnino revocabilis sit, non tamen est censenda revocata quousque in Bulla *Coenae Domini* non apponatur nova clausula, quae dictam potestatem revocet. Nam Pontifex statuit vel, si mavis, declaravit quod, quousque Bulla *Coenae Domini* fuerit solitis clausulis munita, facultas de qua in suis Literis, et in Constitutione *Regimini* Sixti IV, non est censenda revocata. Idque mihi videtur omnino dicendum, ne dicamus praedictam dispositionem Julii II manere sine effectu et efficacia, et nil operasse et operari, quod pariter omnino videtur cavendum. At usque nunc, quantum scio, in Bulla *Coenae Domini* nondum fuit apposita illa clausula, qua expresse vel implicite derogetur privilegio a Julio II Regularibus concesso, ergo illud admittendum est, et recognoscendum. Haec autem ratio non est eadem, quam adducunt plures contendentes, quod sicut facultas absolvendi a casibus Bullae *Coenae* non intelligitur concessa in generali facultate absolvendi, et nonnisi quum de illis casibus fiat spe-

Potior ac verior ratio.

cialis mentio, ita e converso quod facultas jam data absolvendi a dictis casibus non sit censenda revocari, nisi de ea fiat pariter mentio specialis. Nam si ratio nostra concordat cum praedicta, in exigendo specialem mentionem asserti privilegii, ut censeatur revocatum, non tamen cum illa concordat in assignando fundamento, cur ea specialis mentio requiratur. Nam illa alia ratio nititur principio quod vult non dari in generali revocatione facultatis absolvendi, revocatio facultatis absolvendi a casibus Bullae *Coenae*, quae fuerit concessa, quia non fit facultas absolvendi a casibus Bullae, nisi de ea expressa sit mentio; ex quo fundamento, quantum colligere est ex Suarez, 7, 8, potius retorquenda esset illatio, dum e contra nostra ratio nititur privilegio indubie a Pontifice concesso, absolvendi a reservatis Bullae *Coenae*, cui privilegio utpote quod firmum declaratur permanere contra novam publicationem Bullae *Coenae*, illis tantum clausulis vallatam, quibus tunc muniebatur, per easdem, quantumvis aliunde amplissimas, non derogari dicendum est.

Solvitur alia ratio pro quinta sententia allata.

Nec obstare videtur argumentum, quod contra hanc sententiam, prout diximus, videtur posse deduci ex eo quod posteriores PP. in nova Bullae *Coenae* promulgatione verba omiserunt, quae Sixtus V et Clemens VIII addidere, quibus expresse dicebatur non revocari facultates concessas quoad casus ejusdem Bullae; nam illud argumentum nititur solae praesumptioni, quae videtur haud posse subsistere contra veram rationem quae ex Bulla Julii II eruitur ad statuendum, privilegia Regularium de quibus disputamus, non esse judicanda revocata per ejusdem Bullae publicationem. Nam si revera illa privilegia non sunt habenda revocata, quousque nova clausula praeter solitas apponatur in Bulla, quae satis indicet illa privilegia revocari, dicendum illa privilegia subsistere. Nam ex eo solum quod Sixtus V aliqua verba addiderit, quibus aperte declarabatur non auferri potestatem, quae habebatur in casus Bullae, et ea verba postea fuerint omissa, illa clausula quae desideratur revocatoria privilegiorum Regularium, ex hoc non fuit apposita; unde potius dicendum quod illa verba fuerunt omissa quia, quamvis bona essent, tamen non judicabantur necessaria, et aliunde servabatur in Bulla an-

tiqua locutio, et etiam fortasse aliis disputationibus et incommodis, quae oriri potuissent, praecludebatur via.

Nec faciunt contra assertam potestatem Praelatorum Regularium in subditos aliae difficultates, quae possent adduci ex Bullis Summorum Pontificum, qui post Sixtum IV et Julium II, facultatem fecerunt Regularibus absolvendi subditos a reservatis, sed excipientes expresse omnes casus Bullae *Coenae*, ut fecit, ex. gr., Gregorius XIV Constit. *Ex injuncto*, 24 sept. 1591, nam dato, non concesso (1), quod ibi habeatur revera revocatio amplioris facultatis, priora privilegia fuisse restaurata dicendum per plures posteriores Pontifices, dum ex certa scientia et plenitudine potestatis, omnia privilegia Regularium confirmarunt in omnibus, in quibus Decretis Concilii Tridentini non adversantur; ut fecit inter alios Clem. VIII Bulla *Ratio Pastoralis officii*, jam citata, et plures alios apud Salm., tract. 18, c. 2, 57. Aliis praeciuditur difficultatibus.

Nec contra dictam potestatem et privilegium Regularium militant aliae Bullae Summorum Pontificum, ut Gregorii XIII *In tanta*, Clementis VIII *Quaecumque*, Urbani VIII *In specula*, Clementis X *Superna*, Gregorii XV *Inscrutabili*, quae a nonnullis adducuntur, pro statuenda revocatione privilegiorum Regularium, quatenus non possint erga eosdem illorum Praelati frui illa potestate absolvendi, quam nos ipsis asserimus. Nam dicendum quod illae minime dictam revocationem continent. Et quidem Bulla *Quaecumque*, ad quam Cherubinus perpetuo lectorem remittit, quoties in Bullario habetur mentio alicujus privilegii Regularibus concessi, quoad potestatem absolvendi, ut optime notat Potestà, 3405, et valde perspicuum videtur ex lectione Bullae ipsius, ea quae decernit circa approbationem et potestatem confessariorum Regularium, solum respiciunt dictos confessarios quoad confratres saeculares, confraternitatum sodales, circa quarum erectionem et institutionem et privilegiorum communicationem, aliquas normas statuens, versatur Bulla.

Nec magis asserti privilegii revocationem habent Bullae

(1) Recole quae paulo ante dicebamus contra limitationem, quam ponit Potestà, vi cujus denegat, Praelatis Regularibus [illegible] tione in Rom. Pontificem, jurisdictionem.

Urbani VIII et Clementis X et Gregorii XV, ut ex earum tenore, eas legenti facile constabit. Nec obstat Bulla *In tanta* Gregorii XIII, quia privilegia quae ibi Pontifex revocat Regularibus concessa, alia sunt ab illis quae illis fecerunt PP. Sixtus IV, Julius II, Paulus III, et quae nos illis adstruimus. Sed de tenore hujus Bullae *In tanta* redibit sermo.

Speciatim vindicatur Praelatis Regularibus pro subditis potestas in haeresim.

Praedicta autem sententia videtur posse sustineri etiam in eo, quod facit Praelatis Regularibus facultatem absolvendi suos subditos ab haeresi, quod contra morem enixe negat Diana multis locis. Vid. tom. 5, tract. 8, a Resol. 34, Coordinat. Nam in concessionibus, quas adduximus, ipsis factis per Summos Pontifices, illa potestas videtur omnino includi. Nec dicas numquam intelligi datam facultatem absolvendi ab haeresi, etiam data facultate absolvendi a casibus Bullae *Coenae*, nisi de ea expresse fiat mentio, prout docent valde multi, quorum sententiam superius probavimus et sequendam diximus. Nam in nostro casu dicendum est illam facultatem haberi, quantumlibet expressam, licet non praecise per terminos qui illam formaliter exprimant, nam dum Pontifex expresse concedit Praelatis Regularibus facultatem absolvendi ab omnibus casibus Bullae *Coenae*, excepto cum uno vel altero, relapsu in haeresim, dicere quod non concesserit facultatem absolvendi ab haeresi, est, prout videtur, vim velle inferre Bullae verbis, et menti Pontificis, et communi interpretationi.

Et hic videtur superfluum adducere cum Suarez citato, c. 21, n. 1, ubi nostram tuetur conclusionem, axioma jurisconsultorum, quod exceptio firmat universalem regulam in contrarium; sicut et videtur superfluum adducere aliqua jura, ex quibus probaretur assertum. Et noster discursus admittitur a S. Alph, lib. 7, 101, Reiffenstuel, aliisque qui alioquin tenent, per concessionem generalem absolvendi a reservatis in Bulla *Coenae*, non dari facultatem absolvendi ab haeresi.

Nonnulla authentica Decreta assertae potestati in haeresim, minus bene videntur opponi.

Ad Decretum S. C., 17 novemb. 1628, adductum a Viva, a S. Alph., a Ferraris citt., et cui magnopere et continuo fidit Diana, quantum scio, et aperte habetur ex ipso Diana cit., Resol. 37, qui illud refert, est ipsum celebre Decretum S. C. sub Urbano VIII editum, in confirmationem prio-

ris Decreti Clementis VIII, quae, prout explicant plures, cum quibus videtur Bened. XIV, de Synod., lib. 5, c. 5, VI, VII, et patet ex eorum tenore, solum disponunt de confessariis Regularibus in ordine ad poenitentes saeculares, et nil omnino habent de potestate confessariorum Regularium, quoad ipsos Regulares. Haec interpretatio, ut dixi, est multum communis; patet ex ipsis Decretis, et admittitur a S. Alph., de Privil. 95, imo et dicitur authentica ex Declaratione S. C. jam prius approbata a Clem. VIII. In eodem sensu pariter accipitur et Decretum Clem. XI, 13 maji 1711, ubi aliqui casus excipiuntur superius recensiti, ubi de potestate Regularium in saeculares, quo loco et dicti Decreti praecipua fuit mentio, Potestas, 3417, S. Alph. cit.

Nec minus officit conclusioni aliud Decretum S. Inquisitionis sub Innoc. X. 23 maji 1652, citatum a Tamburini, quod pariter refert Diana, tom 9, Coord. tract. 7, res. 98, nec id videtur indigere probatione; satis superque videtur illud legere, nam ibi simpliciter est quaestio de facultatibus Jubilaei.

Quae vero addit Tamburini de Brevi Pontificio, quod revocavit Societati facultatem absolvendi ab haeresi, et de renunciatione facta per Societatem ipsam omnis cujuscumque privilegii, quod haberet ab haeresi absolvendi, nil pariter videtur posse probare contra nostram sententiam; nam illud Breve Pontificium, quantum ex Compend. Privilegiorum Societatis colligere possum, v. Absolutio, § 7, videtur adhuc solum respicere poenitentes saeculares, quidquid sit de locis ad quae se extendat, imo et videtur idem Decretum Clementis VIII jam commemoratum; quantum vero ad statuta Societatis, etiam dato quod illa renunciatio respiciat facultatem absolvendi membra Societatis, quod haud multum probabile arbitror, dicendum quod haec faciunt factum peculiare, quod jus commune non fundat.

Quae potestas in haeresim Praelatis Regularibus fuerit sublata.

Sed si facultas absolvendi ab haeresi jam fuit facta Praelatis Regularibus pro suis subditis, nec eis fuit postea sublata, videtur tamen quod fuerit restricta per Bullam *Romanus Pontifex* Pauli V, 1 septemb. 1606, et ex Decreto

Licet alias, 8 julii 1660, Alexandri VII, ita ut illa uti tantummodo valeant pro foro conscientiae.

Idque solum probant, et non aliud, praedicta Bulla Pauli V et Decretum Alexand. VII, et minus bene Salm., tract. 10, c. 2, 76, adducentes, ut videtur, auctoritatem Barbosae, contendunt a praefata Bulla Pauli V revocari privilegia Regularium absolvendi subditos ab haeresi. Nam nec Barbosa loco a Salm. citato hoc dicit, nec in Bulla adducta habetur. Bulla etenim solum revocat facultates Superioribus Religiosorum concessas, cognoscendi (nota) et terminandi causas suorum subditorum, seu in illis quoquo modo se intromittendi, sicut et mandat, Religiosos omnes de haeresi suspectos denuntiari, etiam ab ipsis Religiosis sodalibus, absque eo quod Superiores, personas denuntiandas, et causas perquirere, vel quoquo modo id impedire, vel causas retardare audeant seu praesumant; nil autem habet de potestate absolvendi in foro conscientiae. Quod et dicendum de Decreto Alexand. VII. Quod si ex praecitatis documentis, revera revocaretur Praelatis Regularibus facultas absolvendi subditos ab haeresi, dicendum quod et revocaretur et quoad alia delicta, quae suspectum reddunt de haeresi, quia et de istis documenta citata eadem disponunt. Hoc tamen Salm. nec alii communiter dicunt. Unde videtur merito posse concludi, tuto posse sustineri sententiam, quae Praelatis Regularibus facultatem tribuit Religiosos absolvendi, etiam a reservatis in Bulla *Coenae*, quatuor tantum casibus exceptis, idest haeresi cum relapsu, schismate, falsificatione Literarum Apostolicarum, delatione prohibitorum ad infideles.

Iterum vero animadvertimus nos semper tantummodo disputationem limitare ad absolutionem in foro conscientiae.

Potior facultas Praelatis Regularibus in subditos adhuc tribuitur pro casibus Bullae Coenae.

Sed et videtur nos posse ulterius progredi, et bene videtur posse sustineri sententia, quae ampliorem adhuc potestatem Praelatis Regularibus facit, ad absolvendos subditos Religiosos, quaeque innixa Constitut. S. Pii V *Dum ad Congregationem Cassinens.*, quae est 129 in Bullario Cherubini, concedit Praelatos Regulares posse « quoscumque pro tempore existentes Monachos, conversos, commissos et oblatos, et tam professos quam novitios, in ea tamen perseverantes, plenarie absolvere toties quoties opus

fuerit, quae absolutio ipsis suffragabitur si et dummodo donec vixerint in habitu et professione regulari, injuncta pro modo culpae poenitentia salutari, a quibusvis criminibus, reatibus, culpis, censuris et poenis ex quavis causa et ob quemvis excessum et delictum publicum vel occultum, tam ante quam post ingressum in Religionem perpetratum, etiamsi fuerit casus reservatus Sedi Apostolicae, vel comprehensus in Bulla *Coenae*, excepto (de qua exceptione jam dictum est supra) solummodo homicidio voluntario, et mutilatione, quae et quod fuerit commissum post ingressum in Religionem (1). »

Quae praedictae conclusioni videantur opponi.

Sed ne quid ultra dicamus de difficultatibus, quae possunt contra hanc sententiam enasci ex Bulla Bened. XIII et aliorum Pontificum, qui etiam dum favorem intenderunt praestare Regularibus, minores tamen facultates eisdem fecerunt, quas difficultates jam superius expendimus, quaeque ex dictis non videntur ita obstare, ut praesens S. Pii V privilegium ab illo probabilitatis gradu excidere dicendum sit, ut non liceat tuto illo uti, duae adhuc praesertim remanent difficultates. Alteram deducit Potestà ex Bulla *In tanta*, 1 martii 1573, Gregorii XIII; altera oritur ex posteriori publicatione Bullae *Coenae*.

Diluitur Potestatis objectio.

Verum prima, quam opponit Potestà, 3402, ubi dicit dictam Bullam S. Pii V, qua parte ampliorem facultatem impertiebatur, ac Sixtus IV et Julius II et Paulus III concesserant, fuisse revocatam per Bullam *In tanta*, Gregorii XIII, non videtur magnam vim inferre. Nam illius assertio videtur gratuita et non satisfacit. Nam in adducta Bulla Gregorii, numerantur quidem plura privilegia, quae S. Pius V Regularibus indulserat, quaeque intendit revocare Pontifex, sed nec minima fit mentio privilegii potestatis absolvendi subditos Religiosos per suos Praelatos. Nec dicas in praefata Constit. annullari omnes literas et constitutiones, quae a S. Pio V pro quorumcumque Regularium ordinibus quomodolibet emanaverant, ut de omnibus ac quibuscumque in eis contentis, eam deinceps dispositionem atque decisionem pro subjecta materia fu-

(1) Posset adhuc dubitari an in facultate praesenti comprehendatur facultas absolvendi ab haeresi, quia non habetur specialis mentio de illa. Quaestio tamen haec nunc videtur superflua, nam arbitramur satis statuisse illam facultatem competere Praelatis Regularibus ex concessione Sixti IV et Iulii II.

turam esse velit Pontifex, quae sive ex jure veteri, sive ex sacris Concilii Tridentini Decretis, sive alias legitime ante dictarum literarum et constitutionum editionem erat, et si ipsae non emanassent, futura fuisset. Nam facilis est responsio, ex verbis ipsius Bullae Gregorii XIII excerpta, nam ibi expresse cavetur praefatam dispositionem respicere Bullas a S. Pio V editas super *eisdem de rebus*, idest de rebus quas ibi Pontifex commemorat in proemio, inter quas non habetur quae efformat materiam nostrae quaestionis, ut jam diximus. Concinit titulus Constitutionis Gregorii, et adnotationes marginales, quae remittunt ad tres Constitutiones S. Pii V sub num. 41 in Bullario Cherubini. At Bulla quae facit privilegium Monachis Cassinensibus absolvendi suos subditos est S. Pii V, 129 in citato Bullario. Adde quod non potest credi voluisse Gregorium XIII revocare illud privilegium a S. Pio V Regularibus concessum, quando ipsemet concedebat Societati Jesu, et in ipsa Societate omnibus Regularibus per communicationem, simile privilegium et quidem valde praeclarum, et fortasse non minus amplum, ut apud Suarez.

Adde confirmationem privilegiorum Regularium ex certa scientia et de plenitudine potestatis factam per PP. Gregorii III successores, per quam revixisset privilegium, de quo disputamus, S. Pii V, ut Potestà concedit et vult, si vere fuerit revocatum, ut contendit.

Removetur altera difficultas, ex nova Bullae Coenae promulgatione.

Ad secundam difficultatem quae, ex nova Bullae *Coenae* promulgatione, post Bullam ad Monachos Cassinenses S. Pii V, etiam ab alio Pontifice peracta, exurgit, videtur opportunum referre quae in citata Bulla S. Pii V habentur § 3, ubi clausulae praeservativae apponuntur. Dicitur ergo ibi: « Decernentes quoque praesentes literas perpetua roboris firmitate subsistere, et nullo umquam tempore sub quibusvis, similium vel dissimilium facultatum, vel licentiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, prohibitionibus, moderationibus, aliisve contrariis dispositionibus, et in dicta Bulla *Coenae Domini* pro tempore contentis, minime comprehensas esse aut comprehendi debere, sed semper ab illis exceptas esse et censeri, et quoties contraria hujusmodi emanabunt, toties easdem praesentes et in eis contenta in pristinum et validissimum statum restituta, et perpetuo reintegrata esse. »

Jamvero ibi haberi eamdem dispositionem ac invenimus in Bulla *Exponi nobis* Julii II, videtur non posse dubitari, imo haec eadem dispositio ibi videtur verbis magis expressis apponi. Atqui illa dispositio, prout conati sumus probare, resistit novae Bullae *Coenae* promulgationi, quae non sit aliqua clausula praeter usitatas munita, ob quam revocetur privilegium in illa dispositione concessum, quae clausula nunquam fuit apposita, ergo et privilegium a S. Pio V Monachis Cassinensibus, et per communicationem omnibus Regularibus datum, videtur subsistere.

Quid de privilegio a Gregorio XIII facto Societati Jesu?

Hoc autem privilegio a S. Pio V admisso, non multum interesse videtur expendere, quid sentiendum sit hodierna die de valore privilegii Societati Jesu concesso a Gregorio XIII, quando eidem Societati indulgebat potestatem absolvendi ab haeresi, et a relapsu in haeresim, eos omnes qui sub Societatis obedientia vivunt, si quis (quod Deus avertat) in eam incideret etiam in Hispania. Comp. Privileg. Societatis, v. Absolutio, § 11, et insuper eidem concedebat « quod nullae societatis facultates censerentur revocatae per Bullae *Coenae* evulgationem, quae in futurum emanasset. » Quod ultimum privilegium postea fuit confirmatum a Clemente VIII et Paulo V, ut et habetur in eodem Compend. Privil. Societatis, v. Bullae Coenae, § 2.

Rationes quae privilegium Gregorii XIII infirmant.

Contra haec autem privilegia, praeter difficultates supra expositas, et alia videtur urgere ex eo quod concessa fuerint per vivae vocis oracula. Nam praeter revocationem oraculorum, de quibus in Bullis Gregorii XV *Romanus Pontifex in specula*, 2 julii 1622, et Urbani VIII *Alias felicis recordationis*, 20 septemb. 1634, Clemens XII in sua Constit. *Romanus Pontifex*, 12 febr. 1732, revocavit indulta, facultates, gratias, quae tam ad supplicationem partium, quam motu, scientia et potestatis plenitudine a Romanis PP. vivae eorum vocis oraculo, vel per rescripta propria illorum, aut de eorum mandato, cujusvis S. R. Ecclesiae Cardinalis alteriusve ipsorum praedecessorum, vel Sedis Apostolicae officialis et ministri manu signata; in qua revocatione bene praedicta oracula videntur comprehendi.

Verum etiam haec difficultas, quae ex revocatione oraculorum enascitur, ex pluribus non subsistit. Et sic Salm.,

Rationes quae dictum privilegium sustinent.

tract. 18, c. 2, 57, referunt multos Pontifices, qui confirmarunt et innovarunt ex certa scientia et de plenitudine potestatis, omnia privilegia prius Religiosis concessa etiam ore tenus tantum, prout fecerunt Paulus III, Gregorius XIII, Sixtus V, Clemens VIII et ipse Gregorius XV, Bulla data pro Theatinis, uno anno antequam Constit. oraculorum revocatoriam edidisset. Ex quo dicunt cum pluribus illa privilegia primitus v. v. oraculo concessa, acquisivisse novam naturam et novum esse, et transiisse in privilegia scripta et Bullata; quod pariter defendunt Ferraris, vide oraculum v. v., Reiffenst., lib. 5, Decret., tit. 33, 160.

Quo admisso, fortasse nec etiam obstaret revocatio postea facta a Clemente XII. Nam ibi expresse declaratur non comprehendi in revocatione indulta, facultates, gratias, quae per quasvis Literas Apostolicas etiam in forma Brevis expeditas vel rescriptas, etc., quae salva ac firma remanere declarantur.

Deducitur conclusio favore potestatis Praelatorum Regularium.

Sed nolo quidpiam circà hanc quaestionem definire, imo nec in illam me intromittere, maxime quum pro nostrae quaestionis, de potestate absolvendi Praelatorum Religiosorum quoad subditos, resolutione, post superius disputata, non videatur necessaria. Sufficit mihi illam sententiam quae dicit oracula, quae per Bullas Pontificias fuere confirmata, transiisse in Bullata, referre, et animadvertere, quod attenta saltem auctoritate extrinseca probabilis videtur, ut sic assertae auctoritati Praelatorum Regularium major adhuc acquiratur probabilitas. Quo enim numero majora sunt Summorum Pontificum Decreta, quibus statuitur quod privilegia Religiosorum non debeant censeri revocata in nova publicatione Bullae *Coenae*, majus fundamentum habetur quod revocata non sint, maxime quum in illa Bulla nulla umquam fuerit apposita nova clausula, quae illa revocet, et annullet Pontificia Decr., quibus Pontifices videntur statuisse ut praedicta privilegia minime censenda fuissent revocata per ejusdem Bullae promulgationem, quousque solitis clausulis derogatoriis tantum muniebatur.

LAUS DEO AC B. VIRGINI IMMACULATAE

INDEX

DICATIO . . . . . pag. III
AD LECTOREM . . . . . » VII
TRACTATIONIS DIVISIO . . . . . » 1

PARS PRIMA

CAPUT I. Quid reservatio, an et a quibus valeat indici, illius divisio et finis, quomodo interpretanda, et quae regulae in illa statuenda . . . » 3
» II. Quae conditiones ut peccatum censeatur reservatum . . . . . » 8
» III. De causis excusantibus a reservatione . . » 20
» IV. De casibus reservatis specialim . . . . » 28
§ 1. De reservatis Pontifici . . . . . » »
§ 2. De reservatis Episcopo . . . . . » 30
§ 3. De reservatis Episcopo in nostra dioecesi » 32
§ 4. De reservatis pro Regularibus . . . » 64

PARS ALTERA

CAPUT I. De iis qui valent a reservatis absolvere; de pluribus adjunctis, in quibus per confessionem apud illos factam tollitur reservatio; et de absolutione a reservatis peregrinorum » 73
» II. De privilegio per Tridentinum Episcopis concesso absolvendi a reservatis Pontifici . » 96
» III. De absolutione a reservatis in articulo mortis » 110
» IV. De inferioris potestate absolvendi a reservatis, quum non potest adiri Superior . . . » 135
» V. Absolvuntur plures difficultates circa facultatem absolvendi a reservatis, praesertim delegatam . . . . . » 144
» VI. De potestate quae competit Regularibus in reservata pro saecularibus . . . . . » 164
» VII. De poenis in absolventes a reservatis absque licentia . . . . . » 167
» VIII. De potestate Praelatorum Regularium in subditos, quoad reservata Pontifici . . . » 169